Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

130

~~Elzeviers~~

~~A. 196~~

KW 235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47



Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Illuſtriſſimo & ſplendidiſſimo

DOMINO,

MAGNO GABRIELI,

DE LA.

GARDIE,

Comiti in Leckӧӧ, Lib. Baroni in Eckholmen,

Domino in Rolka, Kyda, Hapſala, Runſſa, &c.

SI animus eſſet, virtutes, & merita Tua prædicare, Comes Illuſtriſſime; non opus eſſet, id quod fieri ſolet, illa à Majoribus Tuis auſpicari, ut ex eorum gloriâ, Tua quoque ſuum caperet incrementum. Agant id ij, quorum laudes paternis tantum nituntur meritis, ubi nihil aliud commendari ſolet, quàm id quod ad eos minimè pertinet. Tuæ autem virtutes non egent tali præconio;

 quia

quia etiamſi quis ab illis exordium ſumat, plus ſuſciperet, quàm poſſet perficere: cum illæ ejus ſint generis, ut iſtic demum incipiant, ubi ſumma eloquentia ſuos habet terminos. Manifeſtum itaque crimen incurrerem, ſi crederem, poſſe laudes Tuas tam exiguo includi ſpatio, quibus recenſendis ingens Panegyricus nimium foret anguſtus. Non deerunt ſcriptores, qui virtutem iſtam, qua etiam externis Regibus placuiſti, ſcriptis ſuis extollent. Mihi, cui verbis illam exprimere non datum eſt, ſufficit poſſe eam recognoſcere debitâ animi mei devotione. Quam cum ſemper quoquo modo oſtendere deſideraverim, nolui ullam, cujuſcunque illa foret generis, occaſionem prætermittere, qua illam non indicarem. Neque hoc eo, quod putarem, aliquam me hoc pacto initurum gratiam, cum certus ſim, me, quanto acriùs illam expetam, tanto eam minùs promereri: ſed quod ſciam, quantum Clementia Tua omnes dignationis ſuæ magnitudine ani-

mi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

mi ſuperavit, tantum etiam humanitate minimis æquaviſſe ſeſe, ac propterea non aſpernaturam hoc qualecunque devoti animi indicium. Non dubito tamen, quin multi futuri ſint, qui mirabuntur, quod tam deſpectæ magnitudinis & argumenti liber tam illuſtre auſit ſibi nomen adſciſcere. Verùm cùm in minimis rebus viri ſummi non minùs ſæpe eruditionem & ingenium ſuum oſtenderint, quàm in maximis; & ipſa præterea rei tenuitas utilitate compenſetur: non forſan tenue dici meretur, id quod tale primâ fronte adparuerit. Non dubitavit Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Grotius de hoc argumento, quæ ſcripſiſſet, tradere Chriſtianiſſimi Regis Legato. Non dubitarunt alii ſimilia agere. Quanto juſtiùs ego, qui cum majora, quæ dem, non habeam, illa ſaltem do, quæ etiam Heroum fuere munera. Quod ſi tamen tenuitati muneris quidpiam deſit, rogo ut illud componatur cum animi mei devotione, quæ tanta eſt, ut etiam magnanimitati Cle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

mentiæ Tuæ ſeſe æquiparare audeat. Deus, Illuſtriſſime Domine, Clementiæ Tuæ det omnia felicia!

Clementiæ Veſtræ inſervire paratiſſimus, obligatiſſimuſque

LUDOVICUS ELZEVIRIUS.

S E-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

SERIES DISSERTATIONUM DE STUDIIS.

I. EPiſtola Hug. Grotii *ad Benjaminum Maurerium, legatum Regis Galliæ.* *pag.* 1.

II. Gabrielis Naudæi *Pariſini Bibliographia Politica, ad eruditiſſimum Virum Iacobum Gaffarellum.* 7.

III. Ejuſdem *Syntagma de Studio liber[illegible], ad illuſtrem Adoleſcentem Fabricium ex [illegible]itibus Guidiis à Balneo.* 74.

IV. Arn. Clapmarii, *Iuris-conſulti, Nobi[illegible] Adoleſcentis Triennium: Quomodo Studioſus humaniorum literarum triennio Animam juxtà ac ſermonem feliciter excolere poſſit. ad nobiliſſimum Volcardum Suingerum.* 141.

V. *Additamentum ex* Johanne Sturmio. 168.

VI. Chriſtophori Coleri *de ordinando Studio Politico Epiſtola, ad generoſum Iuvenem Stániſlaum Zelenium Vitellium de Zelanka.* 171.

VII. *Additamentum ex* Joh. Caſelii Νέω. 198.

VIII. Jacobi Focani *diſſertatio de Studiis, ad Iodocum Lodenſteinium* 204.

IX. Joachimi Fortii *Ringelbergii Andoverpiani de ratione ſtudii liber.* 252.

X. Eraſmi Roterodami *tractatus, ejuſdem argumenti.* 318.

XI. Caſparis Barlæi *Methodus Studiorũ, præſcripta Ducibus Megapolenſibus, ad eorum Ephorum.* 340.

XII. Ejuſdem *Methodus morum, præſcripta Ducibus Lunæburgenſibus, ad eorundem Ephorum, & ſtudiorum informatorem.* 358.

XIII. Thomæ Campanellæ *de libris propriis, & rectâ ratione ſtudendi, Syntagma, ad Gabrïelem Naudæum Pariſinum.* 368

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

XIV. Leonardus Aretinus *de Studiis & literis, ad illuſtrem Dominam Iſabellam Malateſtam.* 414.

XV. Caſparis Scioppii, *Comitis à Claravalle, Conſultationes de ſcholarum & Studiorum ratione; déque Prudentiæ & Eloquentiæ parandæ modis.* 424.

EjuſceConſultatiõ Prima, *de Studiorum ratione.* 433.

Secunda, *de Prudentiæ & Eloquentiæ parandæ modis, in adoleſcentis cujuſdam Germani uſum.* 442.

Tertia, *de Scholarum claſſicarum informatione.* 484.

Quarta, *de Cauſis Grammaticæ Philoſophicæ in Scholas introducendæ.* 489.

XVI. Ludovici Crocii *D. Inſtructio, de ratione Stu Theologici.* 501.

XVI Johannis Loccenii *de Studio Iuris Diſſer uncula epiſtolica: cum Excerpto ex epiſt.* Hugonis Grotii. 559.

XVIII. Johannis Heurnii, *de Studio Medicinæ bene inſtituendo, diſſertatio.* 565.

XIX. M. Hortenſii *Diſſertatio de Studio Mathematico rectè inſtituendo; ad V. cl. Marcum Zuerium Boxhornium.* 585

XX. Sebaſtiani Foxii Morſilii *de Studii Philoſophici ratione Epiſtola, ad Franciſcum fratrem.* 594.

XXI. Petri Angelii *Bargæi, quo ordine Scriptorum hiſtoriæ Romanæ monumenta ſint legenda, Libellus.* 609.

XXII. Johannis Caſeli, *ad generoſum Iuvenem Erneſtum à Steinberg, in Bodenburg, Epiſtola de Studio liberalis Doctrinæ, decente equeſtri loco natos: aliqua de peregrinatione nobili: nonnulla de oratione civili perſpicua.* 620.

XXIII. Caſparis Scioppii, *Comitis à Claravalle,* Diatriba, *de compendioſa & facili linguam Ebræam & Chaldæam condiſcendi ratione.* 632

XXIV. Johannis Alberti Banni *Diſſertatio epiſtolica, de Muſicæ naturâ, origine, progreſſu, & denique Studio bene inſtituendo. ad incomparabilem Virum Petrum Scriverium, polyhiſtora.* 666.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

EPISTOLA I.

HUGONIS GROTII AD BENJAMINUM MAURERIUM

illuſtrem Legatum Regis Galliæ.

ILluſtris Domine, dum tempus aucupor, quo ad vos tranſcurram, præſtiturus id, quod in me receperam nuper, effluere dies ſentio, aliiſque ſuper alia ingruentibus negotiis, quorum cumulum auxit longa mea ab hac urbe nuper abſentia, ſpem quoque ipſam, propediem vos videndi, magis magiſque abſumi. Quare tædere me cœpit tam incertæ procraſtinationis. Et, quanquam præſens præſente atque etiam conſcio, ſi id daretur, principe ingeniorum Heinſio, rectius exponere potuiſſem omnia conſilii mei momenta, meaſque cogitationes cum veſtris conferendo, ex iiſdem concentum aliquem extruere; tamen committendum mihi non exiſtimavi, ut mea mora tibi aliquod detraheret interuſurium temporis, cujus quam maxime ſervandi cauſsâ omnis hæc inſtituebatur deliberatio. Malim ergo, cum alterum neceſſe eſſet, minus ſolvere, quam diutius debere. Literis igitur commiſi id, quod ſermone potius peragendum fuit: quanquam etſi, quod peccaverint literæ, id poterit aliquando ſermone emendari. Erat quidem res ſollicite excuſanda, tibi, viro tanto ac tali, conſilium aliquod dare; prȩſertim in monſtranda ſtudiorum ratione: ſed hunc mihi laborem tua auctoritas condonabit; cui non obedire gra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

vius ſit crimen, quam obediendo interdum aliquid aberrare. In hac ergo conſultatione tria ego conſidero: Ætatem tuam, Vir ampliſſime, deinde munus, poſtremo occupationes. Quibus longa ſuperſunt vitæ ſpatia, qui negotiorum ipſi ſunt arbitri, qui privatæ vitæ ſolatium atque ornamentum duntaxat quærunt à literis; hos amœnamentum duntaxat quærunt à literis; hos amœno ambitu per omnia diſciplinarum vireta ſuſpenſo gradu deduci, nihil prohibet. Tua, jam provecta ætas, & in magna dignitate tempus ſæpe ſub domino, arctiore gyro includunt diligentiæ tuæ curſus, jubentque te compendia potius itinerum, quam amœna ſectari. Sapienter itaque feceris, ſi ſæpe in mentem revoces, Legatum te eſſe, eoque dirigas omnem ſtudiorum tuorum rationem; uſurus potius literis, quam fruiturus. Quare, cum Philoſophia omnis diviſa ſit in Contemplativam & Activam; hanc præcipue curare debes, illam non ultro, quam ut huic ancilletur. Commune utrique inſtrumentum eſt Logica, à qua proinde initium fieri ratio imperat. Hanc nolim te petere ex ipſo Ariſtotele; eſſet enim id prolixius, & paſſim multa occurrunt nullius aut modicæ frugis. Sufficiet, ſi compendium aliquod legeris; quale eſt Molinęi, aut Crellii: ita tamen, ut ſtudiorum adjutor, cui tanto plus eſt otii, præſtantiſſimum quemq; ejus artis magiſtrum legat, &, ſi quid ſcitu dignum repererit, id ſuo loco meminerit tibi referre. Hoc modo hora una aut altera multo majoris temporis fructum aſſignabit. Et hoc ipſum non de Logica tantum, ſed de aliis quoque artibus & ſcientiis, imo & de libris ſingulis dictum volo, optimum quemque commentatorem illi percurrendum delega, minutatim qui colligat, tibi acervo admetienda. Poſt Logicam Phyſica ſequatur, quam ipſam quoque non opus erit fuſe perſequi, Ariſtote-

ſtotelica veſtigia premendo : poterit hic quoque ſatis utilitatis præbere ſcriptor aliquis brevis & perſpicuus : neque mihi nunc alius ſuccurrit, quem potius commendem, quam Jacchæum noſtrum. Sicuti autem in Logica præcipui uſus ſunt figuræ ſyllogiſmorum & regulæ topicæ; ita in phyſicis nihil eſt præſtantius & ad moralem ſapientiam conducibilius ea parte, quæ animæ noſtræ naturam functioneſque perſequitur. Quare has partes non perfunctorie, ſed exactiore, quam cæteras, diligentia tibi pertractandas cenſeo. Poſt Phyſica auctor eſſem tibi, ut Metaphyſica quoque, hoc eſt, primam philoſophiam, delibares, cujus guſtum tibi aliquem præbere poteſt Timplerus, libro non admodum prolixo aut obſcuro. Sed vereor, ne nimis liberalis erogator ſim tui temporis. Ad activam ergo philoſophiam veniamus, cujus pars prior eſt moralis, altera civilis: utramque ſiquidem non guſtare vis, ſed haurire penitus, ipſe tibi ſummus docendi artifex Ariſtoteles legendus erit. Inter Ethica, quæ ipſius nomine circumferuntur, optima ſunt Nicomachia. Politicorum unum opus extat. Ad hos libros quicquid ſcripſerunt eruditiſſimi interpretes, id ſummatim tibi referet tuus anagnoſtes. Sed præcipue in Ethicis notanda ſunt Sectarum diſcrimina : quid ſenſerit Pythagoras, quid ſevera porticus, quid vetus aut nova Academia, quid hortulus Epicuri. His enim ignoratis, magna nobis in veterum libris oboritur caligo, & utilitas perit. Ne autem tædium pariat unius Ariſtotelis nimis exacta & ſollicita lectitatio; poterunt interſeri interdum libelli aliquot breves, uſus maximi, nec modicæ voluptatis. Tales erunt primum, qui per aphoriſmos de moribus ſcripſerunt : ut auctor Eccleſiaſtici & libri ſapientiæ; qui inter Apocryphos com-

parent, Theognis, Phocylides: tum qui aureum carmen ſcripſit, quod Pythagoræ dicitur, & Enchiridion Epicteti. Ad hos duos libellos, ſanè exiguos & veteribus laudatos, multa eximia adferre poterit, ſi quis legerit, ad aureum quidem carmen, Hieroclem; Epicteti autem fuſiorem interpretem Arrianum. Plane autem omittendus non eſt divinus Theophraſtus; qui ſolus nobis exſtat in eo docendi genere, quod veteres Characteriſticon vocabant; niſi eodem referre lubeat poëmata moralia, qualia ſunt Euripidis Tragœdiæ ſelectiores, Comœdiæ Terentii, & Horatii Sermones. In quibus ſcriptis aliud notant adoleſcentes, aliud viri mirantur. Illis placet linguæ puritas ac nitor; hi vitam moreſque hominum ibi velut in ſpeculo intuentur. Hæc Ethices condimenta niſi ſufficerent, adderem officia Ciceronis; librum non ſuo pretio habitum, ideo, quod omnium manibus teritur. Epiſtolas quoque Senecę, & Tragœdias ejuſdem nominis, & ex Plutarchi libellis optimos & breviſſimos. Simili modo politicis quoque Ariſtotelis, adjungam aliquot fructuoſæ brevitatis; cujuſmodi ſunt Eclogę Polybii pręſtantiſſimę περὶ πολιτειῶν, Oratio Mæcenatis & Agrippæ ad Auguſtum, apud Dionem, & Saluſtii Epiſtolæ ad Cæſarem. Non alienum ſit, ex Plutarcho addere eorum vitas, qui civili ſapientia pollere ſunt crediti; puta Periclis, Catonis, Gracchorum, Demoſthenis quoque & Ciceronis. Magna quoque utilitas capi poſſet ex ejuſdem Ciceronis ad Atticum, & alios quoſdam, Epiſtolis, ſi interpres adſit Romanæ hiſtoriæ, & illorum temporum gnarus. Nullus enim eſt liber, qui rectius monſtret rationem, qua aptare deceat præcepta generalia ad ſuas hypotheſes. Rhetorica quoque Ariſtotelis omnino tibi legenda arbitror; ſed alio, quam vul-

gus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

gus cenſet ordine, poſt Ethica & Politica. Vidit enim ille omnium ſcientiarum atq; artium conſummator, ad perſuadendi artificium rivos ex morali ac civili ſapientia molliter deducendos. Ut autem præceptorum uſus hic quoque appareat, ſuadeam attente legi Orationes quaſdam Demoſthenis ac Ciceronis: non forenſes, ſed quę Remp. magis ſpectant: quales ſunt Philippicæ utriuſque; illius Olynthiacæ, hujus pro lege Manilia & contra Agrariam, aliæque nonnullæ. Hoc ſpatio peracto, nihil eſt quod tibi æque commendem atque ſtudium juris; non illius privati, ex quo legulei & rabulæ victitant; ſed gentium ac publici; quam, præſtabilem Scientiam Cicero vocans, conſiſtere ait in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, nationum, denique belli jure & pacis. Hujus juris principia quomodo ex morali ſapientia petenda ſint, monſtrare poterunt Platonis & Ciceronis de Legibus libri. Sed Platonis ſummas aliquas legiſſe ſuffecerit. Neque pœnitebit, ex Scholaſticis Thomam Aquinatem, ſi non perlegere, ſaltem inſpicere ſecunda parte ſecundæ partis libri, quem, ſummam Theologiæ inſcripſit. Præſertim ubi de juſtitia agit ac de legibus. Uſum propius monſtrabunt Pandectæ, libro primo atque ultimo; & codex Juſtinianæus, libro primo & tribus poſtremis. Noſtri temporis Juriſconſulti pauci juriſgentium ac publici controverſias attigere; eoque magis eminent, qui id fecêre, Vaſquius, Hotomannus, Gentilis. His ergo diſciplinis imbutus bene animus, mirum, quos deinde ex Hiſtoriarum lectione fructus ſit conſequuturus. Cognitis enim præceptis communibus, atque ipſo genere Quæſtionum; facillimum eſt exempla ſuis ſedibus collocare, ſive ad hoc memoria ſufficiat, ſeu brevis annotationis ſubſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

dium deſideret. Hiſtoriarum autem lectioni omnino præmittenda eſt univerſalis quædam tum orbis terrarum, tum temporum omnium delineatio, & qui res præcipuas brevius pertractarunt: quales ſunt Juſtinus, Florus, & Livii ſummator. Cæterum in legendis Hiſtoriis malim te ductum animi, quam anxias leges ſequi. Nullæ ſunt, quæ non magnas habeant utilitates; & melius hærent, quæ libenter legimus. In univerſum tamen, non incipere ab antiquiſſimis, ſed ab his, quæ noſtris temporibus noſtræque notitiæ propius cohærent, ac paulatim deinde in remotiora eniti, magis è re arbitror. In Romana hiſtoria obliviſcendum non eſt, plus ferme frugis è Græcis auctoribus, quam è Romanis hauriri: quia mores omnes rituſque publicos exteri diligentius obſervant, traduntque. Sed de his colloquendi occaſio nobis non deerit, rectiuſque hoc filum abrumpam, quam ut, nimis operoſe ſtudia tua figurando, in ipſa ſtudia peccem; quibus nihil fas eſt decedere, niſi quod Regis Chriſtianiſſimi & noſtræ Reip. negotiis datur. Deus te, illuſtriſſime domine, utriuſque gentis bono, incolumem diu ſervet; &, ut generoſo propoſito tuo proſperi adſint ſucceſſus, duo tibi præſtet bonæ mentis auxilia, firmam valetudinem, & conſtantem fortunam. Roterodami XII May, CIↃIↃCXV.

GABRIE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

GABRIELIS NAUDÆI PARISINI Bibliographia Politica.

AD

Eruditiſſimum Virum

JACOBUM GAFFARELLUM, Priorem D. Ægidii, in S. T. & Jure Canonico Doctorem, & Protonotarium Apoſtolicum.

QUæris à me, mi Gaffarelle eruditiſſime, atque etiam frequentibus litteris vehementius urges, ut pro ea, quam in me non ſemel deprehendiſti, diverſorum librorum ac Scriptorum cognitione, eorum nomenclaturam aut potius œconomiam ad te tranſmittam, quos inſtituendis tractandiſque cum recta ratione, & methodo Politicæ ſtudiis, non inutiles fore cenſeo. Quandoquidem ipſa tibi inpræſentiarum maximopere eſſe neceſſaria, vel te ipſo tacente cæteri omnes facilè intelligunt, quos minimè fugit, te unum præ multis, non ut liberalibus modo diſciplinis excultum, imbutumque ſanctioris linguæ facultate præclariſſima, ſed tanquam ad reliquas omnes diſciplinas factum à naturâ, & diligenti arte expolitum, ab Illuſtriſſimo, Sapientiſſimoque viro Domino THUILLERIO, Chriſtianiſſimi Noſtri Regis, ad Sereniſſimam Rempublicam Venetam Oratore Excellentiſſimo, ſelectum fuiſſe; quo cum de rebus graviſſimis communicare, & ſubciſivis horis ſermones lite-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rarios miſcere poſſet. Ego verò qui me talem non agnoſco, qualem me nuper eſſe voluiſti, deſiderio ne dicam iſtius, quod impenſe poſtulas, conſequendi; an mutua, quæ ſemper inter nos extitit, conjunctione ductus, pendeo animi, quo me vertam dubius, re ipſa tenuis, ac pauper, ſed promptus obſequio. Etenim ut verum eſſet, quod ex flagrantiſſimo librorum amore, qui me vel à teneris annis exercitum detinuit, eorumque inveſtigationi valde propenſum, atque etiam ex Bibliothecarii munere, quod mihi quidem olim ab æquiſſimo, doctiſſimoque Præſide HENRICO MEMMIO, ac poſtea demum ab eminentiſſimo Cardinale, eodemque Mæcenate meo munificentiſſimo, JOANNE FRANCISCO, ex Comitibus Guidiis à Balneo, delatum fuit, levem quandam variorum Auctorum cognitionem contraxerim; qui fieri tamen poteſt, ut, biennium jam à muſeo meo Pariſienſi, ut inſtructiſſimis Clariſſimorum Puteanorum, Moriæ, Cordæi, aliorumque amicorum meorum bibliothecis ſejunctus; & ab illis etiam ſeparatus quæ Romæ frequentes viſuntur, & copioſæ; tot diſcrepantium nominum, & titulorum recordari poſſem, quibus memoria complectendis, etiamſi quotidie manibus tractarentur, vix quiſpiam poſſet, quantumlibet artificialis ſubſidio munitus, æqualis inveniri. Maximè cum in hac civitate Cerviæ, quæ & Cerevia & Phycocle antiquitus dicta eſt, atque iſtic locorum vivamus, ubi magna eſt non modo librorum, & hominum eruditiorum, quibus aliqua ſaltem ex parte ſublevari poſſim in hoc meo conatu, ſed rerum omnium præterquam ſalis inopia. Quod ex aqua per certos canales ex vicino mari in quadratos alveolos ingenioſè deducta, & in ipſis per intenſiſſimos Solis fervores ſtagnante, accedente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

te poſtea modico flatu, uberrima quantitate efficitur; illicitque ſua per Statum Eccleſiaſticum distractione incolas, ut huic uni tantum opificio ſe dedant, poſthabita cæterarum artium, & diſciplinarum, reliquis vitæ uſibus ſummopere conducentium, cultura. Verum enim verò licet anguſtiis ejuſmodi intercluſus, non poſſum tamen, quoties mihi jucundiſſimæ tuæ conſuetudinis in mentem venit, non me ipſis exſolvere, ne te, cui omnia mea libenter conferrem, vanis promiſſis lactaſſe videar, aut expectatione votorum diutius maceraſſe. Quare veteres Romanos imitatus, qui urbem ſuam latericiam ædificarunt, cum lapideam non poſſent, & Paſtores illos, qui Mercurium ex Marmore Luco conſecrantes, tabellam juxta cum hac epigraphe ſuſpenderunt:

Si fœtura gregem ſuppleverit aureus eſto.

Eligam citius videri parum gnarus apud alios, quàm apud te parum gratus, exhauriamque Theſauros divæ Mnemoſynes, non equidem quo te vel agris vel poſitis in fœnore nummis ditiorem efficiam, ſed optimis politicorum ſcriptorum codicibus, qui tibi, quam voveo, conſultiſſimi ſapientiſſimique hominis famam aſſerere poſſint, & honores una, qui ipſam ſolent comitari.

Quandoquidem igitur præcepta civilis vitæ, quam Politicam Græci vocant, eas Philoſophiæ Moralis partes ex rectâ ſcientiarum diviſione ſubſequuntur, quæ paſſim in ſcholis, & libris Philoſophorum, vulgatis Ethicæ ac Oeconomicæ nominibus edoceri ſolent; nec ullum unquam felicibus auſpiciis ad publicas res gubernandas acceſſiſſe hiſtoriarum monumentis proditum ſit, qui ſuas antea quidem apud ſe, & familiam ſuam non benè compoſitas exploratasque

que habuerit: inde eſt profectò quod, ne cruda adhuc ſtudia in Principum aulas propellantur, & politica diſciplina, qua nihil ſublimius eſt, aut magis difficile, hominibus ſui impotentibus ac ignaris induatur, rationi valde conſentaneum eſſe exiſtimem, politicas inſtitutiones exordiri ab illa prima philoſophiæ moralis parte, quæ, velut unica vitæ hominum rectrix ac magiſtra, ſingulos ſui muneris ac officii admonet; voluntatem iracundiæ fluctibus agitatam, voluptatum blanditiis irretitam, fluctuantemque paſſionum motibus confirmat; quid inter Patrem, & Liberos, quid inter virum, & uxorem, quid inter fratres, cognatos, amicos, cives, ac inter omnes homines obſervari par ſit, explicat; Fortitudinis denique, Temperantiæ, Liberalitatis, Juſtitiæ, cæterarumque virtutum naturam diſputationibus ſuis patefacit, & illuſtrat; ut accedente demum pleniſſima rerum, quæ ad politicam ſpectant, inſtructione, nihil amplius humanæ perfectioni deſit; voluntate ſic ad boni vel mali dignotionem talibus præceptis confirmata, & intellectu (quod hîc nobis omnino præſupponendum fuit) ad veri vel falſi diſquiſitionem, per dialectices præcepta, plene ac ſufficienter informato. Hac verò morum regula, & præſtantioris animæ medicina, licet multi ex antiquioribus Philoſophis æternum inclaruerint: ut Socrates ille, qui ſe primus feliciſſimo conatu ex naturæ obſcuritate ad morum contemplationem tranſtulit: & qui ex ejus Schola prodiere, Xenophon & Plato, non magis eloquentiæ laude, quàm pari morum gravitate commendati; Xenocrates etiam; de cujus continentia dixit Phryne; de frugalitate & contemptione pecuniæ Alexander; de fide & juſtitia univerſus populus Athenienſis; Calliſthenes denique, Epictetus, Muſonius, Plutarchus, & alii:

neſcio

neſcio tamen quo caſu factum dixerim, ut ipſorum de hac re præceptiones nobis injuria temporum ferme omnes ereptæ fuerint; ita ut, ſi unum Ariſtotelem excipias, nullus antiquorum ſuperſit, à quo vel ipſius diſciplinæ ſyſtema repetere, vel aliquid ordine atq; methodo conſcriptum accipere poſſimus. Neque enim eorum opinioni aſſentior, qui Platonem decem illis libris, quos Ariſtoteles, Theophraſtus, Cicero, Macrobius, & cæteri, politicos vocant, non de Republica, ſed de Juſtitia diſputaſſe contendunt; atq; in ipſis, quæ vis ejus, quæq; natura ſit, & quomodo ex ejus cultu omnia bona, & privatim & publicè ad homines perveniant, utque mala omnia ab injuſtitię fonte defluant, oſtendiſſe: ſed quidquid ille, quod ad mores privatos pertineret, nobis reliquit, id totum complectuntur Memnon, Eutyphro, Philebus & Crito; reliqui ſiquidem ad publicos referuntur, quales ſunt dialogi de legibus, & de Republica. Ariſtot. verò illud omne, quod ad iſtius doctrinæ perfectionem ſpectabat, variis operibus complexus eſt. E quib. ad nos tantum pervenere decem libri Ethicorum ad Nicomachum, ſeptem ad Eudemum, & duo, qui cō-muniter dicuntur *ἠθικὰ μεγάλα*, hoc eſt, Moralia Magna; quibus ſumma quorundam hominum ætatis pręteritę in perquirendis antiquorum operibus diligentia, librum de virtutibus ſuccenturiavit, Græcè quidem primò editum, & Latinè etiam poſtea, ſed illuſtratum commentariis Juſti Velſii hominis eruditiſſimi. Omnes verò illi haud pœnitenda acceſſione cumulari poſſunt eorum, quę habent Theophraſtus, vitiorum pictor ſimul ac cenſor egregius; Seneca, in omnibus libris commotior; Plutarchus in opuſculis ſedatior & magis compoſitus; Alexander Aphrodiſeus, in quæſtionibus ſuis, ut Ariſtotelis interpretem,

decuit, ſingula majori cum ſubtilitate & argutia examinans; ac demum Epictetus in Enchiridio, & auctores illi, qui ſub compendio vitæ & mortis, non ita mihi allubente, ſimul editi ſunt, græco partim, & partim etiam latino contextu. Præter quos non mediocri etiam adjumento eſſe poſſunt quatuor libri, ſola præceptorum, quæ complectuntur, ad mores pertinentium, excellentia inter ſacros codices jure merito relati, Proverbia ſcilicet Salomonis, Eccleſiaſtes, Sapientia, & Eccleſiaſticus: quorum ſic eſt univerſalis doctrina, ſic apta & caſtigata methodus, ut, quemadmodum etiam de Oratione Dominica dicitur, omnium hominum generi utiles eſſe poſſint, Chriſtianis, Ethnicis, Philoſophis, Religioſis, Piis, Impiis; ac propterea ſine flagitio in hoc cenſu librorum prætermitti non debent: præcipue cum magnam vim ſententiarum ſuggerant, quorum uſu tempeſtivo, viri graviſſimi plurimum ſibi tum dicendo cum ſcribendo auctoritatis conciliare ſolent. Ex recentioribus autem licet infiniti ferme de Morali doctrinà ſcripſerint, paucos nihilominus hic eſſe laudandos exiſtimo. Satis mihi ſiquidem eſſe duco, Hodii alicujus vel Hegemonii inſtar, digitum ad principales vias intendere; idque etiam tanto confidentius facio, quod, quicumque erit Antiquorum Auctorum doctrina plenè informatus, aliis omnibus, aut carere facili negotio poterit, aut ſaltem vel abſque delectu illo, qui in reliqua ſtudiorum ratione diligenter ſolet adhiberi. Optimum tamen erit melioribus ſe quamprimum addicere: ut Adouardo Gualando, & Franciſco atque Alexandro Piccolomineis: qui artem integram nobiliori quadam methodo, & majori vi ac copia ſpirituum tradidere; duo primi latinè quidem, & minus ut mihi videtur elato di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſcendi genere; poſterior verò vernacula lingua eleganter ſuo more, & cum majeſtate ac imperio. Cui propterea duos noſtrates lubens compono Illuſtriſſimos Antiſtites Vairium & Coëffetæum. Michaël de Montaignes, ut magis abundat copia ſententiarum in ſuis Tentamentis, & ad modum Senecæ crebrius percutit, ſic minus ordine & nitore prævalet. Petrus Charondas vel hoc ipſo Socrate ſapientior æſtimandus venit, quod ſapientiæ ipſius præcepta primus, quod ſciam, admirabili prorſus methodo, doctrina, judicio, in artem reduxerit. Sane eius liber, & Ariſtotelem nobis exhibet & Senecam, & Plutarchum, ac divinius etiam aliquid præ ſe fert, quam Antiquioribus cunctis & recentioribus fuerit conceſſum. Laudem pariter aliquam meruerunt Pitardus, & Marandæus; qui non ſecus ac præcedentes linguæ noſtræ divitias ad moralis diſciplinæ tractationem attulere. Quid autem reliquæ nationes idiomate ſuo præſtiterint, longior eſſem, ſi vellem referre. Illud tantum moneo, Sebaſtianum Foxium, Marſilium, Ludovicum Vivem, Eraſmum Roterodamum, & Jovianum Pontanum, ſedatæ ac compoſitæ mentis homines, multa & præclara de hac facultate dixiſſe, hominumque generi ſummopere conducentia. Amicus etiam noſter Thomas Campanella juxta doctrinam ſuarum Primalitatum Ethicam novam compoſuit; quæ ſub epilogiſmi nomine cum Philoſophia ſua naturali & politica typis commiſſa fuit à Tobia Adamo; ſtylo quidem non ita compto delineata, ut Ciceronianis arridere poſſit; ſed ea nobilitate cogitationum, rationumque ſubtilitate, ut omnibus ſapientiæ myſtis non poſſit eſſe non ſummopere gratiſſima. Pathologiam præterea animi paſſionum Germanus aliquis non ita pridem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

edidit: cujus nomen cum ſuo libro Pariſiis diſcedens reliqui. Sed eandem materiam prius abſolverat Altiſius Luſinus elegantiſſimo opuſculo de compeſcendis animi perturbationibus: & Juſtus Lipſius libello de Conſtantia, in quo tanquam in Darii ſcrinio res ipſas quas habebat pretioſiſſimas, elegantiam videlicet, & omnes ingenii ſui ac judicii gemmas, artificioſè concluſit. Ante hos omnes, anno videlicet milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, Vincentius Bellovacenſis ſpeculum morale ediderat, pari equidem verborum copia, ſed longè graviori ac ſolidiori eruditione, quam prius feciſſet Doctrinale, Hiſtoriale, ac Naturale: unde accedente ea difficultate, & quaſi indiſſolubili nodo, quod omnia in tali ſpeculo contenta iiſdem ferè verbis in prima ſecundæ, & ſecunda ſecundæ divi Thomæ inveniantur; minime verò conſentaneum ſit arbitrari, doctorem Angelicum ſummæ ſuæ partem ſecundam eamque nobiliſſimam, ex alio Auctore deprompſiſſe: Bellarminus huc ſe tandem convertit, ut exiſtimet, ſpeculum illud morale non eſſe Vincentii Bellovacenſis, ſed alterius junioris auctoris, qui fortaſſis etiam Vincentius diceretur, quiq; ſecundam hanc partem Divi Thomæ neſcio quâ de cauſa immutare, ac è fundo ejus proprio abactam in proprium transferre voluerit. Atque hi ſunt Auctores, quos nunc memini ſuis inventis ac Marte proprio, partem illam philoſophiæ quę de moribus eſt, non abſq; genio & induſtria excoluiſſe. Superſunt alii, qui videlicet propriis viribus diffidentes aut alia ratione permoti, non aliquid ex ſe proferre auſi ſunt, ſed quæ ab antiquis Scriptoribus prolata fuerant excolere duntaxat, atque intellectu faciliora reddere, quales fuere, quantum ad præſens attinet inſtitutum, Simplicius, & Arianus, qui in Epicteti Enchi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Enchiridion; & Juſtus Velſius, nec non Auguſtinus Maſcardus, qui in tabulam Cebetis, hic nuperrime & lingua ſua Italica, ille verò latina, doctiſſime ſimul ac eloquentiſſime commentarios ediderunt. Verùm in ejuſcemodi hominum cenſu illi præcipuè conſiderandi veniunt, qui decem libros Ethicorum Ariſtotelis ſuis lucubrationibus illuſtrandos ſuſcepere, quos inter primus occurrit Euſtrathius, Græcè quidem cum Aſpaſio & nonnullis aliis editus, & Latinè poſtea à Bernardo Feliciano diligenter expreſſus, cui ſe, Danielis Heinſii ſummi procul dubio viri diligentia, ſocium non ita pridem adjunxit Andronicus Rhodius, aut potius Olympiodorus: talem enim appellationem in poſteriori editione conſulto ſortitus eſt, cum in priori ab eodem Heinſio facta, Lugduni Batavorum ſub anonymi nomine latens, nulla paſtoritia fiſtula nullaque adverſa acclamatione exceptus fuiſſet, imò verò avidè à cunctis receptus & prolatus. Ab iſtis duobus Gręcis ad Arabes deveniendum eſt, & conſulendus AbenRois. Ille ſiquidem præter commentarios in Ariſtotelem, libellum etiam de animæ beatitudine conſcripſit, qui ab Auguſtino Nipho, Philoſopho Italorum omnium longè celeberrimo, haud pænitendis quæſtionibus illuſtratus, etiamnum hodie præ curioſorum manibus habetur. Eodem verò propemodum tempore, cum exorta fuiſſet Scholaſtica docendi methodus, multi etiam hoc ſcribendi genere eoſdem Ethicorum libros explicarunt, aut potius inquinarunt, ut libenter dicerem, ſi tres mihi ex ipſorum numero excipere liceat, omni laude ac commendatione majores, nempe Albertum Magnum, Divum Thomam, & Ægidium Romanum, qui minus paulo quam cæteri inquinate loquuti ſunt, judicio verò, doctrina, ſubtilitate,

adeò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

adeò ſupra morem & fatum ſui ſeculi excelluerunt, ut, ſi pauca demas ex Alberti libro de hiſtoria animalium, nihil unquam eos inepte, nihil non doctè ac ſapienter protuliſſe, unicuique in eorum lectione verſato manifeſtum eſſe poſſit. Et licet quidam poſtea, ut Burleus, Gerardus, Odonus Buridanus, Javellus, & alii, eorum veſtigia ſequi voluerint; iſtud nihilominus tam inæquali gradu, tam inæquali conatu, adeoque infelici ſucceſſu præſtitere, ut longè à tergo remanſerint in barbariei luto & fœtore una cum libris ad Nicomachum eo uſque ſepulti; donec renaſcentibus tandem melioribus literis, & ab expugnatione Conſtantinopolitana velut alteram vitam vivere incipientibus, multi etiam floruerunt, qui hanc reliquarum ſcientiarum felicitatem ad diſciplinam morum transtulêre: partim librorum Ariſtotelis nova interpretatione; ut Vatablus, Lambinus, Perionius: partim etiam commentatione; ut Faber Stapulenſis, rudior adhuc & nondum plenè maturus, & Argyropylus Byzantinus, cujus prælectiones Florentiæ habitas non abſque manifeſto plagii crimine ſibi poſtea vendicavit Donatus Acciajolus. Sequuti ſunt ipſos Joachimus Camerarius & Zvvingerus. A quorum lectione nemo unquam niſi doctior receſſit. Simon Simonius Lucenſis benè, & eruditè, ſed in primum tantummodò librum laboravit: ac Petrus demum Victorius, & Obertus Giphanius: qui reliquorum inſtar jure haberi poſſent, ſed tamen non abſque eruditis Scholiis diſertiſſimi Oratoris Marci Antonii Mureti.

Queis omnibus cum nullos meliores aut potiores ſubnectere poſſim, reliquum eſt, ut ad illos qui de Oeconomia ſcripſerunt levi paſſu me convertam. Totum verò iſtud negotium

longè

longè paucioribus, quam quod de moribus inſtitutum eſt, mihi abſolvendum eſſe cenſeo; cum quia facillimum eſt ipſi, qui ſe ad moralis diſciplinæ præſcripta compoſuerit, familiæ ſuæ modum ac regulam ponere; tum etiam, quia res ipſa minus arte valet vigetque, quàm experientia, & uſu, ac hominum legibus, moribus, & inſtitutis, circumſtantiiſque rerum, temporum & actionum particularibus, quas in artem vel methodum vix poſſibile ſit reducere; maximè, cum viri docti, & librorum ſcriptioni incumbentes, earum fermè omnium ignari deprehendantur; illi verò, qui frequenti exercitatione ſecreta Oeconomica penitiſſimè callent, ut ſunt plerumque Patresfamilias, Mercatores, Inſtitores, Avari, Senes, ac uno verbo homines lucro potius, quàm ſtudiis dediti, minimè omnium apti ſint quicquam de illis ſcripto committere; ut proinde mirum non ſit, quod præter Oeconomicum Xenophontis, & duos Ariſtotelis libros de domeſticâ doctrinâ, quibus fimbrias quaſdam attexuit Leonardus Aretinus, vix alius ex antiquis quidquam memoria dignum literis conſignarit; niſi forſan ad Geoponicos Auctores provocare velimus, Catonem, Varronem, Palladium, Columellam, Conſtantinum, & alios. Sed ipſi partem tantùm attigere, non totum; nec ipſam quidem adhuc integrè aut abſolutè. Nam licet Cato, verbi gratia, præceperit optimum Patremfamilias vendacem eſſe debere, haud emacem; non tamen admonuit, quid & quantum ac quo tempore vendere oporteat; quod erat tamen maximopere ſcitu neceſſarium. Unus autem noſtro tempore Ludovicus Septalius Medicus Mediolanenſis gloriam omnem retulit, quæ ex ejuſmodi tractatione ſperari poterat, edito pereleganti libro de re familiari; in quo ita minute

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ac diligenter cuncta proſequitur, ut telum ferme ſemper ad intima penetret: quemadmodum etiam feciſſe videmus Hieronymum Cardanum Medicum item ac Patricium Mediolanenſem, in ſuo Proxeneta, & libris de utilitate capienda ex adverſis. In quibus non modo occultas artes palam inſinuat, quæ hominibus congerendæ pecuniæ ſtudioſis familiares eſſe ſolent; ſed multa inſuper flagitia detegit ac docet, propter quæ ſatius illi fuiſſet, huic ſe Horatii præcepto obſequentem præbuiſſe,

——— Non tamen intus
Digna geri, promes in ſcenam, multaque tolles
Ex oculis.

Poſtquam igitur Auctorum ejuſmodi frequenti lectione meditationeque continua, imbutus plenè fuerit atque informatus animus moralium & œconomicarum virtutum documentis, gradum ſibi tutò viamque aperire poterit auſpicatiſſimam, ad Politicas diſſertationes eorundem, quos jam ſupra laudavi, Platonis, & Ariſtotelis: cum nullos habeamus vetuſtiores excepto Legiſlatore Sanctiſſimo Moſe, aut qui copioſius & majori arte ac doctrina gubernandæ adminiſtrandæque Reipublicæ formam nobis reliquerit librorum monumentis conſignatam. Quare ab uno Platone ſtatim incipiendum eſt, qui Dialogis ſuis de legibus, & de Republica præclarè omninò regnum & Rempublicam inſtituit, adeoque moribus, & inſtitutis Chriſtianæ fidei convenienter, ut Divus Thomas in opuſculo de regimine Principum, Platoniſmum in Republica deſideret. Ab illo verò licet omnia fermè mutuatus fuerit Ariſtoteles; neſcio tamen quomodo ſic iſta ſibi propria fecit, Magiſtri ſui rationes præcipuas aut clarius ac facilius proponendo, aut ſubtiliter & acutè refellendo: ut non minus in

iſtis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

iſtis quàm in cæteris operibus ſuis manifeſtum feciſſe cenſeatur, quantus ipſe Philoſophus fuerit, quam elegans ſcriptor, quam acutus, quam aptus ad docendum, quam copioſus, quam rerum omnium cognitione refertus. Et verò licet communi graviſſimorum virorum ſententia, multa ſcripſiſſe dicatur, partim difficilia atque obſcura, partim etiam à noſtris temporibus & moribus aliena; nulla tamen mihi videtur eſſe in eo difficultas, aut obſcuritas, quæ non improbo labore, & acri ſtudio, ac crebra lectione pervincatur. Si qua autem à noſtrâ conſuetudine in his libris videntur abhorrere, pauca certè ea ſunt, & quæ ingenioſus & prudens Lector ad hæc tempora, atque ad uſum noſtræ Reipublicæ facili negotio accommodare poſſit, modo tamen apud ſe reputet, non hunc ſolis modo prudentibus, quemadmodum Platonem; ſed cautis etiam atque aſtutis viris, quales eſſe debent, qui rerum gubernaculis admoventur, politicam ſuam ſcripſiſſe. Ipſius igitur octo libri ſedulò evolvendi ſunt, cum duobus Cyriaci Strozzæ, quibus nobilis ille Florentinus idem in politicis Ariſtotelis conatus eſt, quod Leonardus Aretinus in Oeconomicis ejuſdem, ac Maphæus Vegius in Virgilio, & Sulpitius Verulanus in Lucano. Sed quemadmodum nullus pictorum ea felicitate potuit Veneris effigiem abſolvere, quæ ab ipſo Apelle incœpta primum fuerat atque delineata, ita profectò immane quantum ipſi ab iſtis auctoribus diſtent, quos ſibi ad imitandum propoſuêre. Legendi tamen ſunt, atque etiam laudandi: quia quantum in ipſis ſitum fuit, rerum pretioſiſſimarum jacturam ſarcire conati ſunt, & deſideriis noſtris cumulum imponere. Jam verò primipilos illos & capitales viros plurimi certè ex Antiquis ſequuti ſunt, ſed omnes fermè invidioſa vetuſtate, &

Barba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Barbarorum inſidiis, illacrymabiles urgentur, ignotique, excepto uno Cicerone, cujus librorum ſex de Republica, quos ſe in ſecundo de divinatione compoſuiſſe fatetur, jactura æternum nobis lugenda eſt, utpote cum extincta ſimul fuerint tot oracula, quæ ab homine eloquentiſſimo, & ſapientiſſimo, qui tam diu Reipublicæ Romanæ clavum gubernaverat, non niſi veriſſima certiſſimaque poterant expectari. Unde ſi Ariſtoteles ipſemet in libris de cœlo, ad Hipparchum & Eudoxum aſtronomos libenter provocat; ſi Divus Auguſtinus Oroſium laudat in Paganorum hiſtoriis; ſi Origenes ad Huilium Hebræum recurrit in loci cuiuſdam Iſaiæ explicatione; & ſummus Pontifex Hilarius contentionem de tempore Paſchatis celebrandi, uni Victorio Britannico terminandam proponit, ea ſolum lege, quod optimo cuique & in arte ſua verſatiſſimo credendum eſt; unuſquiſque jam per ſe ſatis exiſtimare poteſt, quantum ab omnibus uni Tullio concedendum fuiſſet Politicas leges, & axiomata dictanti, cum non equidem, ut Ariſtoteles & Plato, ac cœteri, qui de Republica dixerunt, id tantum quod probabilius eſſe videtur, & rationi magis conſentaneum, ſequutus fuerit, ſed experientia ipſa edoctus, nobis eleganter præceperit, quid ex doctrina vel uſu foret in publica rerum adminiſtratione. Minus certè habet ipſe Plutarchus, quod de temporis edacitate conqueratur: cum ejus præcepta Politica ex illo tam inſigni bonorum auctorum naufragio enatarint, valde quidem illa ſedatæ, ac compoſitæ doctrinę; at genium auctoris, graviſſimo judicio, ac moderatione temperatum, præ ſe ferant. Superſunt quoque Heraclidis fragmenta de Politiis, & aliorum opuſcula quædam, ſed vix tanti ea ſunt, ut magna ex ipſorum lectione utilitas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

litas ſperari debeat. Quare ſi ordinem temporis ſequamur: unus ſe poſtea offert, Averroës: cujus liber de Republica editus eſt una cum Robortelli diſceptatione, & Franciſci Philelphi de eadem re libris, qui priſcæ gravitatis imaginem redolent nitore ſtyli, & argumentorum præſtantia; quod idem judicium ferendum eſt de Republica elegantiſſimi juxta Oratoris ac Poëtæ Hieronymi Vidæ; niſi quod tanta rerum copia ac varietate non luxuriat; diffuſus in quærendo, vitane publica privata ſit præſtantior; in cæteris ſiccior ac jejunus. Eodem fermè tempore Franciſcus Patricius Senenſis Farraginem quandam exemplorum ſub Reipublicæ titulo, puerorum credo uſui ac chriarum in Scholis compoſitioni, evulgavit: tantum diſſimilis alteri Franciſco Patricio Romano, qui non nihil pariter de hac re inter opuſcula juvenilia protulit; quantum noctua Aquilæ, aut anſer diſpar eſt olori. Fritſius & Simanca adminiſtrationis Chriſtianæ potius quam Civilis formam nobis propoſuerunt. Primus quidem ſermone caſtigato, decenti ordine, nec infimo ſpiritu, quorum omnium, ac judicii præterea, alter fuit pauperrimus. Neque aliter profecto cenſendum eſt de duobus aliis, qui hoc ipſum munus explicandæ Politicæ Chriſtianæ, vulgari Gallorum lingua, ſuſcepere. Molinerius ſiquidem presbyter Tholoſas, lectorem ſuum catenulis eloquentiæ, vel nolentem etiam, quocunque vult trahit, ac mulcedine quadam vehementer reficit atque recreat. Joannes verò Frater Lavallenſis, licet mole voluminis grandior, ſenſus tamen integritate ac verborum ornatu deſtituitur:

Nec eſt in tanto corpore mica ſalis.

Memini etiam me aliâs librum quendam evolviſſe, Pariſiis ni fallor editum in chartæ forma expan-

expanſa, & majori; in quo vernacula item lingua Politica Moſis explicabatur, tanta profectò exactiſſimi judicii copia ac ſententiarum luce, ut quilibet emunctæ naris Politicus nunquam melius temporis rationem, quàm in ipſius diligenti lectione, collocare poſſit. Quo fit, ut ſilentio lubens prætermittam librum ſub eodem fermè titulo à Caſtalione editum: quoniam ipſe inter auctores refertur damnatæ lectionis, &, hoc opus Græco ac Latino ſermone in puerorum tantummodò gratiam ſe compoſuiſſe, primo ſtatim in limine teſtatur: ab iſtis autem omnibus Syndromis, quaſi lampadem per manus accepiſſet. Nicolaus Bieſius, Medicus Lovanienſis, ſtudium etiam iſtud decurrere tentavit; ſed non eodem prorſus fato curſum ſuum abſolvit, quo Antilochus apud Homerum, ὅς τοὺς νέους ποσί πάντας ἐνίκα· meliuſque ſibi conſuluiſſe videri poſſet, ſi quemadmodum fecit alter Medicus Tholoſas Augerius Ferrerius, ſola librorum de Republica promiſſione, non autem editione, Politici famam ſibi quæſiviſſet: moroſus ſiquidem eſt in hoc non minus certè, quàm in operibus Medicis: nec præter tædium quidquam in legentis animo relinquit. Copioſior extitit Gregorius Tholoſanus, ac magis ex arte ſcribens, quia Juriſperitus: deſiderantur tamen in eo modus, quem ſibi præſcribere non potuit eruditione vulgari luxurians; & majeſtas, cui non magis indulſit quàm judicio, dum omnia ingerit, & pauca digerit: cæterum valde utilis eſt, & diverſa in ſe continet, propter quæ theſauri inſtar haberi poſſit, ubi meliorum auctorum gemmas ac preciosam variæ doctrinæ ſupellectilem poſſis invenire. Verum enimverò licet hi omnes ſuperius enumerati multa conati ſint; ac Paulus etiam Paruta, flos Venetæ nobilitatis, & ſubactæ decus eru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

eruditionis, præclarum lingua ſua patria librum ediderit de vita Politica, quem in noſtratem tranſlatum habemus; nullus tamen jaculum extra metam expedivit excepto Joanne Bodino, cui uni tantum cæteri concedunt, quicunque unquam de Republica libros edidere,

Quantum lenta ſalix pallenti cedit Olivæ.

Nec immeritò ſanè: cum animum inquietum ac vaſtiſſimum quem acceperat à natura, tàm pertinaci ſtudio, tàm inexhauſta doctrina, tàm admirabili judicio excultum ad rerum omnium comprehenſionem attulerit, ut ſuperatis linguarum penè omnium ac ſcientiarum difficultatibus, non modò naturæ theatrum novis rationibus extruxerit, ſed regnorum, quotquot in mundo conſtituta fuere, ſpecies, leges, inſtituta, arcana denique & virtutes ac vitia in ordinem ſapientiſſimè reduxerit, ac velut phœnix unicus ſui ſeculi, ſe ipſum tandem conſumpſerit in contemplatione altioris illius ſapientiæ, cujus ſecreta revereri potiùs ac admirari debuiſſet, quam ipſa in medium & examen, velut reliqua, omnia vocare. Sane quantum ad ejus Rempublicam ſpectat, fatendum eſt, opus eſſe elaboratum ingenio, expolitum induſtria, perfectum judicio, & ita numeris omnibus abſolutum, ut qui ab ipſo diſceſſerit, haud diſſimilis videri poſſit nautis illis antiquioribus, qui neglecta vel ignorata Cynoſuræ præſtantia, navigationis ſuæ curſum ad avicularum quarundam placitum dirigebant, ſæpiuſque per cautes & ſaxa præcipites ferebantur. Scio equidem, Fabium Albergatum hominem Italum, & Serrium, ac Augerium Ferrerium, Gallos, magnis conatibus, & libris ad id conſequendum editis, periculum illi ac ruinam intentaſſe: ſed eventus docuit eundem fuiſſe iſtius pugnæ eventum, quem Pygmæorum cum

Her-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Hercule: ut non jam ad miniatas alicujus Attici aut Hyperattici ceras trepidare debeat, ſed ad Eccleſiæ ſolius judicium; cujus cenſuris quoniam vehementius urgetur, quàm inimicorum argumentis, hinc eſt, quod ipſius libri evolvi minime debeant, niſi obtenta prius & hunc & quoſlibet auctores politicos legendi facultate. Atque hi ſunt fermè omnes, quantum memoria recordari poſſum, ex quorum libris cuncta peti debent, quæ magis præcisè ad Rempublicam ſpectare videntur. Quicquid enim poſtea vel à Juſto Lipſio, vel à Timplero, aut Keckermanno ſuperadditum eſt, ſtyli potiùs, aut facilioris methodi occaſione, quam rerum novitate, commendatur. Quamvis hoc unum prætermittere non debeam, ὀυφανταστώτυς videlicet quoſdam extitiſſe; qui veræ alicujus ac perfectiſſimæ Reipublicæ formam aut potius ideam nobis exprimere voluerunt: ut ſaltem exemplar aliquod reperiretur ejus, quod in hoc genere optimum eſt, & ad quod, ſi res omnes ex æquo & bono procederent, convenientiſſimum eſſet publicas regnorum adminiſtrationes inter homines componi; eodem ſanè voto, quo Galenus ſanitatem omnibus numeris abſolutam depinxit; Fernelius corporis temperiem, æquis ex utraque parte contrariorum perfectiſſimè libratam ponderibus; Xenophon Principem, Cicero Oratorem, & Divus Paulus Epiſcopum; nimirum ut ipſa veriſſima & primigenia recti ſpecie ob oculos continuò poſita exiſtente, quidquid in ectypo vitioſum eſſet, facilius dignoſceretur emendareturve. Primus verò qui talis imaginariæ Reipublicæ formam ſcriptis conſignarit, fuit doctiſſimus ille ac omnium calculis ſapientiſſimus habitus Thomas Morus, Præfectus ſacris ſcriniis, ſeu Princeps ſcribarum in Anglia. Cujus Utopia tam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tamdiu vivet & habebitur in pretio per manus hominum, quamdiu Juſtitia ipſa ac modeſtia & pietas non omninò in ipſorum animis & affectibus exulabunt. Secundus ab ipſo fuit Thomas Campanella, ardentis penitus & portentoſi vir ingenii. Qui dum in tenebris & pædore carceris vitam traduceret, civitatem Solis delineavit: ea cogitationum novitate & ſublimitate ſenſuum, ut præter philoſophicas ſpeculationes, multa etiam contineat, queîs Reſpublicæ tutius adminiſtrari poſſent, & homines ipſi meliores evadere. Ultimum verò, Angli neſcio cujus, Mundus Alter & Idem, non ita dudum prodiit; aut verius Satyra adverſus depravatos præſentis ſeculi mores; in quo dùm ſingulas ſtationes ſingulis vitiis aſſignat, genteſque illas incolentes ac loca ipſa contorticulatis ingenioſè fictiſque ex cujuſque rei natura vocibus appellat; non ineptè meo judicio Poneropolim inſtituit, quæ ad hilaritatem non minus homines excitare, quàm ad virtutem inflammare poſſit. Licet autem de commentatoribus Politicorum Ariſtotelis & Platonis nondum quidquam dixerimus, ipſi tamen in eorundem librorum lectione diligenter evolvendi ſunt, ut ſalebræ, ſi quæ in illis reperiantur, feſtinantibus minus officiant, omniaque facilius & clarius perſpiciantur, obſcuritatis depulſa caligine. Ex antiquis tamen neminem laudare poſſum, qui hoc munere defunctus ſit, cum, præterquam unius Divi Thomæ, nullius unquam vetuſtioris Libros præ manibus habuerim, ipſe verò, ut in cæteris operibus Ariſtotelis, ſic præſertim in iſtis more ſuo fecit, & ex interpretatione neque bona neque vera, bonam tamen & veram ſententiam elicuit. Succeſſit illi in eodem opere expoliendo Nicolaus Oreſmus Archiepiſcopus Bajocenſis: qui illud una

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

cum libris Ethicorum, diſcipuli ſui Caroli Quinti, cognomine Sapientis, votis obtemperans, in Gallicum ſermonem eodem modò tranſtulit: quæ multa nihilominus continent & reconditæ & liberioris doctrinæ: ambo tamen ipſius libri difficillimi ſunt inventu, ac propterea curioſis plurimi nunc æſtimantur: quia ante centum & viginti annos Pariſiis editi fuerunt, charactere Longobardico, & rudi prorſus atque incondito ſermone. Paulò poſt etiam Johannes quidam Buridanus celeberrimi nominis Sophiſta, ſuas in libros Politicorum quæſtiones evulgavit; ſed nugaces ac ineptas, ut ejuſmodi Scholaſticorum fermè omnia. Vulgavit & Faber Stapulenſis Commentarium ſimilem omninò huic alteri, quem ipſum in Libros Ethicorum compoſuiſſe ſuprà diximus. Sed vix ac ne vix quidem ipſorum conatibus quidquam promovebatur, niſi ſuppetias Ariſtoteli veniſſent celeberrimi interpretes ſupra jam aſſignati: & Geneſius Sepulveda Hiſpanus; cujus verſionem atque notas, ut quiſque erit ingenioſior, ita pluris ſemper æſtimabit: nec non etiam commentatores præcipui Camerarius & Giphanius; qui nihil unquam ineptè moliti ſunt: & à quibus parum diſcedunt Antonius Scainus Salodienſis; & Tarquinius Gallutius Societatis Jeſu Presbyter eloquentiſſimus; Qui tàm eruditè priores quinque libros Politicorum interpretatus eſt, ut polymathia ceteros omnes facilè vincat atque exſuperet. Sed qui Danielis Heinſii paraphraſin unà cum editis è regione Zvvingeri & Petri Victorii Commentariis ſibi ad diſcendum & evolvendum proponet, is rectè, meo quidem judicio, & doctrinæ facilitati videbitur, & ſtudiorum præterea ſuorum utilitati conſuluiſſe. Ad Platonem verò quod attinet, tres, quos noverim, commentato-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

res ſolummodo nactus eſt: Antonium nempe Montecatinum, qui libros de Republica Platonis & Ariſtotelis diexodicis notis, tabulis, diſtinctionibus explicare conatus, nunquam neque ſibi neque Lectori ſuo ſatisfecit: & Sebaſtianum Foxium Morzilium, qui multa paucis; ac Pompejum Garigliauum, qui pauca multis complexi ſunt: utriuſque verò libros, Platonis videlicet & Ariſtotelis, Ludovicus Regius, Heinrici Secundi Galliarum Regis Aulicus, Græcè ac Latinè eruditiſſimus, ornatè primum in linguam noſtram tranſlatos apparere fecit, eoſdemque demum tanta doctrinæ copiâ, & exemplorum apparatu nobiliſſimo, illuſtravit, ut licet gravitate cæteris ſit inferior, varietate tamen atque uberrimo fructu, qui ex ipſius lectione percipitur, veniat inprimis commendandus.

Atque hæc eſt auctorum Palæſtra, hæc Schola, in qua Tyrocinium ſuum ponere debent, quicunque Præſidiis univerſalibus & maximopere neceſſariis ſuffulti, ad penitioris doctrinæ Politicæ intelligentiam pervenire ſtudent. Omnia ſiquidem in illis habentur fusè ac diſtinctè pertractata; de fundamentis ac principiis communibus Societatis humanæ, de Rerumpublicarum ſpeciebus legitimis, ac ſingulis ipſarum depravationibus, de Populi, ſeu Democratiæ; Optimatum, ſeu Ariſtocratiæ; unius, ſeu Monarchiæ legibus & inſtitutis; de Imperiorum ortu, incremento, converſione interitu; de officio Principis & ſubditorum, de jure Belli ac Pacis, de Magiſtratuum electione, vectigalium impoſitione, & rebus denique cæteris, quarum jugi & continua meditatione viam ſibi ad reliquas difficultates munire debent, qui ſeriò deſiderant in publica rerum adminiſtratione verſari. Ubi vero iſtis præceptis plenè imbuti atque inſtructi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

fuerint politicæ doctrinæ ſtudioſi, debent omnino, ſi facilius velint reliquas ejus difficultates emetiri, quædam ſibi velut ſumma rerum capita conſtituere, ad quæ poſtea cætera omnia referre poſſint, quæ in tanta diverſorum auctorum confuſione ac incredibili propemodum quantitate huc & illuc diſperſa continentur: eo quidem fine, ut cum iſtorum aliquod magis cognitu neceſſarium ſe offeret, indicem ſimul habeant librorum & auctorum, quos, plenioris doctrinæ ac informationis gratia, operæ tunc precium erit diligenter conſulere. Ejuſmodi autem ſumma capita, vel negotiorum eſſe poſſunt, de quibus in adminiſtratione politica ſæpius pertractatur; vel perſonarum, quibus illa committuntur; vel tandem auxiliorum, queis ſingula melius ac facilius perficiuntur. Negotia ipſa, aut ſunt de Reipublicæ adminiſtratione tam ordinariâ, quàm extraordinariâ; aut de Religione; aut de Confœderationibus; aut de bello & pace; aut de prærogativis & Ceremoniis Principum inter ſe; aut de commercio, vectigalium impoſitione, civitatum incrementis, & diſſidiorum, quæ inter nobiles oriuntur, compoſitione. Iſta enim ſunt quæ potiſſimùm Legibus Politicis adminiſtrantur: reliqua, vel minus digna cenſentur conſideratione, vel Juris prudentibus, aut aliis Magiſtratibus, relinquuntur pertractanda. Perſonæ verò non poſſunt eſſe niſi Principis Conſiliarii, Legati; aut ejus, qui illis omnibus inſervit ab Epiſtolis ſecretioribus, quem propterea Scribæ vel Secretarii nomine vulgò appellant. Auxilia demum vel unicuique ejuſmodi perſonarum determinatè conveniunt, vel omnibus ſimul poſſunt eſſe utilia.

Omnis igitur Regnorum ac Statuum adminiſtratio politica, quam ordinariam meritò dicere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

cere poſſumus, quamdiu ipſa vel æquitatem præ ſe fert, vel æquitatis ac Juſtitiæ ſpeciem ſaltem aliquam prætendit, quo facilius, Lavernæ inſtar Horatianæ noctem peccatis, ac fraudibus nubem, objiciat, tria ſibi proponit, ad quæ cætera omnia ejus placita & ſtatuta, tanquam ex deſtinato, collineent; nempe ſtatum naſcentem exorientemque firmare; ſtabilitum conſervare; & labentem ſuſtinere ac reficere. Queis tribus arte ingenioque abſolvendis varii auctores auxilio eſſe poſſunt. Ac primò quidem & ultimò, duo noſtrates, Luſingeus & Duretus, qui proprio idiomate multa & egregia dixerunt de ortu imperiorum, ac eorundem ruinis & interitu: nec non etiam Ludovicus Regius in libro ſuo item Gallico; quo rerum omnium viciſſitudines, ac ætatum & regnorum converſiones, jucundiſſima exemplorum varietate proſequitur. Superioribus quoque annis prodiit Venetiis cujuſdam Itali liber eadem de re fusè pertractantis: verùm quo Genio, aliorum eſto judicium, quibus ille notior eſt, quam mihi. Sed neque contemnendi ſunt Methodius, qui de ortu & occaſu Imperii Romani eleganti libello ſapienter admodum diſſeruit; nec etiam Lazius, ac Bozius; quorum hic de ruinis gentium; ille verò de populorum migrationibus, prolixas commentationes edidêre; ex quibus diverſa ſimul conſtitutionis ac deſtructionis Regnorum exempla haberi poſſunt. Conſervandæ autem ſeu adminiſtrandæ Reipublicæ præcepta, Syneſius quidem in oratione ad Arcadium Imperatorem; Iſocrates in ea, quam ſcripſit ad Nicoclem; Agapetus Diaconus in Libello ad Juſtinianum; Dio Chryſoſtomus, Herodes Sophiſta, Themiſtius, Ariſtides Rhetor, & Maximus Tyrius, paſſim in ſuis orationibus complexi ſunt; ſed omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tanta fide atque integritate iſtud præſtiterunt, ut eorum monita Legibus Platonis citius, quàm ſeculi noſtri moribus conformia videri poſſint. Quare rationi magis conſentaneum erit, Italos quoſdam recentiores conſulere, qui libros de ratione ſtatus, ut iſthæc illorum verba, Raggion di Stato commodius exprimam, non invitis equidem Muſis, aut Apolline nullo, compoſuere. Inter quos Joannes Boterus, qui & ingenio fuit admodum facili, & ad Politicas diſſertationes nato, rem omnem primus, quod ſciam, ordine & methodo præclariſſimâ diſtinxit; quam poſtmodum Hieronymus Frachetta nimia ſua diligentia ac collectionum mole fermè obruit; medium verò tenuêre Gabriel Zinarus & Ludovicus Septalius; quorum hic, licet profeſſione Medicus, nihil tamen de Politica ἀπροσδιόνυσον ſcripſiſſe jure merito cenſeri poteſt. Adeò cuncta, quæ dicit, ab exquiſito judicio, & abſoluta civilis adminiſtrationis cognitione videntur profecta. Quod unum etiam ſperandum eſſe moneo de Politica doctrina, quam nuper accepi Scipionem Claromontium typis penes ſe præparatam habere: quandoquidem homo ipſe eſt ſolidæ eruditionis, ac magnæ & plerumque pertinacis ſuis in compoſitionibus diligentiæ. Utcunque autem Reipublicæ adminiſtratio extraordinaria totidem pariter capitibus abſolvatur; pauci tamen hactenus reperti ſunt, quibus robur & æs triplex circa pectus eſſet, ut de præceptis ac mediis legitimis, quibus unumquodque illorum ad finem perducatur, aliquid memoriæ publicæque hominum luci cum ratione & methodo committerent. Quamvis enim Clapmarius libro ſuo de Arcanis Imperiorum onus iſtud lubens in ſe receperit; nihil minus tamen, quam quod ipſe promiſerat, exſequitur; dum ſolius

tantùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tantùm adminiſtrationis ordinariæ leges in medium adducit. Adeò proclive eſt literarium pelagus emetientibus, in hanc cenſuram, velut in Scyllam ac ſyrtes periculoſiſſimas impingere, dum titulo tenus magnifica de ſe multi jactitant & promittunt.

Amphora cœpit
Inſtitui; currente rota cur urceus exit?

Politicus verò Florentinus, licet axiomata fermè omnia iſtius adminiſtrationis, concluſioneſque præcipuas ſuis in operibus paſſim diſſeminarit; quia tamen ſubtiliores Philoſophos imitatus eſt, qui inter diſputandum plura ſupponunt, quam probent; aſtuti & temerarii famam potius, quam prudentis ſibi conciliavit: multorumque adverſus ſuam doctrinam pennas acuit: quarum acumen retundere non ita forſan in caſſum Gaſpar Scioppius proximis annis conatus eſt, edito Romæ de pædia Politica cultiſſimo doctiſſimoque libello. Cui uni plus ineſſe bonæ mentis ac judicii, quam reliquis ejus operibus, æquiſſimi certe librorum cenſores haud immerito exiſtimavere. Quare cum idem prorſus judicium de Cardani ſapientia ferendum ſit, neminem profecto laudare poſſum, qui de hac adminiſtratione quidquam rationibus Philoſophicis innixum, Politiciſque regnorum ac Principum exemplis illuſtratum, ſcriptis conſignarit, præter Federicum Bonaventuram nobilem Urbinatem; qui nuſquam exhauſtus, tot ingentium voluminum de Ventis & Octimeſtri partu compoſitione, Politicam etiam, aut verius publicæ adminiſtrationis rationem, typis edendam curavit. In qua, ut nihil dicam de maximo ejus ingenii acumine, & ſingulari rerum cognitione, quibus inchoatę ſcriptionis dignitatem mirifice ſuſtinuit; certe validiſſimis rationibus oſtendere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

conatus eſt, rationem illam extraordinariam publicæ adminiſtrationis non aliter definiri poſſe aut debere, quam Conſilium optimum de rebus ad majorem Reipublicæ utilitatem ſpectantibus, abſque alterius rationis conſideratione. Ex illa ſiquidem definitione, quam variis poſtea argumentis confirmarunt, ejuſdem Bonaventuræ nepos meritiſſimus Iulius Veteranus in Epiſtola ſua ad Ludovicum Septalium, & Titus Cornæus in Politica tractatione, quæ Urbini cum infinitis aliis codicibus manu exaratis ſtudioſe conſervatur: ex hac, inquam, definitione, & auctor ipſe campum ſibi aperuit ampliſſimum, ut de variis rebus diſſereret, quæ ad ſecretiorem illam politices pædiam ſpectare videntur; & unuſquiſque tantum ex illo ſumere poteſt, quantum illi opus erit ad tutius & copioſius philoſophandum de veris Rerumpublicarum arcanis: de quibus & nos contractionem illam anno ſuperiore accuravimus, quam aliquando politicæ doctrinæ ſtudioſis haud ingratam fore injucundamve confido.

Perceptis autem communibus iſtis cujuſlibet ſtatus adminiſtrandi Legibus, ad illas continuo deveniendum eſt, quibus Reges ipſi, ac Principes, Terræ gentes inter ac nationes, quibus imperio præſunt, divinitatis cultum aliquem ſtabilire, & merito quidem, conati ſunt; cum hoc unum ab omni temporis memoria perſuaſum hominibus fuerit, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores, Deos; &, quæ geruntur, eorum geri ditione atque numine, eoſque optime de genere hominum mereri; &, qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat Religionem, intueri, Piorumque & Impiorum habere rationem. At vero, cum ejuſmodi leges, & divinarum rerum conſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

conſtitutiones, variæ ſemper in variis mundi partibus, & antiquitus quidem, extiterint, & nunc etiam non magis, quam olim, inter ſe conveniant; non raro etiam accidit, ut zelo ac æmulatione pietatis, diſſidia quædam & internecinæ quæſtiones de illis exoriantur:

Dum numina vicinorum
Odit uterque locus, dum ſolos credit habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit.

Quibus certe compeſcendis dirigendiſque ad finem Religionis Chriſtianæ præceptis ac inſtituto conſentaneum, ſane haud neceſſe erit, diverſas inter ſe Religiones committere; quemadmodum non ſine diſpendio veræ pietatis ſuperioribus annis fecere, Petrus de Alliaco Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis, in opuſculo quodam aſtrologico de tribus ſectis; Hieronymus Cardanus in libris ſuis de ſubtilitate; & Ioannes Bodinus, compoſito, ſed nondum edito, (atque utinam nunquam edatur,) de rerum ſublimium arcanis ingenti volumine; quod equidem, Ieſuitam Poſſevinum non perperam de ipſo judicium tuliſſe, argumento eſſe poteſt validiſſimo certe manifeſtiſſimoque: Verum oportet Religionum omnium principia communia, & ſingularum inter ſe perſuaſiones proprias, apprime intelligere, ut, cum noſtra quibuſdam in locis ſtabilienda aut confirmanda venit, aliarumque cognitio neceſſaria eſſe quacunque tandem de cauſa videtur, habeat in promptu Politicus nonnullos auctores, quorum lectione de ſingulis informatus, omnia poſtmodum, quę in tali caſu fieri debent, ſapientius præſcribat, conſiliumque ſumat rebus ipſis ac intentioni ſuæ convenientiſſimum. Tales igitur eſſe poſſunt quatuor libri de orbis terræ concordia Guillelmi Poſtelli Barentonii. In quibus ferme

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſolis, nihil ineptum aut quod ridiculum non eſſet, immiſcuit, ſed univerſam Religionum omnium informationem inſtituit; noſtramque præſertim, rationibus tam propriis, quam ex aliarum confutatione deſumptis, valde quidem acute ſubtiliterque confirmat & ſtabilit. Idem auctor in tribus Libris de Republica Turcarum, quos nondum pariter luxata mente compoſuit, Religionis Mahometicæ Summam, nihil quidquam vel minutiſſimarum ejus Ceremoniarum prætermittens, complexus eſt. Quemadmodum etiam noviſſime fecit nobilis quidam Gallus, nomine Bauderius, libro ad hoc unum, magno quidem politioris linguæ noſtræ apparatu, ac lectionis varietate, peculiariter deſtinato. Ut ex ipſius, ac gemino Poſtelli Volumine, promptum ſit omnibus, qui propter Eccleſiæ cenſuras ipſiuſmet Muhamedis Alcoranum ac Sunam legere non poſſunt, quicquid ad ineptas Muſulmanorum ſuperſtitiones attinet, facili negotio percipere. Quamvis multum præterea juvari poſſint relationibus epiſtolicis præclariſſimi Viri Augerii Busbequii, & libellis Ricoldi ſeu Richardi Monachi, ac Ioannis cujuſdam Andreæ; qui propterea in omnes linguas habentur tranſlati: quoniam vel ipſius Poſtelli judicio cæteris omnibus præferri debent, quicunque conati ſunt Turcicæ Religionis fundamenta validiſſimis rationibus convellere. Iudaicæ vero notitia, quoniam ex Veteri Teſtamento diverſiſque ejus Librorum interpretibus nobis abunde ſuppeditatur, hoc unum ſolummodo requirit, ut, quoties ejus refellendæ ſeſe offeret occaſio, & antiqui Eccleſiæ Patres, quorum multi præclare admodum in hoc negotio verſati ſunt, in conſilium advocentur, & præter illos Lyranus, Samuel Riccius, & Hieronymus de Sancta fide; qui omnes,

linguæ ſanctæ cognitionem ab incunabulis ac inter Iudæos ipſos viventes edocti, diverſaque Rabinorum lectione informati, non mediocrem ſane gloriam, licet ex mediocribus Libris, retulere; non ſecus profecto quam ex Majoribus poſtea fecerunt Philippus Mornæus, auctor alioquin cæteris in operibus lectionis improbatæ; ac Coſtus, & Delfinius; omniumque, ut majori conatu, ſic etiam feliciori eventu, Petrus Galatinus Monachus ex ordine ſancti Franciſci; aut potius Raimundus Sebondus profeſſione Medicus, cujus, præter libros de Theologia naturali, duo inſuper volumina ingentia in Collegio Fuxenſi Tholoſano etiamnum hodie ſub titulo Pugionis fidei conſervantur. Ex quibus, ſi Ioſepho Scaligero fides eſt habenda, omnia ſua hauſit & tranſcripſit Galatinus, diſſimulato ipſius Sebondi nomine; non tam propter acerrimum, quod ſemper extitit inter Dominicanam familiam & Franciſcanam, odium, quemadmodum maligne cavillatur Scaliger; & fortaſſis etiam imperite; quam ut eruditum iſtud opus acceſſione quadam augeret & ſibi vendicaret locupletatum ita atque expolitum. Quod equidem utrum à Galatino factum fuerit, & an iſta, aut alia ratione, tuum eſt omnino ſtatuere, eruditiſſime Gaffarelle; qui Linguæ ſanctæ difficultates omnes grallatorio paſſu ſuperaſti; & plures ac meliores in ea libros evolviſti, quam quivis alius eorum, qui nunc ſunt non dicam tantum ætate tibi ſimiles, ſed etiam profeſſione. Iudaicæ vero Religioni ac Mahometicæ Chriſtiana ſuccedit, ætate quidem inter illas media, ſed nobilitate dogmatum, ac eorundem certitudine, longe omnium præſtantiſſima, & ſola ac unica de cujus veritate dubitare non liceat abſque flagitio. Verum enimvero, cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

infidelibus ac Paganis eadem lex lata non fuerit, arbitror ego, hanc ipſis non incommode, quoties opus erit, ſuaderi poſſe, rationibus, quas habent Cicero Chriſtianus, ſeu mavis Lactantius, in libris divinarum inſtitutionum, Tertullianus in Apologetico, Minutius Felix in Octavio, Arnobius adverſus Gentes, Theodoretus de Græcanicis affectionibus, Salvianus in libris vere aureis de providentia, & Doctor Angelicus Sanctus Thomas in ſumma contra Gentes: quæ omnium inſtar jure merito haberi poſſet; adeo ferax eſt ſenſuum, rationum, ſubtilitatis, & doctrinæ. Nec minimum quoque auxilii repoſitum eſt in Libris de providentia Thomæ Bradvvardini; quoniam in illis pari ferme cum Divo Thoma ſubtilitate & rationum pondere procedit; ut etiam in Triumpho Crucis Hieronymi Savanarolæ, & in libris de Religione Chriſtiana Marſilii Ficini, & Ludovici Vivis. In quibus licet magis latine, non minus tamen ad rem appoſite locuti ſunt. Iſtorum vero Labores excepit Auguſtinus Steuchus Eugubinus: qui, dum infideles ipſos propriis armis atque auctoritatibus jugulat, plurimum & ipſe negotium fidei promovit. Quod ſimilibus doctorum virorum argumentis comprobandum eſt; non autem obſervationibus aſtrologicis Petri de Alliaco; aut naturalibus Lullii & Sebondi; aut denique philoſophicis Petri cujuſdam Montui: quandoquidem intempeſtivæ ſunt illæ nugæ, ac futiles argutiæ, cum ea de re tractandum eſt, quæ merito cenſetur omnium eſſe graviſſima. atque in hoc delectu maxime ſe prodit hominis prudentis ac politici judicium. Sed, cum negotii & faſtidii vim ſemper maximam, vel ab Eccleſiæ naſcentis exordio, Hæreſes ipſæ, Chriſtianæ paci & tranquillitati è directo contrariæ, attule-

tule-

tulerint, dum Civitates ac Nationes, inter ſe committendo ipſas, plerumque in manifeſtum diſcrimen adducunt, totque calamitates excitant, ut earum incremento totis ſe quamprimum viribus oppónere conſultiſſimum judicetur, quemadmodum optime à Ludovico Regio demonſtratum eſt, in libello, quem patria lingua compoſuit de diſſidiis & bellis maximis propter Religionem excitatis; ſane, ad hoc unum facilius & commodius exequendum, non mediocriter opinor juvabit, priſcorum quidem Hæreticorum fraudes, ingenium, ac erronea dogmata, ex Divo Hilario, Philaſtrio, Perpiniano, & Alphonſo Caſtrenſi, deprehendere; Pelagianorum autem maxime ex Voſſio, cujus Liber appendicis loco eſſe poteſt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Lutheranorum, ex Florimundo Raimundo, ac ejus continuatione Pariſiis edita, ſed abſque auctoris nomine; quoniam multum ſe Raimundo inferiorem exhibuit eloquentia, judicio atque diligentia. Utile etiam erit, Caſſandrum evolvere, qui tot lites aperte quidem componere tentavit, licet majori pietate quam ingenio; & Melchiorem Canum, qui hoc idem, ſed occulte, conatus eſt, ingenio majori, quam pietate, ac propemodum admirabili judicio. Vix enim poteſt imaginatio conſequi, quantum auctorum ejuſmodi lectione, Politicorum mentes acuantur, excitenturque ad ſaluberrime de rebus iſtis conſulendum, quibus non unius aut alterius hominis modo, ſed univerſæ plerumque Reipublicæ ſalus & belli paciſque momenta continentur.

Maximi quoque habentur in rebus Politicis Confœderationes, junctæque cum vicinis aut potentioribus populis amicitiæ, quoniam illæ, ſeu ad hoſtem propulſandum irruentem, ſeu ad mercium

mercium permutationem, aut quavis alia tandem de cauſa inſtituantur, non poſſunt ſane non exiſtimari publicis Regnorum ac Principum commodis valde ſalutares ac neceſſariæ. Quamobrem hoc unum maceror, hoc unum doleo, quod auctores illos in numerato non habeam, qui forſan plura de illis, & maxime ſcitu ac cognitione digna, Librorum monumentis conſignavere. Memini tamen, quædam eſſe inter opuſcula Bruni, quæ huic negotio plurimum inſervire poſſint: & Ioannis Boteri Libellum inter Politicos circumferri, cui ipſe titulum fecit, *La Lega:* ac Emericum Crucæum noſtratem Pariſinum, animi potius exercendi gratia, quam quod rem unquam ita fieri poſſe arbitraretur, conatum fuiſſe in novo ſuo Cynea modum aperire, quo Principes omnes inter ſe convenire poſſent, & pacem univerſalem ſtabilire: quemadmodum etiam eloquentiſſimi viri Baudius & Puteanus, cum de Induciis Belgicis tractant, & Gajus quidam, ac Ferrerius auctor, Catholico-politici, interim, dum variis rationibus contendunt, Principes Chriſtianos poſſe cum infidelibus fœdere conjungi, multa & ipſi ſubminiſtrant, ex quibus, accedente frequenti lectione Hiſtoricorum, qui diverſa Principum fœdera ipſorumq; ſecretiores cauſas ac leges ſuis monumentis inſerunt, quemadmodum fecere Polybius, Guicciardinus, Thuanus, & alii, non dubium eſt profecto, quin multa ſenſim animis illabantur, ad ipſas confœderationes melius inſtituendas plurimum conducentia. Illæ vero quandoquidem aut belli ſuſcipiendi & communis hoſtis invadendi propulſandive neceſſitate, aut pacis firmandæ gratia, aut vitæ commodis, per mercium commutationem conſulendi cauſa, ſæpius concluduntur: commercii autem ac

rerum

rerum utilium, & unde illæ ac quomodo haberi poſſint, notitia, melius uſu ipſo ac quotidiana cum expertis communicatione, quam ſtudio, quod in libris ponatur, intelligi poteſt: Iuvatur nihilominus relationibus diariis, ac navigationibus Hollandorum & Hiſpanorum; qui nunc ferme ſoli varias terræ partes, mercium permutandarum cauſa, obire, Indiaſque tam orientales quam occidentales perluſtrare, conſueverunt: ut etiam hiſtoria naturali rerum exoticarum: qualis eſt Ioſephi Acoſtæ, Cluſii, Monardis, Garciæ ab Horto, & Principis Cæſii Mexicana, quam omnes docti graviter & iniquo animo ferunt publicis commodis tam diu invideri. Sed nec inutilis erit lectio Georgii Agricolæ, Ferrandi Imperati, Geſneri, Boëtii à Boot, Lucæ Pæti, Cœnalis, Garraudi, & aliorum; qui de Mineris, Metallis, Lapidibus, Nummis, variiſque Menſuris, Ponderibus & *Tariffis*, ut vocant Itali, ſcripſerunt; quoniam ejuſmodi rebus potiſſima pars commercii ipſius videtur conſtare. De quo licet aliqui nondum vivis exempti quædam magis determinate ſuis in conſiliis & inſtructionibus monere conati ſint; frigidius tamen iſtud præſtitere, quam ut in ipſorum nomina diligenter inquirere operæ pretium eſſe exiſtimem.

Quod vero ad pacem & bellum ſpectat, non hic Eraſmi aut aliorum declamationes laudabo, utpote Scholæ magis convenientes, quam Aulæ & prudentûm conſilio; verum, quidquid in illis generatim loquendo conſiderandum venit, iſtud commode quidem, ſed impetrata prius ab Eccleſiaſticis cenſuris immunitate, haberi poterit in opere doctiſſimi viri Hugonis Grotii de jure belli & Pacis. Speciatim vero, ſi res ipſæ conſiderentur, & vel de Turcarum aut Hiſpanorum

Hæreti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Hæreticorumve coërcenda poteſtate tractandum ſit, cum hæc tria præcipuis ac maximis diſſenſionibus occaſionem præbeant, quæ nunc,& ante, omnes Europæ provincias peſſime videntur exercuiſſe: ſane, cum non quæratur de Turcis, quo jure, ſed qua tantum arte, debellari poſſint, hoc ultimum cogitatione duntaxat aſſecuti ſunt Augerius Busbequius Germanus, Lazarus Soranzus Venetus, Ioannes Boterus Pedemontanus, & Breevius ac Nuæus Galli. De Hiſpanis autem cum potior ſit juris quam artis difficultas, propterea quod diſcrepantes ſunt, hinc & inde, de ipſorum antiquis prætenſionibus Politicorum ſententiæ: huic equidem nodo cunei eſſe poſſunt, Balthaſaris Galli liber de Regnis & provinciis, quæ cum aliquando Gallorum fuiſſent, nunc injuſte ab Hiſpanis detinentur; cum Reſponſione Iulii Cerii ad eundem Balthaſaris Librum; itemque varii diſcurſus ultro citroque facti, pro eorundem ſucceſſione in bona omnia Ducis Burgundiæ, Regni Navarræ uſurpatione, prætenſionibus in ſtatum Montisferratenſis Marchionatus, & ſimilibus diſſidiis quæ cum aliis principibus habuerunt; ac demum Liber Politicus fratris Thomæ Campanellæ de propaganda Hiſpanorum Monarchia, Italico quidem idiomate ab eodem conſcriptus, ſed editus poſtea Germanico. Tandem vero cum utrumque in Hæreticorum profligatione deſideraretur, multi quidem ex ordine Theologorum & Politicorum quid juris eſſet declararunt, ut Claudius de Sainctes, Ludovicus Aurelius, Gaſpar Schioppius, & alii; ſed, qui artem ipſam & modum juris exercendi, ac Hæreticos procul à noſtris finibus propulſandi, declararint, pauci certe hactenus extitere, aut verius nulli.

Has

Has autem de jure Regnorum & armorum contentiones proxime ſequuntur, quæ de prærogativis ac honoribus, non ſolum inter Chriſtianiſſimos Galliæ & Catholicos Hiſpaniæ Reges, ſed inter cæteros Europæ Principes, Nationeſque ipſas & civitates, excitantur; cum omnibus hominibus hoc à natura peculiari ſtudio inditum ſit, ut Laudis ac Honoris ſtudio maxime ducantur; nec ſua bona deprehendi poſſe ſibi perſuadeant, niſi ipſa, ſub quadam ſpecie vanitatis ac gloriæ, ex inaniſſimis plerumque ſplendoris inſignibus collecta, nobis exhibeantur. Quæ opinor cauſa fuit, cur celeberrimi duo Iuriſconſulti Chaſſanæus & Tiraquellus libros illos ediderint, de Gloria Mundi & de Nobilitate: in quibus, prout illis ex jure videbatur, rebus, ſi non quidem omnibus, at certe præſtantiſſimis, locum unius cujuſque dignitati convenientiſſimum aſſignare conati ſunt. Unde poſtea multi occaſionem ſumpſere, pro dignitate Nationum & Imperiorum majori cum ſtudio & pertinacia ſcribendi, quibus aut Patriæ vinculis, aut obligatione fidei, aut virtutis admiratione, aliove peculiari nexu & affectu, conjungebantur arctius, connectebanturque. Quemadmodum feciſſe videmus Valdeſium pro Hiſpanis, non minus injurioſo & impotenti, quam ingenti volumine; & Vivaldum, Ioannem Feraldum, Andream à Quercu, diverſoſque alios, quibus ſuum nomen reticere conſultius viſum eſt, pro Gallis; quorum exemplo Domus Eſtenſis & Medicea, multæque aliæ principales Familiæ, ſcriptis pariter in lucem prolatis, quæſtionem inter ſe de præeminentia ventilarunt. Ut etiam inter civitates fecere Ticinum & Cremona, Panormus & Meſſana, ac aliæ ſimiles. De quibus plura mihi fateor dicenda forent, ſi ob-

via &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

via & minutiſſima quæque, non autem utilia tantum ac neceſſaria, conſectarer. Hoc vero non prætermittam, multa videlicet, quæ ad ejuſmodi quæſtiones pertinent, haberi poſſe ex orationibus contrariis de principatu inter præcipuas Europæ nationes conſtituendo, quæ ab auctore quodam Germano non ita pridem varia cum eruditionis ſupellectile publici juris factæ ſunt; & ex Ceremonialibus libris; Gallicis quidem, Doctiſſimi Gotofredi; Italicis vero, Paridis de Graſſis, & aliorum.

Superſunt igitur tantummodo incrementa civitatum, & ipſis è diametro oppoſitæ vectigalium impoſitiones, ac Civium inter ſe diſſenſiones, & Privatorum inimicitiæ. De quorum primo Ioannes Boterus & Hippolytus à Collibus multa quidem ac præclara omnino & valde utilia loquuti ſunt, in libris ad iſtud negotii peculiariter deſtinatis. De ſecundo verò, quoniam res ipſa plerumque à neceſſitate dependet aut Principum voluntate, quæ Leges non admittunt, inde eſt, quod pauci admodum reperti ſunt, qui de illis Politicum quidquam monere voluerint. Quare unicum tantummodo proferam Scipionem Gramontium, ex cujus Nummo Regio, Gallice quidem edito, plurima depromi poſſunt, quæ rem ipſam præclare illuſtrent, ſimulque legentium animos reficiant dulci pabulo variæ lectionis, & gratiſſima diverſarum obſervationum varietate.

At enim, quoniam opiniones hominum ducuntur auctoritate, trahuntur eloquentia, ingenio ac induſtria miteſcunt, & in utramlibet partem, quemadmodum cera, facillime convertuntur; multi propterea de Honore ac ipſius læſione, unde privatæ inimicitiæ naſcuntur, ſingularis certaminis occaſiones, ac præterea de ipſius

reſtitu-

reſtitutione & reparatione, quæ omnia in opinione conſiſtunt, multa etiam dixere. Inter quos illi primum evolvendi ſunt, qui nobilitatis ipſius ac gloriæ & Honoris naturam & eſſentiam monumentis ſuis expoſuerunt. Prout egregie omnino mihi feciſſe videntur Flaminius Nobilius, & Typotius, eleganti & terſo ſermone; Simon Simonius, erudito & peripatetico diſcurſu; ac Bernardus Mirandulanus, Epiſcopus Caſettanus, in opere illo undequaque abſoluto & perfecto Dialogorum de honore, quod ſub nomine Ioannis Baptiſtæ Poſſevini, Italica primum lingua, mox vero etiam Gallica, neſcio quo caſu, Typis commiſſum fuit. Cujus rationes licet Ioannes Baptiſta Suſius, Medicus Mantuanus, & Antonius Maſſa, funditus evertere conati ſint; ipſe tamen Mirandulanus, edito alio libro de ſingulari certamine, ita ſe defendit, ut præter ſolidiſſimas reſponſiones, multa etiam in illo attulerit, quorum gratia famam ſibi comparavit inter præſtantiores Philoſophos non modo illuſtrem, ſed nec intermorituram ullo ſeculorum aut ætatum decurſu. Iſtis vero auctoribus perlectis, ad leges, & conditiones ipſius ſingularis certaminis ineundi, deveniendum eſt. Quæ vel univerſales ſunt, à Petro quodam Montuo Mediolanenſi & ab aliis deſcriptæ; vel unicuique Nationi peculiares & propriæ, quemadmodum Galli ſuas habent, ab antiquis Regibus conſtitutas, & in unum collectas, ac editas, neſcio an à Savarone, aut à quopiam alio. Et in Italia multi quidem reperiuntur ſeu duelli committendi ſeu pacis tractandæ cenſores & arbitri: quorum in recenſione primus mihi doctrinæ ac eloquentiæ purioris gratia appellandus venit Mutius Iuſtinopolitanus: deinde vero Baptiſta Olevanus, & Franciſcus Biragus, qui nobiliſſima-

maque concertatione rem iſtam præclare ex-
plicant. Fabius vero Albergatus, licet teretibus
etiam ac purgatis auribus nitore ſufficiat: habi-
tior tamen eſt in toto ſuo opere, ac in minutiis
quibuſdam & titivillitiis plerunque moroſior.
Qui præter ipſos modum illum explicarint, quem
Itali dicunt, *Di far pace in via Cavallereſca*, ſcio
equidem, extare plures alios: veruntamen, qui
non ita mihi familiares exiſtunt, nihil propte-
rea de ipſis, ut nec de Alciato & Iuris peritis
mihi dicendum eſſe exiſtimo.

Enumeratis igitur illis auctoribus, qui de ne-
gotiis, in publica rerum adminiſtratione præ-
ſertim occurrentibus, varias præceptiones conſi-
liaque diverſa ediderunt, progrediendum nobis
eſt ex inſtituta ſerie, ad dicendum de illis, quo-
rum lectione meliores illi ac præſtantiores eva-
dere poſſunt, qui circa rerum ac negotiorum e-
juſmodi tractationem verſari debent. Horum au-
tem commode primi ſe offerunt Reges ipſi ac
Principes: ex quorum moribus & inſtitutione re-
liquorum hominum fata pendere, adeo verum
eſt, ut tunc illis bene ac fortunate ſit, cum ipſi
qui Reipublicæ clavum moderantur, non ſoli
modo Prætorianorum Cohortibus & longo ſa-
tellitum ordine auctoritatem ſuam fulciunt, ſed
labore in negotiis, fortitudine in periculis, indu-
ſtria in agendo, celeritate in conficiendo, ac de-
niq; conſiliis in providendo, dignitatem ſuam il-
luſtrant ac muniunt; ſecus vero omnia illis con-
tingant, quibus non Reges præficiuntur, ſed
Tyranni. Cujus vocis occaſione hic omnino a-
nimadvertere neceſſe eſt, hanc poſterioribus
tantum ſeculis pro iniquo & flagitioſo Principe
fuiſſe uſurpatam; quemadmodum optime no-
tavit Suidas in voce Τύραννος, & poſt eum eru-
ditiſſimus Cardinalis Beſſario adverſus calum-

niato-

iatorem Platonis; conſtatque auctoritatibus larissimorum Poëtarum; Virgilii quidem, cuus ille verſus in ore omnium & libris reperiur,

Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe Tyranni;

& Silii Italici, qui de Hierone optimo ac inegerrimo Syracuſanorum Rege hunc alium uurpat,

Vos etiam tandem Siculi contra arma Tyranni
Iuviſſe egregium.

Idque eo potiſſimum ſpectat, ut, quoties nois Platonem, Ariſtotelem, vel Xenophontem egentibus aliquid occurrit, quod ab ipſis de Tyanni Laudibus aut officio dictum ſit; non ſtaim arbitremur cum Georgio Trapezuntio, Tyannidem ab illis commendari: tantum enim beſt, ut illis quidquam ſimile in mentem veneit, ut neminem ex antiquioribus conſtet magis uam ipſos præclare & ſapienter de optimi Prinipis munere fuiſſe loquutus. Sane, cum apud Ciceronem Cato Scipioni & Lælio ſuadere vileatur, multas ad res perutiles eſſe Xenophonis libros, eoſque etiam, ut ſtudioſe legant, adortetur; tum vero ille ita ſe mirabilem exhibuit, cum Cyrum Regem, alioqui improbum tque impium & infelicem, non quidem ad Hitoriæ fidem, ſed ad veram Iuſti & Moderati Imeratoris effigiem depinxit, ut non tantum ejus mendacio venia concedenda ſit, ſed magna inſuper commendatio tot ſaluberrimis admonitionibus tribuenda. Atque, cum ingenioſiſſimus Poëta Claudianus, Porphyrius Optatianus, Sidonius, & omnes Panegyriſtæ Latini antiquiores, qui ſimul editi ſunt, nihil etiam aliud in votis habuerint, quam optimorum Principum naturam, mores, dicta, præclare geſta, factaque omnia, laudare, ac per hoc poſteris velut è ſpe-

cula

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

cula faces, quas ſequerentur, accendere; multum propterea in illis repoſitum eſt ad Regiam institutionem momenti, & præſidii ac adjumenti certe non parum; præſertim vero, cum tot exempla præclariſſima, tot Heroicæ ac pene divinæ virtutes, facillime ſe in animos demittant, illorum orationis vehiculo, qui caſtigatiſſimo dicendi genere uſi ſunt, orationemque uſurparunt, ut inventione admirabilem, ſic locorum ubertate ſententiarumque gravitate venuſtam, & ſemper variam, utilem, auguſtam, naturalem, propriam denique ubique ac perſpicuam. Luculentius fluunt, & Romanas aures neglecta dictione radunt, viri duo præclariſſimi, Divus Thomas, & Ægidius Romanus, in operibus quæ de Regimine Principum nobis reliquerunt. Sed in illis tamen minime, ut erat tunc ſeculi fatum, ſomniorum monſtra aut nebulas picta ſequuti ſunt. Imo lectionis diuturna ac ſedula meditatione, ingenii rerum optimarum & politicarum copia luxuriantis argumentum exhibuere; quo in concipiendo non magis indulſerunt genio potenti, & ad grandia quæque & difficillima nato, quam Principum Imperio. Nam, ut de Thoma, qui hoc ipſum in operis limine fatetur, nihil dicam; certe ex Pauli Æmilii hiſtoria conſtat, Philippum Pulchrum, jam inde ab adoleſcentia peculiari cultu Ægidium Romanum coluiſſe, eique auctorem fuiſſe, ut de Regimine Principum monumenta, quæ nunc in manibus habentur, conſcriberet. Superiori vero ac noſtra etiam ætate, de qua merito quis antiquum iſtud uſurpare poſſet,

Sumpſerunt Artes hac tempeſtate decorem,
Nullaque non melior, quam prius, ipſa fuit:

non defuerunt ſanè, qui eandem de Principatu tractationem laboribus ſuis illuſtrandam expli-

can-

damque ſuſciperent. Ex quibus Niphus & chiavellus Principes ſuos effinxere, quales ut rimum eſſe deprehenduntur: Eraſmus, Oſo- s, Foxius, Natta, Omphalius, VVimphelin- s, ut ſe moraliter gerere deberent: Mambri- s Roſeus, Frachetta, & Lælius Marettus Se- nſis, cujus liber publici juris nondum factus , ut illis Politicæ communis legibus agere nceditur: Bellarminus denique, Ribadeinera, Scribanius, ut ſe ad Chriſtianæ Religionis æcepta componere deberent. Quibus omni- s velut coronidem acceſſiſſe ferunt Balſaci, ri Clariſſimi, Principem, Gallica modo pumi- diligenter expolitum. Verum enimvero, oniam ipſe liber poſt meum è Gallia diſceſ- n typis fuit demandatus, ut propterea non- m in manus meas pervenerit; variaque, ut dio, ac prorſus ancipiti judiciorum alea fuit ceptus: hoc ſolum de illo pronunciare poſ- m, quod fuit ab antiquis in ſimili occaſione formula uſurpatum, *Non liquet.*

Cum autem perſonæ illæ Politicæ, de quibus rmonem jam habere inſtitui, multum præter- juvari poſſint variorum librorum lectione, i ad ipſas arctiori quodam præceptorum nexu ectare videntur: neceſſe idcirco mihi viſum t, ipſorum recenſionem velut ſuppetias unicui- e illarum deſtinatas ſubjungere. Atque ut à incipibus exordiar, nemini dubium eſſe arbi- or paulo diligentius in hanc rem intuenti, in illis ſummopere utilia eſſe poſſint præce- a vitæ & morum, ac Regni etiam adminiſtran- , à Principibus viris ſcriptis conſignata: maxi- e vero illa, quę, cum eſſent morti propinqui, fa- iliaribus, & amicis, ac ſucceſſoribus etiam, ob- rvanda reliquerint: cum opinio ſit, non futilis idem illa aut ridicula, ſed omnium ferme gen- tium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tium ac nationum conſenſu firmata, animam ipſam, cum in procinctu eſt ut à corpore diſcedat, ſapientiorem longe ac diviniorem fieri: ſeu illud contingat, quemadmodum volunt Platonici, quod animus noſter, dum tempus mortis inſtat atque appetit, paulatim incipiat ab oſtraceo ſeu futili & teſtaceo vehiculo recipere ſe in igneum æthereumve; &, quo magis appropinquat morti, hoc magis tenuetur; multaque tunc intelligat, quin etiam ſæpe divinet, ac futura proſpiciat; quemadmodum feciſſe dicuntur Patroclus quidem ab Homero, Orodes à Virgilio, & Poſſidonius à Cicerone: ſeu potius verior ſit Medicorum & Peripateticorum ſententia, iſtuc fieri aſſerentium, quod in extrema illa diſſolutione, occupatis jam ab hoſte exterioribus membrorum præſidiis, ſpiritus, qui in illis morabantur, ad arcem interiorem muniendam propugnandamque tanquam ſtrenui milites confugiant; unde circa cordis meditullium, & cerebri regiam, numeroſiori exercitu congregati, omnia præclare diſponunt, decernuntque de multis ſapienter & ingenioſe, donec continuam ac recentem morborum impreſſionem

—— nec clauſtra, nec ipſi
Cuſtodes ſufferre valent.

Sane, undelibet iſta vis animo proveniat, certiſſimum eſt, ab illa & extremas morientium voluntates religionem, & grandia illa morituri Catonis ac reliquorum Heroum verba æſtimationem ſuam, deſumpſiſſe. Unde neque à Politicis, multoque minus à Principibus viris, contemni debent præcepta illa, quæ ab expertis & ſapientibus viris ſapientiſſime totius vitæ tempore prolata, non niſi ſaluberrima ſapientiſſimaque eſſe poſſunt. Qualia experimur revera eſſe Monita Manuelis Palæologi; Baſilii, & Caroli,

Impe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nperatorum: Ludovici IX, & Philippi Secundi,
.egum Galliæ & Hiſpaniæ: ac demum Pauli
'ertii, & Gregorii Decimiquinti, ſummorum
ontificum. Quibus pares auctoritate videri
uodammodo debent Libri illi Conſtantini Por-
hyrogenetæ de adminiſtrando Imperio: & cæ-
eri, quos de vita propria, aut rebus, cum à ſe,
um ab aliis Principibus geſtis, Principes ipſi ſcri-
ſerunt. Neſcio enim, quomodo genium poten-
iorem, quàm reliqui auctores obtinere conſue-
erint, Libris ſuis infundunt, majoreſque ſpiri-
us ac nobiliores ad Muſarum cultum afferunt:
atura, ut credibile eſt, præclariſſimum iſtud ac
oneſtiſſimum liberalis ſtudii cum Regali virtute
onjugium lætiſſimis ſimul ac feliciſſimis auſpi-
iis promovente. Hujuſmodi verò ſunt, quæ de
ello Gallico, non Julius Celſus Vincentii Bel-
ovacenſis, & Ioannes Sarisberienſis, (qui ambo
ccaſionem etiam dubitandi doctiſſimo Lipſio
ræbuere,) ſed Julius Cæſar, cujus ductu ac im-
erio illud confectum eſt, in Commentarios re-
ulit: & quæ optimus Imperator Antoninus, non
uidem de itineribus ad clariora Imperii Roma-
ii loca, (cum Martiani cujuſdam potiùs illa ſint,
iec quidquam ad præſens inſtitutum faciant,)
ed de vita ſua, conſcripſit: ac præterea quæ Julia-
ius Parabata de Cæſaribus edidit: & Hiſtoria de
ita & rebus geſtis Baſilii Macedonis, ſcripta
uidem jam olim à Conſtantino Porphyrogene-
a, nunc verò è tenebris eruta, ac priſtino ſuo ni-
ori reſtituta, ab eruditiſſimo eodemque nobis a-
niciſſimo viro, Leone Allatio. Cujus inexhauſtam
n propriis fœtibus abſolvendis doctrinam, ne-
cio anne magis admirer, an diligentiam in anti-
uorum laboribus detenebrandis ac illuſtra dis
uſpiciam. Atque ut ſumma illa benevolentia,
qua me ſibi plurimum devinxit, tali judicio viam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

mihi omnem ac aditum præcludat; non faciliu
tamen erit æquiſſimis rerum æſtimatoribus
quidquam de hac controverſia ſtatuere; poſt
quam decem ejus volumina variorum antiquo
rum edita, fuerint, quorum divitiis imman
quantum Reſpublica ipſa literaria conſequetu
honoris ac emolumenti. Verùm ut illuc; und
paululum digreſſus videor, me referam; eò de
mum pertinent Apophthegmata, ſeu dicta me
morabilia prudentiſſimorum Regum & Princi
pum: ſive ea unius tantum illorum fuerint, u
Alphonſi, Matthiæ Corvini, & Alexandri Medi
cis, collecta quidem, ab Antonio Panormita
Ænea Silvio, Galeotto Martio, & alio quodam
Italo; ſive multorum, generatim ac per commu
nes titulos diſtributa, ut memini à Doctore quo
dam Lovanienſi fuiſſe factum. Plutarchus enim
Lycoſthenes, Eraſmus, dum omnia colligunt
certe à Principibus non leguntur, quibus erudi
tionis compendia ſunt in lucro, & ſimiles tan
tum in exemplo. Quare utiliſſimum quoque il
lis fuerit, exercere ſe gnaviter in hiſtoricorum
lectione, qui fortiſſimorum lectiſſimorumque
Principum vitas monimentis ſuis conſecrârunt;
atque in Alphonſi Ulloæ Carolo Quinto Cæſa-
reæ Majeſtatis virtutes intueri; in Philippi Co-
minæi ac Petri Mathæi Ludovico XI politicas
artes ac verſutias deprehendere; in Barletta
Schanderbecho fortitudinis bellicæ triumphos
ac honores æmulari; in cæteris denique auctori-
bus virtutes illas inveſtigare, quarum ad imagi-
nem & velut ideam ſuas poſtea actiones compo-
nant, ſeque tales exhibeant, quales ſemper ex-
titêre, qui ad Regnorum faſtigia ſupremaſque
dignitates fuerunt, non favore & amicorum gra-
tiâ, ſed ſuo merito, ſublevati.

Hactenus igitur tam multis de Principe di-

ctum

um eſt: quoniam, ut ipſe fuerit, ſic erunt & e-
s Miniſtri. De quibus nobis in ſequentibus
inimè dicendum foret, ſi omnes, officiorum
orum dignitate, vitæ ac morum integritate,
rumque intelligentiâ, pares ab optimo ſapien-
ſſimoque Principe eligerentur. Hoc verò quan-
oquidem rariſſime contingit, age, mi Gaffarel-
, percurras alacriter quod reliquum eſt iſtius
ibliographiæ, ut videas, quibus libris ad digni-
tem ſuam præclarè ſuſtinendam informari poſ-
nt Hercules illi Politici, qui, cum Atlante ſuo,
non totius mundi, at vaſtiſſimorum Regno-
im pondus, humeris ſuis ſuſtinere debent.

Miniſtri igitur, ſeu viri à Conſiliis Principum
æcipui, cum vel ex illorum ordine ſint, quibus
Principes inſano amore, aut ſcelerum partici-
atione, totos in utramlibet velint ipſi partem
ectendos committunt, (quales ſunt iſti, qui
allis noſtratibus ac Italis, ficto ab ingenti fa-
ore vocabulo, commune quidem, ſed omino-
im nomen accepere,) vel ex aliorum cenſu de-
gantur, qui per virtutum gradus ad honores
onſcendunt, pretiumque ſuis laboribus in Pa-
iæ commodis & rectâ hominum de ſe exiſti-
iatione conſtituunt: ſanè, quod ad priores ſpe-
tat, nec honeſtum eſt, conſiliis ipſos juvare, nec
tiam facile: cum libidine potius trahantur ac
npetu, quàm ratione, & obſcura plerumque
iitia impudentibus auſis ad omne nefas præci-
itent, nullius conſilii, quàm iſtius Horatiani,
paces,

--- *Tu, dum tua navis in alto eſt,*
Hoc age, ne mutata retorſum te ferat aura.

Si tamen Hephæſtionis artes potius, quàm
ejani, ad aucupandam Principum gratiam uſur-
are velint, ipſarum prima quidem rudimenta
raphice delineata conſpiciuntur, in libro de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

minimorum erga potentiores officiis, quem Ioannes Caſa velut appendicem fecit Galatæo. Quibus poſtquam firmius altiuſq; pedem figere velut infantes ſerperaſtris, didicerint, tunc conſulere poterunt commentarium Italicum Camilli Baldi, quem ſcripſit in Epiſtolam Antonii Peresii, qua ipſe amicum inſtruit, quibus ſe modis in Principis alicujus gratiâ conſervare poſſit & libros vernaculâ item linguâ de eadem ipſa re tractantes, ſed nondum, quod ſciam, editos Lælii Maretti Nobilis Senenſis; & Aſcanii Philomarini, Præfecti Cubiculo ſeu Aulicorum familiæ, doctiſſimi juxta ac integerrimi; ſimul & eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini. De poſterioribus autem miniſtris, qui nihil aliud in votis habent, quàm, Principibus, quæ optima ſunt, & rectæ rationi conſentanea, ſuadere; ferre opem patriæ; ſuccurrere ſaluti fortuniſque communibus; intercludere omnes ſeditionum vias; ac ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere: longè profectò aliter ſtatuendum eſt. Cum enim duo in illis ad illud præſtandum ſummopere videantur eſſe requiſita, oratio nimirum, & ſapientia, de oratione nudâ quidem, & ſimplici, quæ in familiaribus etiam colloquiis ac rebus domeſticis uſurpatur, extant præcepta ejuſdem Camilli Baldi; de artificioſa verò, quæ in conſultationibus de regno & rebus graviſſimis uſurpari ſolet, ipſe libellum aliquando præ manibus habui, cui auctor linguâ ſuâ titulum præfixerat, *Del Parlar Senatorio.* Et, præter elegantiſſimum opus Ludovici Vivis de conſultatione, conſuli poteſt etiã aliud Gabrielis Paleotti de Conſiſtorio. In quo ſummus ille vir, tum ſparſa colligit, inculta illuſtrat, confuſa certo ordine diſtinguit, ac omnia ſingulari prorſus judicio & diligentiâ colligit, quæ magis quidem proprie ad

Cardi-

ardinales ipſos ſpectare videntur; tum verò
ulta etiam habet, quæ ſecretioribus Regum ac
incipum Miniſtris haud meritò cenſeantur eſſe
utilia, ſeu linguam ipſi velint rerum copiâ &
cendi modo inſtructiorem, ſeu animam ipſam
pientiæ documentis ornatiorem efficere. Cui
ltimo fundus eſſe poſſunt Gabriel Zinarus, &
lippolytus à Collibus, ambo de conſiliarii offi-
o, quamvis idiomate diverſo, ſcribentes; &
imon Staro Volſcius juvenis Polonus; qui li-
rum de conſilio edidit, tàntâ quidem verborum
legantia, & compoſitionis ſuavitate, ut non pa-
iæ ſuæ modo, ſed linguæ Latinæ maximum de-
us ac honorem addiderit. Cæterùm, quoniam
on raro contingit, ut purpurati Romanæ Eccle-
æ Principes in eorum etiam numerum adle-
antur, quorum fide ac auctoritate interioris aulę
ecreta ſummorumque Principum negotia ad-
niniſtrentur; propterea non abſurdum erit,
uod ipſi Cardinales, viam ut ſibi faciant ad iſtud
nuneris majori cum dignitate ſuſtinendum,
emporis aliquid ac ſtudii impendant in ipſo-
um libris evolvendis, qui de Cardinalium offi-
io leges condidere. Mirum eſt enim, quantum
uvari poſſit idea illa perfectiſſimarum virtu-
um, quam Andreas ab Auria, pulcherrimo qui-
dem dicendi genere, ſed tantâ feſtinantis cala-
mi celeritate complexus eſt, ut locum etiam re-
liquerit ſaluberrimis conſiliis Fabri Albergati,
Hieronymi Plati, & ipſorummet Cardinalium
Paleotti & Corteſii: quanquam poſterioris Li-
ber ſua mole fatiſcat, ſeque difficulter regat, li-
cèt Ciceronianæ dictionis adjutus præſidio. O-
mnes verò cogitationum Principis, periti, gratiam
debent habere Petro Matthæo certe quam ma-
ximam, quòd pauciſſimis verſibus Villaregium
Heinrici Quarti principalem Miniſtrum adeo

verè fideliterque effinxerit , ut ad ipſius exem-
plar cæteri, qui in eodem dignitatis gradu quàm
diutiſſime ac glorioſiſſime verſari deſideran
non modò ſuas actiones publicas componere de-
beant , ſed omnem inſuper vitæ ac morum
conſiliorum rationem inſtituere.

Cum autem Principes ac eorum Miniſtri no
poſſint inter ſe de rebus graviſſimis , & ad Rei
publicæ ſalutem pertinentibus, niſi per inter
nuncios oratores , quidquam ſtatuere ; horum
que propterea quàm cæterorum Miniſtrorum vi
ta ſit illuſtrior, quippe quæ in oculis potentiſſi
morum populorum,atque in media regnorum a
Rerumpublicarum luce verſari debeat : ſanè
qui à Principibus viris in ejuſmodi faſtigio di
gnitatis collocantur , pluribus etiam , ut in ho
præclarè ſe gerant , indigere videntur libroru
adjumentis. De quibus etiamſi nihil eſt neceſſe
cur tecum nunc , eruditiſſime Gaffarelle , diſſe
rere debeam , qui præcepta omnia , quæcunqu
unquam de Legatis ab auctoribus tradita ſunt
expreſſa potes intueri continuò,ac confirmata i
Excellentiſſimo Regis noſtri Oratore ac tuarum
virtutum fautore generoſiſſimo , Domin
THUILLERIO ; ſequar nihilominus,ſi non
utilitatis , at ſaltem inſtitutæ tractationis gratiâ
de ipſis dicere.

Ac primum quidem, inter ipſos non laudab
Cratem aut Phalereum , quos nunquam mih
legere conceſſum fuit ; ſed Carolum Paſchaſium
politiori doctrinæ luminibus illuſtrem , ordini
ac methodi perſpicuitate clarum, ſoliditate judi-
cii maximè præſtantem , ac talem in omnibus
ut,eo veluti dictante,non Villerius Hottomannu
modò , ſed , quicunque poſt ipſum de Legati
ſcripſere , loquuti ſint. Proximus ab eo , ne Pu-
teani labores parum honorificè excipiantur, re

censen

enſendus venit Federicus Mairſelerius. Cui ab egantia ſtyli, non autem rerum ubertate ac arietate, rectè componentur Octavianus Ma-ius, & auctor quidam anonymus Legati Pon-ficii. Conradus verò Brunus, Ioannes Cokier, naſtaſius Germonius, Stephanus Doletus, & Iotteus Vajerius, ſapientiſſimi ac eruditiſſimi Iottei noſtri pater, magis ad Iuriſconſultos ac-edunt; ut Scipio Gentilis ad Philologos; & Canonherius ac Gaſpar Bragaccia ad Politicos. Omnes verò non mediocriter illuſtrari poſſunt iſtoriis particularibus gentium & locorum, in uibus verſari debent; & relationibus, quæ in ublico conſilio fieri ſolent ab Oratoribus, præ-ertim Venetorum: dum, ex aliqua Legatione everſi, rerum à ſe in ipſa geſtarum, ac populo-um, cum quibus ipſis tractandum fuit, mores, ngenium, religionem, divitias, militares copias, rces, Regem ipſum ac principales ejus Mini-tros, fideliſſimis ac diuturno uſu diligenter ex-ploratis obſervationibus delineant. Sed nec inu-ile erit, varias Principum confœderationes Mi-niſtrorumque negociationes, quales in ſecretio-ribus hiſtoricis plerumque continentur, evol-vere. Ex quibus non modò Principum inter ſe ſe prætenſiones, ac intentiones, & jura læſioneſ-que, manifeſte deprehenduntur; ſed facilitas quædam ac diſpoſitio ſenſim acquiritur, conve-nienter de ipſis, utque viros decet rerum ipſa-rum capaces ſapientiſſimoſque, pertractandi.

Verum, cum negotia ipſa politica, non vo-ce tantùm, ſed propoſitionibus aut articulis, de-clarationibuſque hinc & inde ſcripto prolatis, concludantur; occaſioneſque indies naſcantur, Politicas diſſertationes aut Epiſtolas de rebus graviſſimis, tam ad principes, quàm ipſorum mi-niſtros, tranſmittendi: quod equidem minimè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

uſu venit abſque illorum induſtria fieri, qui Principibus ipſis, aut Reipublicæ, ejuſque Miniſtris, à ſecretioribus epiſtolis inſerviunt: quibus propterea & *Secretariorum* nomen illis recentiori Latinitatis ævo inditum eſt, cum antiquiori, magis certè eleganter, ſed minus officio convenienter ac appoſitè, *Scribæ* vocarentur: Inde eſt profectò, ut nonnihil etiam impræſentiarum nobis de illorum munere dicendum ſit. Quod quidem ut dignitatis ipſius amplitudine præſtantiſſimum eſt, atque negotiorum & perſonarum diverſitate varium; ſic à paucis recte & pro rei majeſtate atque præſtantiâ fuit expreſſum: quandoquidem omnes Itali, qui ſoli ferme inter cæteras nationes de illo ſibi ad dicendum propoſuere, nihil præclarum attulerint, aut quod rem ipſam ſublimitate præceptorum illuſtret; ſed ingenium prorſus materiæ ſubmiſerint; ſolis Epiſtolarum formulis, veluti polypus ſcopulis, continuò addicti alligatique. Verum enim verò, quoniam non contemnenda ſunt, tanquam parva, ſine quibus magna eſſe non poſſunt; ipſæque recte pingendi, efformandique characteres, & Epiſtolas ex arte dictandi, regulæ, veluti fundamenta ſunt totius dignitatis ex officio ſuſtinendæ; eapropter utiles erunt huic adipiſcendæ facultati Auguſt. Dathus, qui verſibus hexametris, & Sanſovinus atque Ingegnerus, qui ſtylo & methodo familiari, talia documenta ſunt complexi. Elatior eſt omnino, & à vulgi ſenſibus remotior, Pamphilus Perſicus: quem unum eruditione, judicio, facilitate, cæteris præferendum, imo verò inſtar omnium habendum eſſe exiſtimo. Baptiſta Guarinus rem omnem implicat, non explicat; & Sophiſtarum more diſputat, non docet. Zinarus denique artem laudabili conatu ad politicos uſus tranſtulit.

Præter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Præter quos etſi neminem alium mihi videre contigerit, qui ex profeſſo quidquam monuerit de illorum officio, quibus innituntur Epiſtolarum ſecreta; pluribus tamen aliorum libris juvari poſſunt. Ac illis primùm, qui varia epiſtolarum paradigmata ſeu exempla & formulas edidere. Qua in re ubi à Latinis diſceſſeris, neceſſe eſt omnino, ut ad Italos convertare; cùm cæteræ nationes gloriam illam, quæ epiſtolarum vernaculâ quidem, ſed compta atque eleganti ſcriptione, comparatur, aut neglexerint omnino, aut nondum in ejus conſecutione paria cum Italis fecerint, quidquid Balſacus, Marcaſſus, & Lanæus, poſtremis hiſce temporibus apud Gallos ſint conati. Quare, ut ab ipſis Oratorium, ſic ab his Epiſtolicum ſcribendi genus, repetendum eſt: purum quidem & elaboratum à Bembo; laxum & molle, ſed ornatum tamen, à Viſdomino; elegans à Guidicione; acutum à Bernia: conciſum à Bonſadio; floridum à Guarino; negotiis valdè proprium & accomodatum à Peranda; limatum denique, breve, & luminibus ingenii ac orationis floribus diſtinctum, à Cardinale Lanfranco. A quibus poſtquam Secretarii compoſitionis modum atque ornatum deſumpſerint, divertendum illis erit ad auctores, qui modum ipſius tegendæ obnubilandæque notarum involucris & arte cifrarum docuerunt. Quorum omnium ſecreta & alphabeta licèt à Ioanne Baptiſta Porta Neapolitano compilata fuerint, utiliſſimum tamen erit, Blaſium Vigenetium, Iacobum Gohotium, & Erycium Puteanum, reconditioris doctrinæ gratiâ evolvere; ac Abbatem etiam Trithemium. Cujus inventa Polygraphica cum per ſe perſpicua ſemper extiterint; ſanè, quod ad Steganographica pertinet, quæ Carolo Bovillo

Doctori parum naſuto, ac ipſius relatione multorum credulitati, magica omnino viſa fuerant, ea ſic nuper illuſtravit nobiliſſimus auctor Cryptographiæ Guſtavus Selenus, ut, quidquid in illis obſcurum involutumque tamdiu in ſumma omnium opinione ac veneratione delituerat, non ampliùs ſui deſiderium excitet, poſtquam ab illo retectum eſt atque patefactum. Sed, utcumque his artibus Scribarum induſtria contineatur, reſtat tamen alia longè omnium præſtantiſſima nobiliſſimaque, quæ velut colophonem cæteris omnibus adjiciat; compoſitionum videlicet politicarum, diſſertationumque, quæ tractandis Principum negotiis frequenter uſurpari ſolent, ac ſecretariorum induſtriæ committi. Quamobrem gnaviter ipſi operam ponere debent in lectione diverſarum ejuſmodi diſceptationum & inſtructionum; quæ latinè quidem haberi poſſunt ab auctore Theſauri Politici; Gallicè verò à Villa-Regio, Perrionio, Mornæo, Lanæo, & variis anonymis; qui, à temporibus Franciſci Primi ad hæc uſque, avidos rerum novarum animos famoſis declamationibus & libellis in ſuas partes allicere, ſubinde tentârunt; ac Italicè etiam ab eo, qui literas aut Principum, aut ad Principes, ſimul collegit ac in duos tomos digeſſit. Sed omnium meritò cenſentur utiliſſimæ digniſſimæque, quæ Politicorum mentibus atque oculis perpetuò obverſentur, Cardinalis Oſſati Epiſtolæ, utpote quæ graviſſimo ac plane ſenili cultu exaratæ ſunt, feraciſſimoque graviſſimarum rerum ac ſententiarum ingenio; nuſquam laxæ, nuſquam molles, ſed ſemper æquales, ſemper lectoris animũ demulcentes detinenteſq; jucundiſſimâ rerum ac rationum varietate.

Poſtquam igitur de auxiliis particularibus ſermonem inſtitui, quæ ad officium uniuſcujuſque

viri

viri Politici magis determinatè referri poſſunt, reliquum eſt, ut generalia paulatim exequar, quorum doctrina omnibus æquè neceſſaria videtur eſſe, ac utilis.

Atque, ut ab illo incipiam, quod homines ad urbanioris vitæ rationem morumque elegantiam componit, nec tantummodò proprias cujuſque actiones gratiâ quadam & comitate temperat, ſed viam inſuper ſternit & præparat ad actiones civiles, modumq; docet cum ſingulis hominibus recte & ex officio atque decoro pertractandi; ſanè ipſum perbellè & eleganter expreſiſſe videntur Epiſcopus ille peramœni virentiſque ſemper ingenii, qui Galateum velut exemplar ingenuæ ac nobiliſſimæ educationis cæteris adoleſcentibus, tanquam ad imitandum, propoſuit; & Marcus Tullius, ac Ficinus, qui libros de officiis, ambo quidem, quanquam diſpari ſtylo, & variâ docendi methodo, conſcripſere. Quorum lectionem excipere poterunt præcepta vitæ civilis Stephani Guazii, Alexandri Piccolominei, & Fabricii Campani; nec non etiam Nicolai Cauſſini, Antonii Guevarræ, & Reinardi Caſtorii. Hi ſiquidem poſtremi civiles ſimul ac Chriſtianas leges in una eademque tabula inſculpere tentârunt. A quibus tandem, ſi quis in Aulam vocatus fuerit, conſulere poterit oracula Balthaſaris Caſtilionis, & Reffugii nobilis Galli: ut ab illis reſponſa ferat de Principum moribus ac Aulicorum technis & artibus, longè certiora, quàm ipſa unquam reddiderit

Pythia, quæ tripode ex Phœbi, lauroque, profatur.

Præter quos Canontherius lapidem etiam in hunc acervum conjecit; nec inutilem, prout mihi quidem videtur, aut fruſtraneum: quandoquidem multa monet valde ſcitu neceſſaria, quæ tamen alii, cum graviores videri optarent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſublimiaque tantùm atque ardua ſequuti, tanquam vilia omnino & abjecta neglexêre.

Secundum verò, quod adjumento non mediocri publicis rerum adminiſtratoribus eſſe conſuevit, partim ab Hiſtoria dependet, partim etiam à Philoſophia, cùm naturali, tum morali. lucem mutuatur & accipit. Qua præeunte, viam illi ſibi muniunt, ad latentes hominum affectus atque mores, quibus cum tractandi neceſſitas incumbit, faciliùs deprehendendos, eorumque latentes ſenſus, velut è ſpecula, proſpiciendos. Abſque quorum diligenti fidaque exploratione dubio procul Andabatarum more illis incedendum erit, qui negotia cum hominibus tractant, quibus pectus ex Momi voto feneſtratum non eſt, aut cor, ut antiqui loquebantur, diſclupeatum; ſed qui omnia cogitationum & affectionum animi ſecreta, velut atrâ nube, & orci tenebris, obvelata gerunt: ut proinde in hac ſemiotice morali, non ſecus ac in Medica, nihil quidquam tentari aut pronuntiari debeat, non inſtitutâ prius ſignorum phyſiognomicâ ſyndrome; quemadmodum illam efficere non ampliùs operoſum aut difficile cenſeri debet, poſtquam Flaminiæ decus æternum Scipio Claromontius methodum ipſius abſolvendæ tam eleganter præſcripſit, in libro ante quinquennium Venetiis edito, de conjectandis cujuſque moribus, & latitantibus animi affectibus. Quæ doctrina cum ad politicum relata tria potiſſimùm complectatur, ſedulò quidem inveſtiganda; nempe mores atque inclinationes populorum, naturas & complexiones individuorum, & geſtuum atque actionum ſignificationes, quas non minus quàm linguam ſecretiores aliquando cogitationes detegere notavit Polybius. ſanè, quantum ad illorum omnium inveſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nveſtigationem attinet, auctor eſt Cardanus, llam tutò & citò hauriri poſſe ex communibus dicteriis, & proverbiis, quæ in ore vulgi communiter feruntur: quoniam hæc, velut ex adytis ſapientiæ prolata, & longâ annorum ſerie confirmata, raro non veritatem præ ſe ferunt. Unde vellem omnino, ut alicui in mentem veniſſet, phyſiognomicum tractatum ex ſolis ejuſmodi veriverbiis contexere: quoniam ille, præterquam altiùs memoriæ tali pacto rhythmorumque aut verſuum concinnitate infigeretur; plus etiam in ſe veritatis contineret, quàm tot alii, ex Philoſophorum placitis inſtituti. Ecquis enim diſtichum illud Martialis in ore non habet, tanquam conſtantiſſimâ exemplorum obſervatione comprobatum?

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus;
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Aut quis de ſequentium fide, quæ ad facetum referuntur, & proverbii vicem obtinent, unquam dubitavit?

Inconſtans animus, oculus vagus, inſtabilis pes;
Hæc tria ſigna viri, de quo mihi nulla boni ſpes.
Raro breves humiles vidi, rufoſque fideles;
Albos audaces; miror magnos ſapientes!

Verùm ut de ſuperioribus illis pauca ſigillatim moneam; Nationum inclinationes, diverſaſque ex locorum ſitu & temperamento complexiones, præclaris rationibus demonſtrant Hippocrates, libro de aëre, locis & aquis: Albertus Magnus in tractatu de natura locorum: Ioannes Bodinus in Methodo Hiſtoriæ; itemque in Republica, & ejuſdem defenſione: & Fredericus Bonaventura in opere illo variæ ac diffuſæ eruditionis de Octimeſtri partu. Mores verò atque qualitates, undelibet aſcititias, & à di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

verſis accidentibus ortum ducentes, fusè etiam proſequuti ſunt auctores geographici hodæporicique: ac Garcias quidem, atque auctor anonymus Sortianarum Quæſtionum; quorum ille Hiſpanorum ſimul ac Gallorum ingenia minutiſſimè delineavit; hic verò Italorum artes ac in rebus & urbibus ſingulis receptas conſuetudines, tantâ diligentiâ expreſſit, ut nauſeam aliquando & faſtidium vel patientiſſimis lectoribus injiciat. Horum autem ex laboribus & inventis, prodiit tandem, velut aurum ex marchaſita, & uniones ex matrice concha, Icon animorum Ioannis Barclaii. Cui ego auctori, non modò præſtanti facundiâ, ſed omni genere laudis quæ ex literarum ſtudiis elegantioribus provenire ſolet, ne ex illis quidem veteribus Romanis, quenquam antepono. Hujus veò aut iſtius hominis, ſeu mavis individui, naturam triplici genere ſignorum conſequi poſſe, multi contendunt: quorum tamen primum ſolummodò tutum ac Philoſophicum eſſe conſeo; cum ſecundum plus vanitatis habeat, quàm rationis; ultimum verò ingenii potiùs in re quadam ludicra oſtentandi, quàm utilitatis gratia, ab eruditis quibuſdam fuerit excogitatum. Ut hîc proinde, ſi mecum omnes conſentirent, de priori tantum dicendum foret. Verùm, quia non ita forſan tibi, aut cæteris, videbitur, age, mi Gaffarelle, percurras diligenter libros Ariſtotelis, Adamantiique & Polemonis; quibus ſolis emergere ex antiquorum naufragio, qui de Criſi Phyſiognomica libros ſcripſerunt, fatorum indulgentiâ conceſſum fuit. Ac inter recentiores, qui artem ejuſmodi ſcriptis explicârunt, potiores ſemper habe Auguſtinum Niphum, & Camillum Baldum, eruditiſſimos Ariſtotelis commentatores: Bartholomæumque Coclitem

Bono-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Bononienſem cujus integrum librum convaſavit, ac in ſuum opus mathematicum tranſtulit, Ioannes Taiſnerus, plagiarius inſignis, & imprudentior longe Horatii Corniculâ, cum præterea tractatum etiam de Magnete, à Petro Peregrino Gallo quondam editum, furto vendicârit. quod equidem velut per tranſennam obſervandum eſſe duxi, ut ſuus bene de Republica literaria meritis honos aſſeratur, & ipſe Taiſnerus,

Regali conſpectus in auro nuper & oſtro,
Migret in obſcuras furaci mente tabernas.

Proximus à Coclite locus Petro Montuo jure debetur. Cujus librum, inter diverſos, raritate ipsâ atque bonitate præſtantes, qui Romæ in inſtructiſſima Bibliotheca eminentiſſimi Cardinalis Biſciæ aſſervantur, oſtendit mihi ſingularis amicus noſter, & quem paulò antè dicebam natum eſſe ad augendum ætatis ſuæ decus, Leo Allatius: quamvis ipſum poſtea reſciverim Typis Mantuanis ſtatim ante urbis ipſius direptionem fuiſſe demandatum. Sed ultimum tandem in hac arte erudiendâ explicandaque conatum attuliſſe videri poteſt Ioannes Baptiſta Porta Neapolitanus; cum Timplerus, Moldenarius, Goclenius, & cæteri recentiores, longè infra limites jam ab ipſo prolatos conſtiterint; & ſi quam inde laudem retulerint, eam profeſtò methodi potius ac compendiorum facilitate, quàm novâ rerum acceſſione obtinere meruerint. Cum autem phyſiognomicis, & diſquiſitionibus Metopoſcopiæ & Chiromantiæ, vanitates velut appendices quædam ac laciniæ, ab hominibus illis, qui non integrâ mentis poſſeſſione gaudent, continuò annectantur; conſentaneum eſſet, ut de Antiocho Tyberio Ceſenate, Tricaſſo Mantuano, Indagine, Corvo, Samuele

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

muele Fuchſio, Thadæo Hageccio, Cyro Spontone, Cardano, & ſimilibus artis vaniſſimæ fautoribus, judicium proferrem, eorumque libros & compoſitiones recenſerem: quemadmodum certè mihi omnino faciendum eſſet, ſi vatem aliquem fanaticum, aut circumforaneum nebulonem, cui mulierculæ frontem atque manus inſpiciendas præbere ſolent, fraudibus ac technis inſtruerem; non autem optimorum librorum lectione Politicum efformarem. Cui nec ejuſmodi nugis animum advertere honeſtum eſt, nec fidem adhibere tutum. Quod unum etiam ſtatuendum eſt de Gelotoſcopia Proſperi Aldoriſii, & ejuſdem Ideagraphiâ; ac epiſtolari divinatione Camilli Baldi, & Libris Melampi, Ioannis Baptiſtæ Portæ, ac Ludovici Septalii de nævis, aliorumque de maculis unguium & onychomantia: Quandoquidem, iſthæc omnia ad ludicras potius, quàm conjecturatrices ſcientias eſſe referenda, & monuimus antea, & ipſæ vel ſolo nomine tales eſſe deprehenduntur, ut, præter vigilantium ſomnia, nihil quidquam continere poſſint. Quare, ut ad iſtud denique me conferam, quod in Politica ſignorum ſyndrome poſtremum ſuperiùs aſſignavi, geſtuum videlicet atque actionum ſignificationem; de hac multa certè habent & egregia omnino, Nicolaus Cauſſinus in Parallelis Eloquentiæ; & Cardanus in libris de ſapientia, & de utilitate capienda ex adverſis. Sed artem integram feliciter abſolvit Auctor quidam Italus in prægrandi & curioſo volumine, cui appellationem ipſe fecit ex operis ſubjecto atque materiâ deſumptum, *Arte decenni*.

Cognitionem hominum excipit proximè cognitio Regnorum, & adminiſtrationis publicæ ſtatuum omnium, qui, in Europa præſertim, ac

inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nter Principes Chriſtianos, propriis ſe legibus
ubernant, libertatemque ſuam ab aliorum in-
urſibus & violentia ſartam tectamque, quan-
um in ipſis ſitum eſt, communibus auxiliis
uentur & defendunt. Hæc autem cognitio, quia
partim ab Hiſtoricis, partim etiam à Politicis
ſcriptoribus dependet; tertium idcirco caput
inter communes ſuppetias conſtituit. De quo
multa quidem in genere dixerunt, Boterus in
Relationibus politicis, Sanſovinus de Guberna-
tione Regnorum, & Auctor Gallus Theſauri
Statuum omnium, & Regnorum, quæ nunc in
mundo ſtabilita reperiuntur. Quem unum, ſi
paulò plus diligentiæ atque fidei in iſta conge-
rie adhibuiſſet, reliquorum loco habendum eſ-
ſe, minimè dubitarem. Sed qui magis deter-
minatè de uniuſcujuſque Reipublicæ ſtatu co-
gnoſcere deſiderat, is adire poterit, quos audivi
quondam à celeberrimis hominibus ſummo-
pere commendari, Ubertum Folietam, qui de
Genuenſium, & Nicolaum Contarenum, ac Do-
natum Ianottium, qui de Venetorum Repu-
blica, præclaras olim lucubrationes edidêre. Ve-
rum ne tibi forte coronam in muſtaceo ambire
videar, aut gloriam potius ex ingenti auctorum
nomenclatura deſiderare, parco illos omnes ſi-
gillatim referre, qui nitidiſſimis Elzeviriorum
typis ſimul collecti habentur, ac ſuis quippe lo-
cis ac voluminibus tam ingenioſâ ſerie diſpoſi-
ti, ut, qui de Italia antiqua & nova, qui de Re-
gnis Angliæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Sueciæ & Da-
niæ, qui de Imperio orientali occidentalique,
aut de Venetorum, Helvetiorumque Republi-
câ, ac reliquarum gentium adminiſtratione,
ſcripſerunt, totidem velut Enchiridiis & ma-
nualibus libris includantur, maximâ certe
politicorum hominum utilitate, & doctrinæ
ipſius

ipſius acceſſione haud prorſus futili vel pœnitendâ.

At verò, cum ea, quæ hactenus à nobis adducta ſunt, materiam Politicæ ſubminiſtrent, tum verò formam huic addit Prudentia. cum virtus ferme unica ſit, qua conſtituuntur augenturque Reſpublicæ. Illa autem ab eventu rerum procedit; & eventus non niſi ab hiſtoria, aut ab uſu, dijudicatur. Quare, cum nihil aut parum uſu homines ipſi conſequantur, dum, inter anguſtias brevioris vitæ recluſi, citius fere ad metam perveniunt, quàm obſervare oculis potuerint rerum humanarum flexus & reciprocantes periodos; reliquum eſt, ut hiſtoria, non quidem unius ætatis regioniſque finibus circumſcripta, ſed omnium ſeculorum gentiumque res geſtas complexa, prudentiam politicam informet atque inſtruat. Quanquam enim non certâ quadam & immutabili ſerie res humanæ volvuntur; magnaque earum varietas & inconſtantia eſt, ut hoc ipſum, quemadmodum dicebat Agatho, veriſimile ſit, multa, præter id quod veriſimile eſt, evenire: plerumque tamen à ſimilibus ſimilia exiſtunt: neque ulla certior regula eſt judicandi, quo quæque res evaſura ſit, quàm inſpicere, quem exitum ſimilia in longinquitate temporis ſæpius ac frequentius habuerint: quod equidem præſtat abunde Hiſtoria: quam, non ut teſtem modò temporum aut magiſtram vitæ, ſicut illam definiebat Tullius; ſed velut conglobatam coacervatamque ex omnibus partibus ſapientiã, Summus Imperator Baſilius Leoni filio imperaturo impensè propterea commendavit; Sed, etiamſi maximum in illa ſubſidium repoſitum eſſe videatur, vix tamen iſtud abunde unquam ſe prodit atque manifeſtat, niſi prius auctores illi, tanquam pararii,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rii, in conſilium advocentur, qui de hiſtoriis ordine & methodo conſcribendis evolvendiſque proprias leges tulerunt. Ex quibus eruditione quidem & judicio Principes audiunt Ioannes Bodinus, & Franciſcus Patricius: ſed neſcio tamen, quomodo difficiliores exiſtunt, quàm ut omnibus placere poſſint: non ſecus profectò, ac in Philoſophia Metaphyſici. E contrario verò Poſſevinus, nimiâ quaſi facilitate atque neglectu, mediocribus tantum ingeniis poteſt. In reliquis Lucianus & Boccalinus pro Hiſtoriæ veritate & nobilitate acerrimè depugnant. Bernartius judicium cum eloquentia conjunxit. Maccius & Benius aut nihil præter verba dicunt, aut futilia tantùm & abſurda loquuntur. Popelinerius non tam methodum hiſtoriæ, quàm Hiſtoricorum nomenclaturam inſtituit. Cæteri verò, qui ſimul gemino volumine collecti circumferuntur, velut Ægyptus Homerica, & bona multa habent, & mala etiam non pauca. Unde, cum eruditiſſimus Eloquentiæ Profeſſor, Auguſtinus Maſcardus, ſuam quoque de Hiſtorica methodo ſententiam ſcriptis ſe aliquando declaraturum eſſe promiſerit, fateor, me iſtius diutinâ quidem expectatione ſupra modum torqueri: quoniam, ut ingenio atque naturâ præſtanti nemini concedit; ita multa inſuper obtinet variæ lectionis & ſcientiarum præſidia: queis adjutus, non ſecus in ejuſmodi tractatione, quàm in cæteris, facere conſuevit.

-- ſe quoque poſſit
Tollere humo, victorque
virûm volitare per ora.

Interim verò Politicorum ſtudiis non alias leges præſcribam, niſi ut, inter evolvendum cujuſcunque gentis ac regionis Hiſtoricos, illis præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

præſertim immorentur & aſſueſcant, qui non tantùm rerum eventus, aut acta Principum, bellaque hîc & alibi geſta, ſed omnium latentes cauſas, ſubindicant, conſilia explicant, judiciumque de ſingulis brevi & argutâ ſententiâ proferunt; quod velut anima cenſetur totius ſuſceptæ narrationis. Reficit enim lectorem ſuum is ſcribendi modus jucundiſſimæ pabulo lectionis, aſſeritque cautionem in agendo, & ſpiritum in præcavendo. Neque dubium eſt, quin ex ſolida aliqua ac ſucci & ſanguinis plena narratione, major utilitas ac uberior longè percipiatur delectatio, quàm ex ea, quæ nude res ipſas proponit, jejunas quidem, & ariditate judicii languentes, ac ferme enectas. Hujuſce generis vero licèt apud antiquos plures extiterint, apud quos, tempora meliora, cœlum benignius, præcipua ſtudia Principum, & Romani Imperii Majeſtatem, Hiſtoriam pariter meliorem effeciſſe, multorum eſt opinione confirmatum: habuit tamen & noſtra ætas Hiſtoricos maximi & judicii, & plurimæ certè eruditionis: neque unquam ſuperiori ſeculo tam pertinaciter iratus fui, quin paria cum majoribus virtutum exempla, in Paulo Æmilio, Petro Bembo, Leonardo Aretino, Pandulpho Collenutio, Ioviano Pontano, Polydoro Virgilio, Paulo Iovio, Thuano, Guicciardino, & ſimilibus, agnoſcerem: ut hîc de Philippo Comineo dicere prætermittam; qui eadem libertate Ludovicum ſuum depinxit, quâ ipſe vixerat; tantumque ſibi exquiſito judicio veræ gloriæ comparavit, quantum ille triumphis & imperio.

Verùm, quoniam Antiquorum Hiſtoria non minus ſancta eſt, quàm ſanctum dicit eſſe Horatius *vetus omne poëma*, & Iuvenalis Homerum propter mille annos; atque judicia, quæ de illis

libere

berè proferuntur, minus invidiæ ſubjacent: ane Græcam Thucydidis & Polybii, Latinamue Saluſtii & Titi Livii, cæteris omnibus præerendam eſſe cenſeo: ſeu gravitatem in illis ac najeſtatem operum ſpectes, ſeu puritatem ſtyli, udiciique integritatem, ſeu denique omnes Hiſtoriæ rectè conſcribendæ leges requiras. Quas ipſi adeo concinnè feliciterque obſervâunt, ut, ne tranſverſum quidem unguem ab ilis unquam deflexiſſe, jure meritò arbitrari poſim. Quod idem de Cornelio Tacito dicerem, i cum reliquis promiſcue in Hiſtorici Theatri ſcenâ conſpiceretur. At vero, quoniam ſedet pſe velut omnium Princeps ac Imperator in Orcheſtra, aut potiùs ſedem ſibi fecit in Machina, ex qua cum ſtupore & admiratione politicas difficultates componit, virtutum ſuarum majeſtate omne faſtigium humanum excedens; certe conſultius eſſe mihi perſuadeo, non hunc tenui ſermone velut hominem, ſed eloquenti ſilentio Deitatis inſtar venerari. Unde, ſi pueri, olim Iuris Civilis ſtudium auſpicaturi, leges XII tabularum, tanquam carmen neceſſarium, ediſcebant; cur non & Politici, Reipublicæ clavum gubernaturi, hujus auctoris ſcripta memoriæ penitùs commendabunt, à quibus exempla ſimul atque oracula petant ipſius Reipublicæ bene feliciterque adminiſtrandæ?

Pertinet etiam ad Politicos, in iſto genere Hiſtoriarum diligenter verſari, quæ nimiâ ſuâ libertate, ne dicam audacia, proxime ad libellos famoſos accedunt: dum ſecreta Principum, occultaſque fraudes & nequitias miniſtrorum, ac omnia, quæ in politicis Regnorum adminiſtrationibus velut ſacrâ Eleuſinia nocte quadam obſcura tegi debent, in apertum proferunt, nudamque & ſine veſte Dianam unicuique profano

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

no conſpiciendam præbent. Quemadmodum omnino feciſſe exiſtimandi ſunt Procopius, Matthæus Paris, Theodoricus à Nihem; Petrus de Alliaco, Clemangis, Machiavellus; & auctores anonymi tot conclavium, Hiſtoriæ Concilii Tridentini, Ephemeridis propudioſæ Ludovici XI, Compilationis rerum ad Hiſtoriam Caroli IX & Sacram Rebellium Galliæ unionem pertinentium; ac alii denique ſimiles libelli, qui ſtatim in vulgus effundunt, *Quid Rex in aurem Reginæ dixerit. Quid Iuno fabulata ſit cum Iove.* Hi autem omnes, quoniam facta plerumque atque infecta canunt; nunciique tam ficti quàm veri tenaces exiſtunt; & ſacris Eccleſiæ conſtitutionibus eorum lectione interdicitur: judicio ptopterea in omnibus opus erit, & acceptâ à Magiſtro Sacri Palatii aut ipſomet Summo Pontifice, ſi opus erit, licentiâ.

Ultimas tandem in hiſtoria tenent libri Originum, & Gentium ac familiarum diſtributiones, ſeu genealogiæ: quoniam minus in ſe veritatis ac fidei continent, dum ſuis quiſque blanditur principibus, & familiæ dignitatem ab ipſis redimere contendit. Quorum venalis calamus, & fami tantùm, non autem famæ ſcribens, omnia ſuſque deque habet; ut, pro adulteratis plerumque antiquioribus monumentis, non adulterinos nummos poſſit expiſcari. Adeo nempe rari ſunt, qui Andreæ Quercetani, ſummi profecto in familiarum hiſtoria magiſtri, judicium, doctrinam, conſequi unquam valuerint, ut Principibus viris inſervire poſſent fideliter, ipſiſque ſine fuco vel adulationis ullius ſuſpicione

Majorum pictos à tergo oſtendere vultus.

Sed neque tam neceſſaria videtur eſſe Politicis genealogica ipſa domorum illuſtrium ſeries,

ut

quarundam innocentiam graviter ferre de-
eant ab Ammirato vel Sanſovino fuiſſe viola-
m, cum Fulvius Urſius, Antonius, Auguſti-
us, & Riccardus Stevinus, illas tantùm de-
cripſerint, quæ ad eruditam antiquioris ævi
iſtoriam, non autem ad iſtius temporis Civi-
em pertinent: ſuprà nominati verò Sanſovi-
us & Ammiratus, atque Zazzera, qui majori
de onus iſtud ſubiit, de familiis quidem Italiæ
illuſtriſſimis & vetuſtiſſimis ſermonem inſti-
uerint, ſed quarum tamen gratia vix quidquam
ericilitetur, ſi quid in illarum recenſione fue-
t ab ipſis auctoribus aliter, quàm verum ſit,
efinitum. Quare reſtant ſolummodo ſtemma-
a Principum Chriſtianorum, & Reuſneri ac a-
iorum in hoc genere lucubrationes; quæ, pro-
ter Regum ac Principum inter ſe negotia, ju-
a, prætenſiones, matrimonia, ſucceſſiones, &
d genus alia, diligentiorem paulò operam re-
uirunt, ſtudiumque politicum exercent, in i-
ſarum originum veritate, cum alicujus difficul-
atis occaſio emerſerit, ſedulò quidem penſi-
anda inveſtigandaque.

Denique, cum tot ubique libri ſemper ha-
eri non poſſint, difficillimumque ſit, quod in-
uit Comicus, ſitis fauces cum urget, puteum
odere; quintum idcirco ac ultimum generale
ræſidium in illis auctoribus conſtituimus, qui
aria ſimul collegerunt, materiamque velut in
itulos communes hinc & inde repoſuerunt: ex
uibus poſtmodum cæteri in difficillimis aut in
ræmeditatis actionibus, quicquid animo libue-
it, efformare poſſint. Horum autem nonnulli
nateriem tantum, ligna, clavos, lapides, trabes,
axaque ipſa & marmora præparârunt; ut Da-
æus, Sanſovinus, Lottinus, Antonius Pere-
ius, & Guicciardinus in ſuis axiomatibus nu-
de &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

dè & ſimpliciter tantùm enunciatis; Richierus in iiſdem, ſed valde utili & prolixâ exemplorum congerie declaratis, Ioannes à Chokier in aphoriſmis, in quibus eodem pæne ſtylo ac ſuperior ille procedit; & Ludovicus Regius in Monarchiis, Gallico quidem, nec valde ingenti volumine exaratis, ſed ingenioſo tamen, propter parallela quædam politica, quæ vix forſan alibi pari ſtudio collecta reperientur. Alii verò non materiam tantum collegerunt, ſed ipſam in varios Diſcurſus effinxerunt; & titulorum ſolummodo ac quæſtionum varietate prioribus iſtis debent accenſeri, cum cætera docti libros induſtria atque judicio valde præſtantes compoſuerint: ut Paulus Paruta, deus in hoc ſcribendi genere; Summanus, Marnixius, Frachetta, Verulamius, Marettus, Zuccolus, qui eodem ferme paſſu ad gloriam properant; & Picardus, Iunius, Scherbius, ac alii diverſi, qui non niſi inter deos minores debent recenſeri; Nuxii Diſcurſus devium à vera fide & militarem auctoris animum ardore ipſo ac libertate dicendi præ ſe ferunt; Boccalinus gratiſſimâ ſtyli novitate σύνναος καὶ σύμβωμος cum Apolline in Parnaſſo ſedet, poſtquam mortalis deſiit fieri, nugaſque verbis humidis & lapſantibus defluentes non amplius inter ſatyricos ſpargit, ſed à ſuis imitatoribus prolatas gratiâ ac lepore perfundit. Cæteri denique, ac omnium poſtremi, vix à ſuperioribus illis diſſident, niſi quod, non eadem libertate uſi, auctoris alicujus præcipui ac anteſignani placita ſibi ad diſcurrendum propoſuerint. Quo genere explicationis, Titum Livium haud mediocriter illuſtravit Scriba Florentinus, qui quidem, ut optimè notat Albericus Gentilis, in Hiſtoriarum lectione, non grammatiſat, ſed philoſophatur, & Guicciardinum Remigius Floren-

orentius, atque Calderinus Boterum. Sed
ıemadmodum aves illic turmatim advolant,
ɔi copioſæ meſſis ſpes affulget; & homines eò
onte feruntur, unde plus honoris ac gloriæ ſi-
promittunt: ſic multo plures commentarios
uſmodi in Tacitum edidere. Ex quibus Sci-
o Ammiratus & Cauriana, ac Comes Malvez-
us palmam meritò ſibi concedi poſtulant. Gru-
rus & Forſtnerus plus eruditionis ad hunc co-
tum attulere, quàm Politicos decebat. Paſcha-
denique, tanquam impiger xenagogus, the-
uros iſtius auctoris non quidem effundit, ſed
gulâ tantùm oſtendit atque ſubindicat.

Quæ omnia an ita ſe habeant, tuum eſt modò
plorare, Literatiſſime Gaffarelle, qui in famo-
ſima totius mundi Academiâ, in cœtu doctiſ-
norum Virorum, in communi Emporio omnis
neris librorum, vitam degis utiliter, ſua-
ſimeque. Ego verò, qui in hoc Flaminiæ an-
lo, in iſta Phycoclenſi ſolitudine, inter palu-
s & pineta Cerviæ, exilium patior volunta-
m; ubi nec librorum præſidia poſſum inve-
re, nec doctiorum præterquam unius Slinge-
hdi experiri conſilia; poſſem tibi idem meri-
ſcribere, quod Ovidius ad Amicum:

Naſo, Tomitanæ jam non novus incola Terræ,
Hoc tibi de Getico littore mittit Opus.

Sanè ita me provexit tibi ſatisfaciendi ardor,
levem hanc narrationem ſtatim expreſſerit.
qua ſi quid tumultuaria operâ, aut feſtinan-
calamo dictum eſt; ſi quid dictionis illuvie
t neglectu exaratum: Tu hæc omnia, & ſi
æ alia inter legendum animadvertes, quæ me
ɡerint fefellerintve, æqui bonique, ut arbi-
r, conſules, qui mihi tam acres ad iſtius com-
ſitionem ſtimulos admoviſti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

GABRIELIS NAUDÆI PARISINI SYNTAGMA DE STUDIO LIBERALI.

Ad Illuſtriſſimum Adoleſcentem

FABRICIUM EX COMITIBUS GUIDIIS *à BALNEO.*

FACIT omninò egregia tua indoles, Fabrici nobiliſſime, Illuſtri quidem tot Majorum (qui tibi præluxerunt) exemplo, velut quodam incentivo, ad gloriam & immortale decus, non excitata modò feliciter, ſed penitùs etiam confirmata; Ut ego graviter ſanè, & iniquo animo tulerim, oblatam mihi nondum fuiſſe, (quam præ cunctis rebus cupidè ſemper optavi) propius te, & familiariter conveniendi occaſionem. Atque hoc deſiderium meum, aut potiùs dolorem, ex irrito & ingenti deſiderio conceptum, haud mediocriter auxit, Aulicorum noſtrorum Torræi, & Slingelandi non vulgare de te judicium. Ipſi enim, poſtquam te obviam factum Eminentiſſimo Cardinali Patruo tuo, amplexi ſunt, nullâ de re majori cum voluptate, aut ambitione loquuntur, quàm de tua eleganti ſpecie ac formâ, neſcio quid ultra communē aliorū ſortem promittente, & candidiſſimis illis moribus quotidianæq; vitæ con-

onſuetudinibus, quæ ſplendorem antiquum
ui generis ſingulari prorſus affabilitate tempe-
atum apprimè redolent, & obvios quoſque ſic
n tui amorem pelliciunt, Ut non tanta vis inſit
entauræ lapidi, qui quod contingit ad ſe facilè
rahit; non tanta Magneti, qui ferrum; aut E-
ectro, quod paleas ſuſcitat; huicve bitumini,
quod admota protinus inflammat: quantum ti-
bi ad conciliandos omnium animos gratiæ, & vi-
ium ſuppetit. Nempe hoc unum eſt, quo tuæ
Domûs Principes, ab reliquorum familiis diſtin-
guuntur, non ſecus, ac Thebanorum Sparti lan-
eâ, & Seleuci Nepotes anchorâ peculiari naturæ
mpetu in ipſorum corpore depictis, Athenien-
ſeſque Cicadis, aut Romani lunulis; quas velut
ntiquiſſimæ ſuæ nobilitatis teſtes geſtare ſole-
bant: hi quidem in calceis depictas, & affabre ex
uro vel argento delineatas; illi verò crinibus
ſuis intertextas, ad formæ decus hoc novo cultu
onciliandum. Te verò quicunque ſemel aſpe-
xit, Fabrici Comes, cui velut Aciliano facies ineſt
iberalis, multo ſanguine, multo rubore ſuffuſa,
& ingenua totius corporis pulchritudo, ac veluti
quidam Senatorius decor; is non habet profe-
ctò, quod aliundè requirat characterem iſtum
manſuetudinis, & benevolentiæ, familiæ qui-
dem tuæ ab omni tempore proprium; ſed pe-
culiari tamen Gratiarum indulgentiâ, in Emi-
nentiſſimo Patruo tuo, eodemque Mecænate
meo munificentiſſimo, ſic egregiè collucentem,
ut ſuâ nobili & delenificâ ſpecie, ſeu mavis cum
Arnobio, oris dignitate, omnium oculos in ſe
convertat, omnium mentes rapiat in ſui amo-
rem, ac deſiderium. Nec mirum eſt ſanè, quod
iſdem illecebris, velut potentioribus philtris, à
naturâ donatus publici quoque favoris & gra-
tiæ, partem aliquam ſuſtineas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

---Veluti Parnaſia laurus,
Parva ſub ingenti matris ſe protegit Umbrâ.

Hoc verò mihi potiùs dolendum eſt, quòd naſcentis tuæ virtutis aſpectu, & herbeſcenti tot florum amœnitate, quos hac tuâ vernanti juventute, in uberrimæ meſſis anteceſſum, quotidiè præmittis, recreari præſens ac refici non potuerim; neque pariter affectum meum, ac propenſæ meę in tua commoda voluntatis teſtem animum, vivâ voce quæ magis ſemper afficit, & præſenti velut obſequio propalare: non quidem ingenii tui fertilem agrum à doctiſſimo tuo Riccio ſingulari diligentiâ pridem excultum, novâ curatione occando, vel repaſtinando; at verò ſecundis votis, & familiaribus etiam colloquiis, ipſum raptim, & quâ ſaltem parte valerem, adjuvando expoliendoque. Sed nihilo-ſecius tamen officio meo defungar, quàm ſi Tibi præſens in tranſitu adfuiſſem. Et quemadmodum divinis rebus operantes, in eam Cœli plagam ora convertimus, à quâ lucis incipit exordium: ſic in iſtâ mortalium conatus per ſtudia noſtra juvandi ratione, quæ res mihi planè ſacra videtur, in exorientis tuæ Virtutis lumen præclariſſimum, undecunque poſſim, reſpiciam, atque ea Tibi de cultura ingeniorum præſcribam, quorum etiamſi minimè omnium indigeas, quandoquidem

Hæc data cùm fuerit talis præſtantia membris,
DI animam membris inſeruëre parem:

Mei tamen haud mediocriter intereſt, qui devovere me ipſum generis tui gloriæ, & conſecrare conſtitui, quantum me ſibi devinxerit inuſitata Ioh. Franciſci ex Comitibus Guidiis à Balneo, Patrui tui meritò ſanè quàm eminentiſſimi benevolentia, hac arreptâ occaſione cunctis patefacere, ſimulque tuam promereri gratiam, & Excellentiſſimi Marchionis à Montebello

Patris

Patris tui frequentioribus votis, quæ pro optima inſtitutione tuâ concipit, libenter inſervire.

Et verò intuenti mihi ſæpius, Fabrici Comes, in iſtius quodcunque eſt negotii, hoc unum inprimis mirum videtur, tot videlicet homines, ingenio felici, & longo rerum ac ſcientiarum uſu præditos, qui iſtud in ſe operis pertractandum recepere; Guarinos intelligo, Agricolas, Eraſmos, Ringelbergios, & cæteros, qui apud Alſtedium per ſaturam recenſentur. eos (inquam) omnes in præceptis tantùm grammaticalibus, & cantilenis familiaribus, vel pueris de trivio, præceptionum ſuarum ſummam repoſuiſſe, prolixaſque commentationes edidiſſe de ſtudiorum ordine, verborum apparatu, ſententiarum copiâ, delectu phraſium, Auctorum imitatione, legendi atque excerpendi & recitandi modo, ſomni tempore, victûs menſurâ, corporis exercitio, & ejuſmodi reliquis; quæ longè ſatius erat moderatorum juventutis arbitrio relinquere, vel Legibus jam in Academia receptis, vel diſcipulorum moribus, ac naturæ convenienter ordinanda: nihil verò unquam præcepiſſe de ſtudiorum uſu, eorundemque ad varias artes applicatione, & generalibus illis documentis, quæ mentem aperiunt ac illuſtrant, ſcientiiſque & doctorum actionibus hunc colorem ſuperinducunt, abſque quo mortuæ prorſus jacent aut ſaltem inſulſæ, fatuæ, ridiculæ, nec majeſtatis ſuæ pondus habentes, nec multùm ab illis, quas Petronius in adoleſcentibus ridet, nondum lectione ſeverâ mitigatis, vel Comici doctoribus ac Pædagogis affingunt, remotæ. Unde etiam nemini profectò mirum videri debet, ſi ferme omnes ab ejuſmodi præceptoribus inſtituti poſtquam ex umbraculis domeſticæ illius exercitationis in publicam hominum lucem prodeunt,

Hos populus ridet, multúmque toroſa juventus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Ingeminat tremulos, naſo criſpante, cachinnos.

Non aliâ profectò de cauſa, niſi quod humanioribus quidem ſcientiis innutriti, ſed illiberali modo, & ſeverâ nimis, ac prorſus inconditâ methodo, dum ſe totos ponunt in addiſcendis memoriter auctoribus, & ipſorum phraſi diligenter exprimendâ, nihilque eorum, quæ in uſu habemus, audiunt aut vident, laboris tandem improbitate efferantur, & deſerunt cætera ſolutum, & puriorem dicendi modum abdicant; urbanioris vitæ præcepta neſciunt; hiſtoriam negligunt, magiſtram ac ducem bene beateque vivendi (de quâ uſus rerum omnium provenit,& peritia tota Reipublicæ conſtituendæ adminiſtrandæque paratur:) denique nec viam ipſi ſciunt, qua itur in forum; nec locum, ubi aut Senatus habeatur, aut populus coëat, aut lites dirimantur: leges, decreta edicta Civitatis ignorant, ſtudia candidatorum, conciliabula, comeſſationes, ne ſomniant quidem: taleſque demum evadunt, ut ſi poſtea Prætores, juri dicundo ſedeant, vel in Senatu ſententiam rogentur, aut illis publicè dicendi, vel de negotio aliquo cùm familiari, tum politico, tractandi munus imponatur, non modò ſe in alium terrarum orbem delatos exiſtiment, ſed aliquando præſentibus riſum excutiant, dum fatua, dum delira loquuntur & deblaterant, totaque eorum non minùs incomta, quàm imprudens eſt oratio. Ut meritò ſanè Græci, genus iſtud hominum ματαιοτέχνες vocent, nomine quidem omni vitæ inſtituto convenienti; Galli verò Pedantes, vocabulo minùs generali, ſed rei tantùm literariæ ejuſque aſſeclis congruenti: quoniam puerili tantùm judicio, atque ineptiis præditi, ubi multum temporis nugando contriverunt, Reipublicæ penitùs inutiles efficiuntur, nec ad res ſerias animum poſſunt adducere; non aliter profectò, quàm ſi quartâ lunâ

à lunâ nati forent, aut Iove irato, in hoc ſordi-
um & illiberale literatorum piſtrinum detruſi.
Quo factum eſt, nec immerenter quidem, ut ſa-
ientiſſimis illis Græcorum & Romanorum tem-
oribus, quæ nobis exemplo eſſe debent, ejus
uod in ſtudiorum ratione fuit præſtantiſſimum,
on aliquoties modò à graviſſimis Auctoribus
erſtricti fuerint, bilemvè Satyricorum, & grande
Perſii ſophos, ac vehementiſſimam Iuvenalis Ne-
neſin commoverint, ſed Comicorum præcipuè
ales, ac dicteria in ſuum caput, velut Cæcias nu-
es & ventos, attraxerint, apud quos, præter
Ruſticos, anus, ancillas, milites glorioſos, & pa-
aſitos, qui turpitudinem ridiculam exhibebant,
ervi quoque, non poſtremum locum obtinuere,
nertiâ ſuâ, vel ſtultitiâ, aut calliditate, ludos fa-
ientes ſpectantium populo. Horum verò cùm
uinque genera conſtituerentur, ſecundum apel-
abatur ἡγεμῶν, quorum officium ſuſpicatur fuiſ-
e Julius Cæſar Scaliger: Heriles filios in Palæ-
tram, in Ludum, ad ſacra deducere, reducere do-
num, & comitari, qualis erat ille Geta Terentia-
nus in Phormiones; Rufos autem ejuſmodi pæ-
dagogos fingebant Græci, capillis in coronæ mo-
dum attonſis, protenſis ſuperciliis accerſitâ fuca-
taque vultûs gravitate ridendos. Sed non defue-
re etiam ex recentioribus viri certè graves, inter
quos noſtrates duos Michaelem de Montaignes,
& Petrum Charondam honoris cauſâ nominabo,
qui vitium hoc, tanquam ingeniorum peſtem, &
bonæ menti prorſus inimicum, cane pejus & an-
gue, vitandum eſſe monuerunt; ut nihil inpræſ-
entiarum de Buchanano, & Palingenio dicam,
qui ſtylum acuere non ſemel viſi ſunt adverſus
tales & tam ineptos juvenum cultores, quorum
moribus & inſtituto ſic infenſum ſe præbuit po-
ſterior ille, non minùs re & præſtanti doctrinâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quàm nomine Stellatus, ut ſuſceptam plagoſi cujuſdam Orbilii deſcriptionem non potuerit tandem aculeatis iſtis, & mordaci ſale reſperſis verſibus non abſolvere:

O caput helleboro dignum! ſic pectora cæca
Imbuis, & rerum ignaros hac fruge ſaginas?
Hoc ſale conditur tenera & petulantior ætas!
O corruptores, non cultores puerorum!

Quæ quidem omnia, eò fuſius, ac libentiùs à me de hac corrupta & depravatâ, cùm docendi tùm diſcendi methodo dicta ſunt, Fabrici Comes; quoniam ex ipſa tanquam Lernæâ quadam Palude, aut Pandoræ pyxide, cætera mala in communem Studioſorum vitam derivantur, quæ nunc ſub tuo ductu, ac felicibus auſpiciis exagitanda profligandaque deſumſimus. Sic enim uſus ferme ſemper obtinuit, ut, præterquam revera qui inter Scholaſticas concertationes tantùm nutriuntur, minùs apti rebus gerendis evadere ſolent; hoc inſuper literatorum nomen, velut quoddam malum omen, & (ſi fas ita loqui,) peccatum originale, ſecum afferant, in quod poſtea quidquid ipſi vel ſorte, vel humanitùs, aut inevitabili neceſſitate peccaverint, ſoleat à male-feriatis quibuſdam, & parum-benevolè judicantibus ſtatim rejici, cùm tamen reliquorum erroribus, qui nullâ, vel admodùm mediocri literarum imbuuntur tincturâ, mille ab iiſdem excuſationum ſpecies prætendantur, quidvis aliud quàm hoc eruditionis nimiæ grande nefas, in culpam vocantibus. Et ſanè (quantum ad me attinet,) parum quoque ab illis diſſentirem, ſi mitiùs ac modeſtiùs cum his omnium innocentiſſimis hominibus ſe gererent, qui longâ jam obſervatione didici, nihil æquè obeſſe artibus ingenuis ac liberalibus ſtudiis (quæ mores emolliunt & temperant, ac homines bene cordatos habileſque ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quidvis laudabiliter tractandum efficiunt, quàm vitium iſtud pravæ educationis, quo poſtmodùm velut excæcati, & Andabatarum more, in omne genus vanitatis, ac ſtultitiæ, & erroris feruntur præcipites. Quare in hoc præſertim unum, totis mihi viribus incumbendum eſſe intelligo, ut propoſitâ jam ob oculos iſtius labis deformitate, quam optimi, & ingenui adoleſcentos pedetentim à Scholis contrahunt, ejus etiam declinandæ rationem in medium afferam; quod inſtituti noſtri videtur eſſe præcipuum. Illo ſiquidem obice à ſtudiorum curſu ſemel amolito, nihil ampliùs impedire poteſt, quò minus ipſa liberalia cenſeantur, & libero homine, (hoc eſt, ad omnem civilis vitæ cultum, & elegantiam compoſito) digniſſima. Hoc autem quò faciliùs conſequar, totius præceptionis, quæ ad iſtud potiſſimùm neceſſaria judicatur, duas partes viſum eſt mihi conſtituere: quarum altera diſcendi, & Lycæum Academiamvè frequentandi munia præſcribet; altera verò ſtudiorum fructum ac utilitatem omnem, ad quævis officia civilis vitę gnaviter exercenda, per bonæ mentis acquiſitionem, ſapienter convertet. ſimulque modum aſſignabit ſtudiis ipſis legitimè utendi, & ab iis præcavendi, quibus durior plerumque ac aſperior experiri ſolet, familiaris eruditorum hominum conſuetudo. In utriuſque verò partis tractatione, generalibus præſertim documentis inſiſtam, cùm particularia non niſi difficillimè præſcribi poſſint, aut in artis, vel ſcientiæ methodum reduci: ipſaque mentis, non ſecus ac corporis, in unoquoque homine, medela artificum induſtriæ relinquenda ſit; quorum intereſt maximè univerſalis artis ſuæ regulas, ad particulares ſubjecti, quod præ manibus habent, differentias accomodare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Quemadmodum igitur magnum iter ingreſſuri Mercurio litant, Deoſque viales ſibi propitios reddunt, quorum Auſpiciis feliciter progrediantur; & ipſi Nautæ cùm in altum feruntur, Cynoſuram continuò reſpiciunt, velut navigationis ſuſceptæ ducem: ſic & adoleſcenti, in Herculis bivio primùm inſiſtenti, varii quoque ab optimis auctoribus præſtituti fuere duces, per quos, tanquam per media quædam omninò neceſſaria, mens illius, à carceribus ſuæ cupiditatis, ad deſtinatam ſcientiarum metam perveniret. Quamvis tamen ingenuè fatendum ſit, non minorem in ipſorum aſſignatione varietatem, & confuſionem ſtatim deprehendi, quàm in cæteris rebus, de quibus diverſi unquam homines, aliquid ſuo modo, vel genio ſtatuere voluerunt. Siquidem inſignis ille Philoſophiæ Platonicæ Vindex Marſilius Ficinus præceptoris ſui veſtigiis inhærens (qui ſuperſtitiosè multa proſequitur,) novem itineris hujus Duces conſtituit, quorum primi quidem tres in Cœlo, tres ſequentes in animâ, poſtremi tres in terra nos deducant: Unde, ſi quid illi credendum, *Mercurius* ille cœleſtis, qui primus omnium occurrit, ut inveſtigando Muſarum iter ingrediamur, vel impellit, vel adhortatur. deinde *Phœbus* ipſe, animos in cauſarum inveſtigatione deſudantes, & res quæſitas, ſplendore uberrimo ſic illuſtrat, ut perſpicuè illud ipſum, quod latebat, à nobis inveniatur. Accedit gratioſiſſima *Venus*, cujus mirificâ quadam & ſalutari voluptate circumfuſum hoc, quod inſtigante Mercurio quæſitum fuit, & monſtrante Phœbo jam erat inventum, delectet ſemper, & proſit. Sequuntur poſteà (apud eundem) tres itineris hujus Duces in animo, nempe *voluntas ardens, & ſtabilis*; *acumen ingenii, & memoria tenax*. Tres verò in terra po-

ſtremi

‑remi ſunt: prudentiſſimus *paterfamiliâs*, pro‑batiſſimus *præceptor*, & *Medicus* doctiſſimus. ac ‑æteros quidem Duces Deum & naturam ab ‑nitio nobis largiri, tres autem reliquos, à noſtra ‑iligentiâ pendere contendit: omnes verò ſic ‑eceſſarios eſſe, ut abſque iis novem Ducibus, ‑eminem unquam ad ipſum Muſarum tem‑plum perveniſſe confidenter aſſerat. Neque ma‑gis ad rem appoſitè locutus eſt Paulus Scaligius, ‑um in quovis ſtudio quinque meditanda propo‑nit: *primum*, ut in contemplatione Divinitatis ‑mpendatur, & finem ſibi conſtituat divinum. ‑*ein*, ut ordinem obtineat tendentem ad bonum ‑niverſi, non privatum: *poſtmodùm*, quod non ‑i, ſed ſponte ſuſcipiatur, idque cum univerſaliſ‑ſimâ rerum omnium quæ ad ipſum pertinent, ‑*ognitione* & *judicio*, nulli, præterquam unicæ ve‑ritati, mancipato. Iſtis verò paullò antiquior An‑onymus quidam, meliùs aliquantiſper colli‑mâſſe mihi videtur, licet ejus ſententia Leoninis ‑erſibus alligata, parum venuſtatis & gratiæ, ‑duobus iſtis (quibus integra comprehenditur) ‑fferat:

Multa rogare, rogata tenere, retenta docere:
Hæc tria diſcipulum faciunt ſuperare Magiſtrum.

Quibus addam libenter (parcant mihi Vir‑giliani Manes, & quidquid in Helicone reperitur ‑ridâ modò pumice expolitum) ſex alias cla‑ves, quas non admodùm elegantiori carminum genere à præceptore ſuo comprehenſas, magni ſemper fecit, vir (ſupra quàm barbaries ſeculi ſui ferebat) in omni literarum genere verſatiſſi‑mus Joh. Sariſberienſis, Carnuti, quæ Civitas eſt Galliæ, Antiſtes meritiſſimus; à quo ſic in o‑pere de nugis Curialium hoc ordine recenſen‑tur, explicanturvè accuratiſſimâ ſingularum de‑claratione:

Mens humilis; ſtudium quærendi; vita quieta;
Scrutinium tacitum; paupertas; terra aliena:
Hæc reſerare ſolent multis occulta legendo.

Sed quò paulatim ad antiquiores illos & melioris ævi retinentes, rectè loquendi & ſentiendi magiſtros, accedamus; en! Auſonii noſtri Burdegalenſis verſatilis Muſa, ludentiſque calami mira fœcunditas, Demoſthenis eâ de re judicium, perbrevi ſanè hoc Epigrammate, ſed multis tamen obſtructo difficultatibus comprehenſum, nobis offert:

Diſcere ſi cupias, doctis quàm multa licebit
Quæ nôſti, meditando velis inoleſcere menti,
Quæ didiciſti, haud dum, diſcendo abſumere tendas.

Sic enim illud exhibent Typographi recentiores, cum tamen ante ſeptuaginta annos Aldinus codex, & Gryphius poſtea liquidò haberent in primo verſiculo *Doctus*, quæ vox malè intellecta fucum procul-dubio fecit diſertiſſimo Eliæ Vineto, cujus operâ atque induſtriâ, Auſonii monumenta emendatiora explicatioraque habemus. Hic enim (uti probum Virum, atque ingenuum decebat) ſincerè fatetur, ſe mentem hujus epigrammatis aſſequi non valuiſſe; quam paullò pòſt Hugolinus quidam Martellius, operæ pretium eſſe duxit integro volumine declarare: ſed ſatiùs illi profectò fuiſſet micare digitis, aut cucurbitas pingere, cùm huic potiùs tam ſpiſſum (velut ſepia) atramentum infuderit, ut illud vix eluere poſſit quidquid eſt aquarum in Hippocrene, & Pegaſo; adeò ſingula quæque verba malè torquendo, quo ſex in illis gradus ad expeditè diſcendum inveniret, omnem ferme Epigrammatis ſenſum corrupit, qui ſic (meo quidem judicio) reſtituendus eſt, ut nihil aliud ſibi velit Auſonius, niſi modum edocere, quo docti homines multa loqui, & dicere poſſint

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ex tempore. qui quidem modus in hoc tantùm conſiſtere videtur, ut, quæ jam optimè nôrunt, velint ea inoleſcere menti, id eſt, firmiter inſerere, ac imaginationi & ingenio commendare; quemadmodum eodem ſenſu dixit Agellius: *Natura induit nobis inolevitque.* quæ verò nondum bene didicerint, frequenter dicendo & repetendo adſumere, & altiùs memoriæ infigere conentur; ſicque totum Epigramma lego, & interpungo:

Diſcere ſi cupias doctus quàm multa, licebit.
Quæ noſti, meditando velis inoleſcere menti:
Quæ didiciſti haud-dum, dicendo adſumere tendas.

Denique cùm divina Philoſophiæ Syren (Platonem intelligo) tria tantùm in Studioſo deſideret, nempe, ut ſit *diſcendi cupidus*, *veritatis amans*, & *laborum patientiſſimus:* nihilque requirat in Philoſophiæ candidatis mortalium, vel Apollinis judicio, ſapientiſſimus, præter acumen ingenii, quàm memoriam; ſtudium & ardorem diſcendi; tolerantiam moleſtiarum, quæ diſcendo ſunt exantlandæ; veritatis amorem; ac demum, ut omne ſuum tempus ejuſmodi ſtudiis libenter impendat. quibus non admodùm diſſimilia artis ſuæ tironibus jam diu antè præceperat Medicinæ præcipuum Numen Hippocrates: naturam in illis; locum ſtudiis aptum; induſtriam; tempus; doctrinam; & exercitationem, deſiderans. Horum certè omnium vota comprehendiſſe, & in meliorem ordinem redegiſſe videri jure meritò poteſt alterum ab ipſo Hippocrate Medicorum decus, Claudius Galenus. Ille ſiquidem libri de Conſtitutione artis cap. 6. ſeptem velut præparationes in adoleſcentibus requirit, antequam altioris Philoſophiæ penetralia ſubeant, quas animus mihi eſt paullò diligentiùs examinare, quandoquidem ſunt veluti quædam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

prælúdia & propædeumata, ad reliquas artes commodiùs addiſcendas; quæ & Tibi, Fabrici Comes, & cæteris, qui in humanioribus literis erudiuntur, non mediocri etiam adjumento eſſe poſſunt. Quanquam nunquam ego exiſtimârim, ita pertinaciter in ſingulis tibi eſſe inhærendum, quaſi abſque uno vel pluribus ipſorum in doctiſſimum aliquando & ſapientiſſimum hominem evadere non poſſis. *Natura* igitur *primùm* à Galeno deſideratur: non illa quidem, quam pro temperie, vel facultate corporis rectrice, alibi Medicorum uſui convenienter uſurpavit; verùm, pro hac ingenii & mentis facultate, quam intelligit Cicero in Oratione pro Archia poëtâ, ubi aſſerit: *Se multos vidiſſe homines excellenti animo, ingenio ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina naturæ ipſius habitu prope divino.* Quo ferme ſenſu eandem definivit Ariſt. libr. I. Analyticorum cap. ult. & ſectione XXIX problematum, problem. VIJ. ſubtilitatem quandam ingenii, medii in non perſpecto tempore inveniendi. Unde non parum refert, utrùm quis ad iſthæc Muſarum ſacra naturam afferat Palamedis aut Therſitæ; Ariſtotelis aut Margitæ; Ciceronis aut Bambalionis. Quoniam niſi probè à natura affectus ſit animus (qui ſcientiarum omnium ager eſt) ſed contrà ſit ingenium hebes, judicium immaturum, fallax memoria, vix ac ne vix quidem, ſemina ſapientiæ poterit accipere. Ut enim è quovis ligno non fit Mercurius; ſic nec ex quovis homine philoſophus: ſed, quemadmodum inter lapides, quorum nomen, hac fortè ratione, Græcis hominibus inditum eſſe voluerunt, cum ipſos λαοὺς appellavere, alii ſunt vulgares, obſcuri, terreſtres, ſcabri, rudes, ingrati, vilioribus tantùm ædificiis inſervientes; alii verò micant continuò, fulgent, luceſcunt, ardent, ſtellantes demum ac perſpicui

perſpicui & pretioſiſſimi apparent: non ſecus inter homines, alii plebeji ſunt, barones, bardi, ſtupidi, quid diſtent erva lupinis vix dignoſcentes, ut credibile eſt quondam fuiſſe Coræbos, Macconas, Myrichos, & ſiqui præter ipſos ſtultitiæ famâ, longâ temporum ſerie, ad hanc uſque ætatem pervenerint; Alii verò ſublimi genio pollentes, & ſuo pretio commendati, quales apud antiquos extitiſſe legimus mirabiles illos extemporaneæ orationis artifices, Prodichum Chium, Carneadem, Chriſippum, Protagoram, Gorgiam Leotinum, Hippiam, & reliquos ejuſmodi Sophiſtas; qui in publicis Græciæ conventibus de quocunque Scibili, imparati dicebant, ad miraculum uſque doctè & eleganter. Apud nos verò Ioh: Picum Mirandulanum, Tiberium Ruſſilianum, Iacobum Mazzonium, Eminentiſſimi Patrui tui in humanioribus ſtudiis præceptorem, PaulumScaligium, Hieronymum Butigellum, AntoniumPerſium, IacobumCritonium, Eduardum Moninium. qui de omnibus ſcientiis, in ipſa pubertate reſpondentes, ingenium videntur obtinuiſſe ad omnia factum, mentemque totius univerſitatis rerum capacem, quâ præeunte nihil non pervium illis offerebatur, nihil non retegebatur abſconditum; ut meritò, quemadmodum Demoſthenes primas in Oratione detulit pronunciationi: ſic jure Galenus naturam ingeniumque prælucere voluerit liberalibus ſtudiis, & ſapienter inſtitutæ juvenum educationi. *Secundum* verò, & *Tertium*, quæ poſt naturam deſiderabat Galenus, hæc erant, nimirum ut pueri ſtatim ab unguiculis laudabiliter, & ab optimis *præceptoribus inſtituantur*, non aliter prorſus quàm apud Horatium:

Fingit Equum tenerâ docilem cervice magiſter
Ire viam, quam monſtrat Eques,

Multum

Multum ſiquidem refert, illos molles adhuc, & ductoris pollicem ſponte ſequentes, laboribus aſſuefieri, & informari ad virtutem, priuſquam domeſticâ indulgentiâ corrupti, vitia cum intelligant, tum deguſtârint, maximè cùm propter effervefcentiam cupiditatum, & quod nondum in illis adulta ſit ratio, quæ poſteaquam bene confirmatà eſt, vix etiam videtur poſſe, ſenes & ætate provectos homines, ab omni errato & culpa coërcere; multa in hanc ætatem cadant, quæ ſunt interdum vitio propiora, quàm virtuti: & rectè monuerit Marcus Aurelius Imperator, eum, qui in hoc primo & præcipiti ætatis flexu non cadit, non poſſe ſaltem non graviter titubare: Quare optimis ſtatim præceptoribus committendi ſunt, à quibus & virtutum prima rudimenta ſuſcipiant; & ea maturè doceantur, quorum gratiâ nomen ac æſtimationem ſibi deinceps volent comparare, nam

——— Venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in Sylvis Catulus,

Inquit idem Horatius. Et verò, Licèt multos olim αὐτοδιδάκτους repertos fuiſſe non ignorem, qui ſuâ induſtriâ, nullius adjuti miniſterio, illud etiam dicere poſſint, de quo ſe jactabat Cytharœdus quidam apud Homerum: Ex me ipſo edoctus ſum, neque alius mihi niſi Deus menti animoque tot numeroſas indidit cantilenas. Quemadmodum Heraclitus Epheſius, quem narrat Plutarchus, nullo commonitore & commonſtratore, philoſophiam omnem percepiſſe; & Manlius Eques, factus (ſi Plinio credendum,) nullo præeunte, doctiſſimus; & Apulejus, qui hoc de ſe prodit, primo fabularum; Epicuruſque annuente Tullio; & Virgilius, referente Petrarchâ; ac demum divus ipſe Auguſtinus, qui

qui lib. 4. confeſſionum gloriatur, ſemet ipſo legiſſe liberalium artium libros, & intellexiſſe: Noſtriſque ſimiliter temporibus, multis emergere, abſque præceptorum operâ, contigerit, ut Petro Ramo in philoſophiæ ſtudiis; Mureto in arte oratoria; Guilielmo Poſtello, in linguarum penè omnium, Ebraicæ verò præſertim cognitione; Cujacio in Iuris prudentiæ notitiâ; Philelpho denique ac Budæo, in omnibus humanioribus literis: licèt, inquam, plures alii ſuâ ſponte & naturâ, bonas & Muſicas artes potuerint addiſcere, brevius tamen hoc iter illis fore, & compendioſius, ſemper exiſtimavi, quibus præceptores aliqui, aut ſaltem præmonſtratores ſtudiorum & comites adjunguntur, qui non modò eò jam eruditionis & doctrinæ ſuis laboribus provecti ſint, ut meritò poſſint aliorum informationi præeſſe; ſed qui præterea, rerum æquè ac ſcientiarum uſu polleant, nec minus exploratam habeant communem vivendi, quàm docendi rationem. Atque hæc tria Galeni vota quartum ſequebatur, videlicet, ut Muſarum ſacris initiatus, per continuos labores ac honeſtum ſudorem, ingenium ſuum magis magiſque expoliat, nunquam in currrendo defatigatus, non anhelus, nec ſupirioſus; ſed quò longius ſpatium eſt, ita in eo penitùs emetiendo ſe vehementiùs inflammet & accendat, ſecumque reputet, laborem vocari ab Euripide honoris patrem: & neminem ſibi ex voluptatibus laudem quæſiviſſe; cùm Dii ipſi cuncta nobis laboribus emenda tradiderint, & ipſorum imitatione Ægyptii, ac omnes fermè Græciæ populi, ſapienter caverint, ut inertes & otioſi, per totum vitæ ſpatium, inglorii ac ignobiles haberentur: Romani verò forti Fortunæ quam Vacunam, & otioſorum patronam appellabant, nullum in Urbe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Templum, ſed trans Tyberim ædificandum eſſe cenſuerint, ut inertiam omnem animorum a ſtudiorum peſtem, à bene inſtitutæ Civitatis finibus, procul arcendam judicarent. Quæ omnia ſi eò tantum, ab Auctoribus referuntur, ut ad ſellularias plerumque & ignobiles operas oppido perſequendas homines excitent; tum verò maximè, juvenes urgere atque impellere debent, ut liberalibus, quarum cognitione nulla eſt jucundior, nulla pulchrior, aut humanior, omnem animum, omnem conatum & impetum fortiter applicent; tantoque libentiùs, in id unum ſibi incumbendum eſſe reputent, quanto res præſtantiſſimæ longè carius emi ſolent, quàm viles & unicuique paſſim obviæ, ut enim rectè quidam non infimi ſpiritûs Poëta:

Nocte graves ſomnos reſolutus compede foſſor
Carpit, & in mediis Nauta quieſcit aquis.
Nocte tibi nigræ, fuligo bibenda lucernæ eſt,
Si modò Calliopes caſtra ſequenda putes.

Et verò, ſi magnorum Virorum exempla quidquam ad hoc perſuadendum valent, non deſunt ſanè illuſtria. Plinius ſiquidem, ſomni homo parciſſimi, inter cœnandum, libros ſibi legi ſæpiùs jubebat, & Romæ ſellâ vehebatur, ut faciliùs poſſet lectioni incumbere. Similiter de Catone Uticenſi refert Valerius, eum nec in Curia quidem, dum Senatus haberetur, ſibi temperâſſe, quò minus Græcorum libros lectitaret. & Origenes, ut ad noſtros deveniam, nunquam manus habebat pugillaribus vacuas, nec cibum libenter ſumebat, cùm eruditioni ſuæ acceſſionem aliquam factam non arbitraretur. Sic divus Hieronymus, dentes ſibi limâ abraſerat, ut liberiùs ac faciliùs poſſet linguam Hebræam pronunciare; & perpetuò aliquid meditabatur, quod ad Dei Tribunal afferret. Sed quid antiquos

ios commemoro? quùm duo Galliæ lumina udæum&Turnebum, ipſo nuptiarum die,bo-as aliquot horas ſtudiis impendiſſe, tam cer-im ſit, quàm quod eſt certiſſimum. Imò verò im improbi & pertinaces quorundam fuere la-ores, ut ſuſpiciendi potius, quàm imitandi eniant.Egredientibus Bononiâ, ſi ad Orientem er flectant, locus oſtendi ſolet, Sancti Victoris omine,in quo celeberrimus juris interpres Bar-iolus, triennio quaſi ſepultus manſit, ut Im-eratorias ſanctiones penitùs addiſceret. Nec de-int apud nos, qui fidem obſtringant, Theodo-un Marſilium Regium in Academia Parienſi ofeſſorem, ita ſtudiis addictum vixiſſe, ut de-m annos integros, ne pedem quidem extule-t extra Collegii Pleſſæi limen, ubi primùm A-idemiam ingreſſus, ſedem Muſis ſuis elegerat. ed hæc monſtrorum loco habenda ſunt,& ſco-ilorum inſtar, ad quos elegantioris doctrinæ udioſi nunquam debent impingere, ſi bonæ ientis opinionem ſibi ſervare velint, vitamq; à ommuni ſtudioſorum ruſticitate,atque ut ita di-im ἀφιλανθρωπίας liberam ducere. Adjunxit poſt a Galenus *methodum*, ac *ordinem*,exemplo natu-e, quæ nihil abſque ordine meditata eſt, vel ef-ecit unquam; proptereaque Plato ipſum eſſe icebat, ſcientiarum ac artium omnium for-iam: & Socrates ſe ejus libenter tanquam ali-ijus Dei veſtigia ſecuturum aſſeruit, qui rectè oſſet diſtribuere. tanta vis ineſt appoſitæ rerum actationi: tam præclara res eſt, & omnino ne-eſſaria methodus! ſive illa ſervetur in Academi-s vel forenſibus negociis, ſive in artibus me-ianicis aut liberalibus. Imò verò,quemadmo-um, niſi debito tempore occationes, repaſtina-oneſve, & tertiationes (quæ methodus eſt A-ricolarum,) campis afferantur; niſi paululum inter-

interquieſcere permittantur, Cœlique diverſ tempeſtates opportunè excipiant, quantumcun que ſuâ natura fertiles ſint & uliginoſi, ipſi ta men pro frumento rubos, pro ſiligine ſentes, pr tritici deliciis infelix ſolium, & quiſquilias aff rent: pari modo juvenis animus, nihil unqua egregium in ſtudiis præſtare poterit, niſi pri mentem ſuam confuſione liberet, & Medico rum inſtar (qui liquida ſolidis, & coctu facilia i ſtomachum præmittunt) à facilioribus incipien do, viam ſibi ad difficiliora muniat, omnia ſuav ter diſponens, arteſque & ſcientias per partes a diſcens, abſque ullâ oberratione; quia variis a fractibus animum diſtrahit, nec permittit eu huic ſe negotio tantùm, quod præ manibus h bet, familiariter applicare. Quòd ſi tanta vis in eſt optimæ diſpoſitioni in oratione, ut alicu ex placitis Rethoricæ dicenti, aures ſuas teret ac purgatas unuſquiſque ſtatim accommode & quicquid ipſe proferet, velut à benigno quo dam, & pluſquam Amalthæo cornu defluum ac cipiat; quàm ſuavior debet eſſe harmonia quàm jucundius melos? non quidem diverſa fi dium; non multi foratilis tibiæ, vel diſparium calamorum: ſed Græcorum cum Latinis; orato rum cum poëtis; diurnæ lucubrationis cum no cturnâ; laboris cum quiete; jocorum cum ſtu diis in uno ſimul juvene, ſapientiſſimâ prorſus & admirabili methodo, rectè inter ſe convenien tium. Verùm tempus eſt, ut ad duo poſtrem deſcendamus, quibus Vir ille doctiſſimus, diſci plinæ cujuſvis præludia concluſit, nempe *verita tis amorem*, & crebram ac continuam *exercita tionem.* Quamvis de veritate, pauca hîc à me di cenda ſint, qui in alterâ hujus Syntagmatis par te, de ejus utilitate, & inveſtigatione me dictu rum ſpero, interim illa, ſi quodvis aliud, Tyroni

bus

is noſtris maximè neceſſaria eſt, ut omnibus
am aliis, quicunque eam vitæ ingredi ratio-
m ſibi proponunt, ex quâ ſcientia animo ad-
niens, tanquam oculis lux, tutiſſimum iter
liquum præſtaret; Ea ſiquidem lux in Pana-
enaicis, quod monet Tyrius, comparari non
teſt. nec viæ ad ipſam ducentes nugæ ſunt,
t deliramenta verborum; non villicæ curatio-
s; nec forenſia negotia: verùm amor veritatis
exiſtentium rerum ſpeculatio, quæ huic neg-
io impendatur. *Exercitatio* denique multum
iam hîc obtinet momenti; quandoquidem (ut
quit Ariſt.) rerum expertos videmus magis id
od intendunt conſequi, quàm illos, qui ra-
nem abſque uſu & experientiâ tenent. unde
in Eloquentiæ vel Poëtices ſtudiis ſtylus non
erceatur; ſi in theoretica Philoſophiâ contem-
atio frequens non adſit; aut in practicâ uſus &
ercitatio negligantur, cætera parum, aut ni-
l, juvare poterunt, ac fermè ut experientia
os docet, quòd

—Ferrum, dum tranſit in uſus,
Aſſiduo ſplendore micat; vultuque nitenti
Audet ad Argenti decus adſpirare ſuperbum:
At ſi longa quies ierit; fuſcatur, & atram
Vertitur in ſcabiem, celerique abſumitur ævo.

Eodem etiam propè modo dicendum eſt, men-
em noſtram deſidiâ flecti, otio torpeſcere, &
imiâ quiete ſenſim debilitari; quæ ſi diligen-
i uſu, aſſiduâ lectione, & jugi contemplatione
xerceretur, difficilima quæque facili negotio in-
elligere poſſet, & miraculum ſui in hominibus
xcitare. Atque hæc ſunt, Fabrici nobiliſſime,
uæ ſapientiſſimi homines ad expeditam di-
cendi rationem, velut prærequiſita & iſagogi-
a, ſuis in libris deſideravere, in quorum expli-
atione ſi diutiùs immorari viſus ſum, quàm
fortè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

fortè rationi conſentaneum judicabitur, id omne feci, cùm tuâ, (quem vehementer delectar ſolent hujuſmodi præceptiones,) tum aliorum præſertim de cauſa, quos non poſſunt non aliquo modo juvare. aliquo modo dixi; quoniam nec illas, ſi libenter ſe obtulerint, negligi vellem nec, ſi non ſe obtulerint, vehementer requir Naturâ cujuſque (quæ nihil ex omni parte beatum efficit, aut meditata eſt unquam,) ſibi viam per incognitos plerumque calles ad ardua moliente, & ſupplente auxiliorum, quæ ad id neceſſaria judicamus, defectum, per alia quædam nova, & inexcogitata, ut nobis exemplo ſint hominem (quemadmodum innuit Cicero) varia habere inſtrumenta, ad obtinendam adipiſcendamque ſapientiam, & ipſam naturam Vertumni cujuſdam, aut Protei modo, varias ſpecie induere, nec ullis legibus aut vinculis poſſe alligari. Et re-vera videmus plerumque multos eſſe ingenio admodùm hebeti & obtuſo, qui tamen labore, & diligentià tarditatis ſuæ damna rependant; alios ætate provectiori vix è carceribus ſolviſſe, qui nihilominus ingenio ſuo adjuti, priùs quàm reliqui metam attingant; quoſdam denique vix præceptoribus operam dediſſe, aut ſtudiis, exercitationi, methodo tempus impendiſſe, qui propter alias dotes nihilo-ſecius feliciter, quàm cæteri curſores, ſtadium abſolvant, ut hæc omnia propædeumata non tanquam abſolutè neceſſaria, ſed facilioris tantùm & expeditioris doctrinæ gratiâ, cùm à Galeno, tum ab aliis propoſita videri poſſint. Quorum præclaris opinionibus ſi meas lacinias licitum mihi eſſet attexere, tria tantùm proponerem, quæ unicuique ad eruditionis & doctrinæ decus anhelanti omnino præſtanda ſint: videlicet ut planè recteque *percipiat* quod diſcit; ut fideliter, quod

uod percepit, contineat; & ut ex eo aliquid ipſe
einde *parere proferreque* valeat. Primum, diligen-
s lectionis eſt opus; ſecundum, fidæ memoriæ;
ertium, aſſiduæ exercitationis. Omnia verò ſic
nter ſe cohærent, ut mutuis inter ſe connectantur
uxiliis, & unum ſine alio vix quidquam laude
ignum poſſit efficere. Sive enim quis proprio
antùm vel præceptoris ductu, & tardè vel ma-
urè, aut cum ordine vel confusè, operam literis
mpendat, niſi tamen quæ legit probè percipiat,
t quæ percepit, fideli memoriâ reſervet, ex ipſiſq;
andem aliquid in ſuum, aut aliorum uſum eli-
iat, non video, quem demum poſſit tot lucubra-
ionum quæ ſtudiis impenduntur finem adipiſci.
Iis igitur, velut tribus pedamentis & fulcris, in-
ixus adoleſcens, liberalibus diſciplinis inſtituen-
lus, debet illas inprimis domi quidem, non in
Gymnaſiorum ergaſtulis (quemadmodum apud
Gallos præſertim fieri conſuevit,) addiſcere. ut
ropterea longè meliùs ab Italis, liberorum ſuo-
um educationi conſultum fuiſſe exiſtimem, qui
ræterquam, quod furentium plerunque quorun-
lam Hamillorum inclinationes hoc modo delu-
lunt, ſibiq; à publico dedecore præcavent; hoc e-
iam inſuper lucri faciunt, ut minus inficiantur
iberi, vitiorum colluvie, quæ illic tam variè ſpe-
ctantur, quàm diverſæ ſunt eorum, qui in ejuſ-
nodi locis ſimul recluduntur, naturæ: Præcipuè
erò, cùm expulsâ jam, aut veriùs extinctâ, illâ
najorum noſtrorum probitate, quâ feroces juve-
ium animos, & in omne vitium proclives, adeo
everè cohercebant, ut Clauſtris emiſſi, nimiâ tan-
ùm ſimplicitate, ac morum ruſticitate peccare de-
rehenderentur; Summa quædam & intolerabilis
mnino peccandi licentia, ejus locum occupet,
ua non ſecus ac medicamine præpotenti, vel
nagico carmine, novi ſtudiorum moderatores,
abactos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

abactos hinc & inde ex aliorum Scholis diſcipulos, in ſuas allicere certant, omnia illis præter ſolœciſmum in Themate indulgentes: ut non ampliùs tanti faciendæ ſint publicæ exercitiorum ſcholæ, propter æmulationem ſtudiorum, poſtquam fieri non poteſt, quin ſimul afferant æmulationem vitiorum. Domi igitur adoleſcentem volo, qui parentum exemplo, mores ſibi fingat; domeſticorum convictu, ſolertiam excitet; amicorum colloquiis, libertatem cùm loquendi ſapienter & modeſtè, tum adeundi ætate provectiores, aut principes, æqualeſve ſalutandi, ut moribus loci ac temporis convenit, accipiat; mercatorum & artificum familiaritate, res quarum uſu carere non poteſt, & intueatur & cognoſcat; omnes denique ſuas actiones ad urbaniorem vivendi modum componat, Celeuſte in omnibus & præcurrente, ac honeſtum & decorum in ſingulis præmonſtrante, doctiſſimo ſimul, ac ſapientiſſimo præceptore: qui ipſum liberali modo, ac nobili prorſus & generosâ methodo, de animi moribus, vitæ officiis, & ingenii dotibus, ac diſciplinis, ſive ſedens in Muſeo, ſive obambulans in horto, ſive unà, ſi caſus tulerit, iter faciens, familiariter admoneat; ſibique triplicem hunc finem proponat, ut pari cum doctrina virtute, & morum elegantiá inſtructus, adoleſcentem quoque ſuæ inſtitutioni commiſſum, non minùs probum efficiat, quàm literarum intelligentem & urbanum. Iacienda ſunt enim in hac ætate fundamenta bene vivendi, non ſecus ac bene dicendi; & formandus ad virtutem animus, dum tener eſt & facilis quamlibet impreſſionem admittere, quæ ut nunc erit, ita & in univerſa vitâ ſervabitur: verùm quò præceptor huic ſe muneri feliciùs accomodaret, vellem hunc Horatii præcepta ſecutum:

Aeta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſque decor naturis dandus & annis.

Exploràſſe diligenter, quænam ſint ætatis cuuſque & adoleſcentiæ præſertim virtutes, ac vila, vocatis in conſilium, aut ejuſdem Horatii liro ad Piſones, aut Rhetoricorum Ariſt. 2. in uibus ipſa non minùs doctè, quàm eleganter & opiosè delineantur; ut deſpicere poſſet, ſi quid pſi committant, quod ſit virtuti alienum atque fficio, num id ex eo genere crimen ſit, quod ad onum morem corrumpendum valeat, an quod b ætatis, & adoleſcentiæ, quaſi fermento quolam, fuerit profectum, iſtud enim levi tantùm dmonitione indigere videtur, prius verò graiori aliquantum cenſurâ, ſed quæ tamen ab mni impetu, violentiâ, & præcipiti aſperitate mmunis exiſtat; ne vel ad illiberalem animi timiditatem ſe abjiciant, quæ vires ingenii potiſſinùm enervat, naturæque igniculos in pueris extinguit; vel ſi fuerint naturâ contumaciores, ritantur in adverſum: & verò ſi rectè cogitanus, cùm nemini expediat metu contineri in officio, minimè omnium convenit adoleſcentiḃus, quorum præſertim animos ad decus, & ad ioneſtatem cupimus informare. Quamobrem non moroſus erit præceptor, non aſper, aut ſinula curioſiùs inſpectans, ullamve in partem imnitis, aut truculentus, ſed facilem & indulgenem præbebit ſe diſcipulo, cuncta illi ſuppeditans, luæ vel honeſtè, vel utiliter deſiderare poteſt, ſive equis ille oblectetur; ſeu canes ad venandum ppetat; ſeu libris, aut veſtibus capiatur: hæc enim omnia ſi graviter atque magnificè, non per ndulgentiam concedantur, mirum quantum in nimo illius excitabunt, & ad amorem, & ad reverentiam, ſtimulum. Infirmus enim & debiis virtutis cuſtos metus eſt, & errat longè (meâ

E quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quidem ſententiâ,) qui imperium in diſcipu
gravius & ſtabilius eſſe putat, vi quod fit, qu
quod amore adjungitur, ut proinde non inju
quidam dixerit;

peragit tranquilla poteſtas
Quod violenta nequit, mandataque fortiùs urge
Imperioſa quies.

Omnino autem legitima cum ingenuis t
ctandi methodus hoc requirit, ut ſtudio lau
excitentur ad officium, incendanturque am
gloriæ & virtutis, unde in illis oritur gener
quædam invidia, & ſine odio de laude probi
teqúe contentio. Hoc autem conſequi faci
mum erit, ſi non perfunctoriè exerceantur in h
ſtoriarum lectione, illuſtriumque virorum el
gia, aureâ prorſus, & magnificâ dicendi uber
te, à Paulo Jovio, Sammarthano, Uberto Folie
& Pignorio literis conſignata, frequentur ev
vant; in quibus & ſtylum ad eloquentiam ac
re poterunt, & animum ad heroicæ virtutis
maginem componere. Nam ſi P. Scipio, &
Fabius, quod omnibus fere generoſis mentib
uſu-venit, illuſtrium virorum contemplandi
maginibus excitari ſe magnopere dicebant, q
res Themiſtocli quoque deſiderium ingeſſit,
Miltiadis honoribus, aliquando poſſet obſtr
re, & Julium quoque Cæſarem visâ Alexan
Magni Imagine ad ſummam rerum accend
quid conſentaneum eſt evenire, cùm tot vir
tutum exempla conſpicient; tot facinora ve
oculis ipſis uſurpabunt, quæ vel ignaviſſimos h
mines poſſent ad virtutem inflammare? At v
rò, cum bene præclaréque vivendi conſtituta
tio nunquam eò per ſe attingere poſſit, ut ex h
manioribus literis plurimum non modò orn
menti, ſed etiam incrementi non recipiat; c
ab Agellio humanitas ipſa non ſolum dicat

e

eſſe philanthropia,& inſitus in hominum naturâ
ımor, ſed etiam παιδεία ſive inſtitutio, quâ
eddimur civiliores ad ſocietatem publicam, ha-
um præſertim humaniorum ſcientiarum ope,
quæ jam communi modo loquendi complectun-
ur quidquid pueri diſcunt poſt grammaticam,
ıd maturius uſque Philoſophiæ ſtudium: ratio-
ıi proinde conſentaneum eſſe videtur, & ſynta-
ɡmatis ipſius methodo, ut abſolutâ jam, quæ de
noribus eſt,& communibus ad rectè docendum
præceptis,tractatione,ad eam nunc deveniamus,
quæ de ſtudiorum ordine ac progreſſu tractare
lebet. Enimverò vis divina animæ noſtræ, quæ
erum ſcientias & formas capeſſit,quæque inge-
ıium dicitur Philoni Iudæo; & quam ex Sene-
a, qui certo ordine methodoque exercent,
cientes; qui ſublimiùs indagant, ingenioſi; qui
apientiùs, judicio præſtantes; qui altiùs, me-
norioſi; qui perfectiùs, docti; qui utiliùs, ſa-
ɩientes appellantur: hoc (inquam) ingenium
ıominis cum multis ſcientiis ornare ſe poſſit, ut
Philoſophiâ,Mathematicis,Theologiâ,Iuriſpru-
lentiâ, & ſimilibus tum maximè unâ, quæ *Hu-
manitas* dicitur, eſtque fundamentum aliarum,
ınde homines humaniores cultioreſque fiunt.
Hæc verò non adeò anguſtis ex ſe finibus cir-
umſcribitur, quemadmodum in ſcholis rece-
tum eſt ipſâm definire, ſed decem partes com-
rehendit,videlicet:linguarum notitiam,Latinæ
ræſertim & Græcæ, (nam Ebraicam, Syriacam,
Chaldaicam,Arabicam,magis amant Theologi,)
loquentiam, Poëticam, Geographiam, Chro-
ologiam, Hiſtoriam, Antiquitates, Fabulas, &
Criticam,ſive librorum cenſuram;de quibus pau-
a ſigillatim,præcipienda ſunt.Et quidem,quan-
um ad linguarum ſtudium pertinet,duplex illud
ſſe ſtatuo: Civile unum ſeu mâvis politicum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Gallicæ, Germanicæ, Hiſpanicæ vel aliarum, q
nunc inter præcipuas Europæ nationes uſurp
tur, peregrinationibus, tractandiſque vel p
priis, vel aliorum negociis haud mediocriter
le, quod extra ſcholas commodè addiſcitur. E
ſtemonicum aliud earum omnium quæ ad ſci
tiam faciunt, inter quas Latinæ, quod jam d
& Græcæ cura præcipuè habenda eſt. Sed
ipſa liberalis tandem eſſe incipiat, duo præcep
ri, ac totidem diſcipulis ſervanda propono.
mum quidem, ut Grammaticæ regulis, quæ b
viſſimæ ſemper eſſe debent, familiares diſcu
& colloquia ad ipſarum praxim intermiſce
tur; auctorumque lectio ſtatim accedat, q
rum interpretationi Neoptolemus noſter co
ctis ingenii ſui viribus primùm inſudat
memoriam per certas voces & phraſes, quas
jam familiares fecerit, reflectens; imagina
nem per ipſarum inflectiones, formationes,
rivationes, ſolicitans; judicium denique in
poſita & eleganti conſtructione exercens
hoc modo tanquam ſibimet ipſi præceptor
ſtat, & omnia illa, quæ difficiliùs quidem pe
perit, quàm ſi præmanſa in os ipſi à præcep
injecta fuiſſent, meliùs ac fideliùs mente ani
que conſervet, atque etiam aliis poſtea diffi
tatibus enodandis, paulatim aſſueſcat, & ſi
cortice in alveis profundioribus natare.
rum, ut Præceptor illi ſenſim inſtillet, & ap
Hiſtoriam ejus linguæ, cui percipiendæ totu
cumbit, quo videlicet tempore, & ubinam
tium inceperit, quàm latè ſe & quibus m
diffuderit, quot mutationes alterationeſv
verſis ætatibus ſuſtinuerit; ſingulaque ru
Minervâ, aut accuratè magis, prout ingeni
diſcipuli cognoverit, explicet. Ut ſi v. g. la
occaſione, quæ prior ſe offert, nullam hanc

Ron

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

muli & Remi tempora fuiſſe inſinuet, quæ
c inter paſtores ex lingua Græca & He-
ſcâ coaleſcens, ſub ſeptem Regibus Romano-
n infans fuit, deinde ſub Conſulibus uſque
Catonem Cenſorium quaſi in pueritiâ rudior
huc (ut patet in Legibus duodecim tabula-
m;) tum ſub Catone adolevit, & vegetior fa-
eſt; poſtea ad ætatem Ciceronis tranſlata,
orem quaſi virilitatis obtinuit, per Craſſos,
ntonios, Cicerones, Hortenſios, alioſque, ut
rrat Tullius lib. de clar. orat. & in oratore
rfecto; tum ſub Auguſto ſenuit, virilior tamen
huc, Auguſtus enim perquam latinè locutus
, referente Suetonio in ejus vita: deinde paula-
n cœpit declinare, ab ejus ſiquidem puritate
flexerunt Livius, Tacitus, Plinius, & multò
agis, Tertullianus, Arnobius, Sydonius, Sym-
achus, & ſimiles, donec omnino extincta eſt,
rca annum Chriſti ſexcenteſimum. Ab illo e-
m tempore, uſque ad præteritum ſeculum, quo
ptâ Conſtantinopoli à Muhamede ſecundo,
epit primùm in Italia cum Græcis, & humanio-
bus literis reviviſcere per Politianos, Vallas,
ermolaos, Pontanos, Pogios; non niſi mera
arbaries dominata eſt in ſcholis, quemadmo-
um fusè docuimus in additamento noſtro ad
iſtoriam Ludovici xj. Hæc enim omnia licet
x capiat tenera mens, & nondum ſufficienter
e multis ad iſtorum intelligentiam pertinenti-
us informata, vehementer tamen ipſam dele-
tant & ſementem in eâ faciunr, quæ continuâ
oſtmodùm eruditionis acceſſione, in copioſum
c uberem fructum facilè evadat. Quæ verò
iſcipulum præſtare oportet, ea ſunt, ut præter
ffectum & laborem in addiſcendo, modum
tiam ſuæ eruditioni afferat, duas veluti Syrtes
declinando, ad quas plerumque allidere ſolent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

qui ſe totos linguarum eruditioni devovent; nunquam ad ſcientias, quarum ipſæ fores aperiunt, penetrantes, dum ingratiſſimo labore iter reliquis præparant circa dictiones, ac voculas occupati; unde poſtea in hoc alterum amentiæ genus facilè delabuntur, ut ex detortis, aut veriùs corruptis, & depravatis vocibus linguæ cujuſdam primariæ, (quam ſibi fingunt ad libitum,) reliquarum omnium linguarum origines deducere velint, non minùs ridendo conatu, quàm ſi panis etymologiam à Græco nomine ἄρτος, mutando pa in ἀρ, & nis in τος, repetere vellem, quod tamen quidam ipſorum, poſt exploſas & irriſas Goropii, Becani, meras ac Cimmerias fabulas, facere non erubuit; ne in rebus ſeriis non tam nugari videretur, quàm prorſus deſipere. Linguarum rudimenta ſequitur *Eloquentiæ & poëtices methodus*, aut potiùs ratio ſtyli in utrâque facultate liberaliter efformandi, ac prioris quidem major omnino cura, & ſolicitudo habenda eſt, quoniam licet in rebus graviſſimis ferme ſemper uſurpetur; nihilominus quæ ſolutâ oratione dicuntur, niſi verborum nitore lenociniiſque & mirifico apparatu exculta ſint, non abſque negligentiâ audiri conſueverunt, languidiuſque in animum auditoris penetrare: ubi verò acceſsêre numeri, & egregium ſenſum aſtrinxere certi pedes, éadem illa ſententia, velut per ſe mobilis, aut excuſſa lacerto potentiùs torquetur, & jucundâ mulcedine ſic auditorum mentes titillat, ut per illorum aures non ſecus, ac gemma per digitos, molliter fluat, & non impacto ungue perlabatur. Non multa tamen de eloquentiæ præceptis à me hîc afferenda ſunt, cùm poſt Ciceronem & Quintilianum non deſint infiniti, qui ad eloquentiam ituris viam fecerint, & de perfecto oratore dixerint graviter &

copio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

opiosè ; Ego verò nihil addere velim, nec i-
ius , nec alterius facultatis communibus regu-
s, ſed ea tantùm proponere, quæ antiquam Mu-
rum aſperitatem urbaniori cultu temperare
oſſint, ſtudioſorumque divitias, quæ plerunque
nutiles latent, uſibus ac vitæ officiis accommo-
are . Et quidem hoc mihi primum peccare vi-
entur adoleſcentes , quòd ſtylum ſuum orato-
um imitatione circumſcribunt , dum eloquen-
iam omnem unius Rhetoricæ præceptis , (quæ
ocet rectè & appoſitè dicere ad perſuaden-
um,) latiùs non extendi ſibi perſuadent , cùm
amen iſta per quatuor ſtyli differentias diffun-
atur, ſermonem quidem purum, terſum, ac ca-
tigatum in omnibus illis requirens : ſed in *ora-
orio* tamen ſublimiorem , & magis ad numeros
ptum , & compoſitum ; qualis deprehenditur
n Cicerone, Plinio Juniore, Mureto, Perpi-
niano , & ſimilibus : in *Hiſtorico* puriorem , &
pertiorem , quem feliciter expreſſerunt Salu-
tius , Livius , Q. Curtius ; & noſtro tempore,
Jovius , Bembus , Maffæus , & alii , quorum
ropriam laudem quilibet eſt aſſecutus : in *Epi-
ſtolico* lepidiorem , faciliorem , & per anguſtias
liquando luctantem, & præciſum; cujus exem-
plum non aliunde meliùs , quàm ex Cicerone,
Plinio juniori, ac Politiano petendum eſt: in *Di-
daſcalico* denique ſimpliciorem , apertiorem , &
magis familiarem ac domeſticum ; quo præſer-
tim commendantur Agellius, Plinius, & omnes,
qui philoſophica ſcripſerunt, ut Seneca. At verò
tantum abeſt , ut iſtorum notitiam , & exerci-
tationem adoleſcentes in Scholis conſequan-
tur , quamvis ipſorum uſus longè nobilior ſit,
ac frequentius occurrat , quàm frigidæ cujuſ-
dam declamationis , quòd nec orationem , nec
Chriam quidem componere poſſunt , niſi acce-

ptâ prius à præceptore rudi & indigeſtâ materiâ, quæ demum ſic ingenioſè verſari non poteſt, aut fingi, quin macie & languore quodam opprimatur, proprio ſanguine & vividiori colore deſtituta. Unde poſtea tanquam conſectarium ſequitur, (quod *tertio loco* monendum eſſe duxi) ut nec decorum ſervare poſſint, nec orationem unicuique rei, quam tractant, convenientem uſurpare; maxima quæque, & grandia humili ſtylo deprimentes, aut vilia & abjecta nobilioribus verbis efferentes, quod non tam eruditionis vitium eſt, quàm judicii;

Nam magna numina Romæ
Non ita cantari debent, ut ovile Menalcæ.

Ad *Poëticam* quod attinet, ipſa videtur primo quidem adſpectu, nec vehementi applicatione animi, nec regulis indigere; cum poëtam naturâ ipſa valere, & vi mentis excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu inflammari, ſummorum eruditiſſimorumque virorum Platonis, Ciceronis, Origenis, & aliorum conſtans ſit opinio, multis etiam rationibus confirmata. Verùm ſi ita ſe res habet, næ tu Ariſtoteles ſtultè admodùm feciſti; næ tu Horati, Caſteluetre, Patrici, Mazzoni, Minturne, Scaliger, Heinſi, Caſaubone, Galuti, Vida, parum prudenter; næ vos omnes Galli, & Itali omnino inconſultè; dum adeo ſubtiliter & curioſè de verſuum legibus, poëmatum differentiis, & totius poëtices apparatu diſputâſtis! Sed bene eſt, quòd hic error à Platonis uſque tempore per Scholas propagatus, inter illos referendus ſit, qui opinione magis quàm experientiâ, vel ratione vigent, ac ſuſtentantur. Audientem igitur ſe præbeat adoleſcens eorum præceptis, qui de metrorum elegantiâ ſobriè potius, quàm acutè diſputârunt, & poëtarum omnium lectioni ſe dedat, quos injuria temporum reliquos nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

fecit ex antiquorum naufragio, quia præterquam quod nullus ipſorum, non elegantius, ac latinè magis locutus eſt, quàm heſternorum laureatæ phalanges, varia etiam ex multis ſummâ cum animi jucunditate & facilitate addiſcet, quæ ad uſum & manum quotidie opportuna accidere poſſunt, & lectione variâ ac multiplici, rectè judicandi vim prudentiamque omnium virtutum exemplis confirmare. Neque enim ipſi utiles tantùm deprehenduntur (quod multi falsò ſibi perſuaſerunt,) ad locupletandam latinam orationem, & varietatem ſermonis, deſcriptionemque affectuum; ſed mirum eſt quantum roboris accedat animo, ex diligenti meditatione eorum, de quibus ſibi tractandum propoſuerunt, nam, amabo te Fabrici, nonne promtum eſt unicuique animum ad ea quæ legit aliquoties reflectenti, ex Virgilio, Lucano, Silvio præclarè factorum exempla, Heroumque mores, quos poſtea imitari poſſit, animo concipere: ex Horatio, Iuvenale, Perſio ſceleſtorum pœnas; lurconum infamiam; fœneratorum vota; fraudes, ac nequitias hominum deprehendere ſimul, ac deteſtari: In Plauto, & Terentio juvenum impetus; ſenum avaritiam; meretricum technas; lenonum artes; paraſitorum ingluviem; mercatorum, inſtitorum, ſervorum, ac ferme omnis generis perſonarum naturam ac propenſiones, velut in ſpeculo, intueri: Ex Seneca, & Euripide magnis regnorum mutationibus, gentium ruinis, calamitoſis Principum cæterarumque rerum eventibus, non aſſueſcere modò, ſed intrepidus occurrere: denique, ut à Martiale ſenſum verborum, & acumen ſententiarum, & nonnunquam etiam pungentes aculeos mutuari; ſic ab Cujacio, Tibullo, Propertio, Catullo, ſermonis delicias, Veneres, venuſtateſque uſurpare, quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

actiones vitam, moreſque ſuos ad cultum, ele-
gantiam, facetias, & urbanitates componat; u
cùm plura, ac diverſa genera Poëtarum habean
tur, quod in oratoribus fortaſſe non ita eſt, nul
lus tamen reperiatur in tam feſtiva copiâ, ex qu
non ſolùm egregia utilitas, ſed maxima quoqu
non percipiatur delectatio. Sequuntur tres alia
humanitatis partes: *Geographia*, *Chronologia*, &
Hiſtoria, ſic mutuò inter ſe connexæ & colligat
vinculo, ut qui ipſas diducere velit & ſeparatin
explicare, non modò negotii vim paret maxi
mam, ſed à ſapientiſſimorum hominum placiti
longè declinet. qui omnem hiſtoriæ dignitatem
& præſtantiam, tribus potiſſimùm ſignis viden
tur æſtimare, nimirum: ut vera ſit, nulliuſqu
adulationis fuco colorata; ut Chorographiam
loci in quo geſta eſt, accuratè repræſentet, at
que etiam tempus circumſcribat proprium. Qua
re conſentaneum eſt etiam arbitrari, *univerſa*
lis hiſtoriæ Synopſin, quæ res ab omni ævo & u
bique locorum geſtas comprehendit, non poſſ
ab adoleſcentibus planè & integrè percipi, ni
ipſius temporis ordinem, differentiamque anno
rum & menſium, ac locorum omnium, ſeu mavi
rum & menſium, ac locorum omnium, ſeu mavi
regionum deſcriptionem ſimul complectatur
contineatque una quidquid adjumenti reciper
poteſt ex reliquis hiſtoriarum ſpeciebus, *Civil*
videlicet, *Eccleſiaſtica*, & *Naturalis*: quarum
omnium is fructus eſſe debet, ea primùm utili
tas, ut nobis auctoritatem apud homines con
cilient, opinionemque ſapientiæ. Nam ſi ſene
idcirco prudentiores judicamus, eoſque libente
audimus, qui per longam vitam, & in ſe mult
experti ſunt, & in aliis pleraque viderunt atqu
audiverunt: quid de iis cenſendum eſt, qui mul
torum ſeculorum res cognitu dignas memori
ter nôrunt, & ad omnem caſum proferre ali

quo

quod exemplum illuſtre poſſunt? Secunda verò, ut non modò opinione, ſed re-verâ prudentiores efficiamur, & normam vitæ componamus inter omnes errores omniaque pericula tutò dirigendæ. Etenim cum prudentia noſtra nihil aliud ſit, quàm eventorum obſervatio, rerumque præſentium ac futurarum ſcientia, ex præteritis tanquam ex fonte derivata, hoc ex univerſo literarum genere vel ſola, vel certè maximè præſtat hiſtoria, quæ non aliâ ſanè de cauſſa vocatur à Cicerone *teſtis temporum*, *lux veritatis*, *vita memoriæ*, *veritatis nuncia*, *& magiſtra vitæ*. At præter jam enumeratas hiſtoriæ ſpecies, quarta adhuc ſupereſt *antiquitatum* propria, cujus largiorī hauſtu perfuſi, hoc primùm obtinent, ut eruditī cenſeantur; deinde verò, ut eruditorum etiam principes, ſi ſuppetias acceſſerit *Critice*. De quâ nonnulla quoque mihi dicenda eſſent, niſi ſatiùs haberem adoleſcenti conſulere, ut ab hac ſcabie ungues in totum abſtineret, quæ ſi ab ingeniis mediocribus & patellariis tractetur, auctores optimos plerunque corrumpit, & depravat: Sin à majoribus Diis, ipſos omnino immutat, & aliis verbis alio plerunque ſenſu loquentes inducit. Sed, ut ad *Hiſtoriam* eruditam revertamur, ipſa non adeò longè patet, quemadmodum Politica vel naturalis, verùm anguſtis quatuor regnorum finibus terminatur, Ægyptiorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum. Ebræorum enim, Chaldæorum, ac Syrorum antiquitates potiùs ad Theologos pertinent: reliquarum autem nationum ritus & formulæ, vix tanti habentur, ut ad his meliora feſtinantes debeant retardare. Ac de Ægyptiorum quidem antiquitatibus ferme eſt ut dicam, vix umbræ tenuis famam ad nos pervenire, cùm eventilatâ pridem à doctis, Annii Viterbienſis, qui nobis pſeudo-Beroſum ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

trudere conatus eſt impudentiâ, pauca tantùm ſuperſint apud Plutarchum, horum Apollinem, Iamblichum, Calcagninum, & alios, de eorum ſacris myſticâ doctrinâ, & Regum ac rerum interruptâ ſucceſſione. Verùm hæc penuria generoſos tandem conatus excitavit doctiſſimi, ac in rerum omnium inveſtigatione, quæ ſtudioſos antiquitatis beare ſolent, verſatiſſimi Claudii, Menetrierii, ut ex ipſorum numiſmatis, quæ incredibili prorſus diligentiâ conquiſivit, tot res deperditas & profundâ nocte ſepultas erueret, felici ductu & auſpiciis Eminentiſſimi ſui Cardinalis Franciſci Barberini; cujus, ut votum ſemper fuit, ſic ſtudium nunc eſt, viros eruditos ſingulari benevolentiâ complecti, & auguſtiſſimâ liberalitate, quo ſe cunque ferunt, vehementiùs impellere. Perſarum etiam vix quidquam habemus, quod non acceptum ferri debeat labori ac diligentiæ Præſidis meliori fato digni Barnabæ Briſſonii; qui inter tot alia excellentis doctrinæ ſuæ monumenta, collectiones quoque de regno Perſarum nunquam non ſummopere magnifaciendas nobis reliquit: Sed viciniores Græci & Romani non habent omnino, quod de noſtrorum negligentiâ conqueri poſſint, quandoquidem ſic notas habemus eorum antiquitates; ſic explorata rudera, templa, porticus, palatia, thermas, amphitheatra, numiſmata, ſtatuas, ſepulchra; ſic perſpectas, & accuratè deſcriptas venationes, comeſſationes, ludos, conventus, faſtos, ritus ſacros, profanos, formulas, nec mentiar, ſi dixerim ſcortationes & libidinum ſecreta; ut ſi ambæ iſtæ nationes quondam orbis dominæ ſemel ad priſtinum decus reviviſcerent, ſe à nobis doctrinâ ſaltem & labore fuiſſe ſuperatas fateri cogerentur. Superſunt tandem *fabulæ*, quarum magna eſt cum poëſi affinitas, ſed nulla

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rum veritate ; veritas enim nihil profert niſi quod verum & exploratum eſt ; Poëſis figmentis delectatur, & auctoritatem ſibi quærit ex mendacio : atque omnino neceſſarium eſt, ut res omnes de quibus inſtituitur narratio, uno ex iſtis tribus modis in medium proferantur, nimirum hiſtoricè, aut poëticè, aut fabulosè ; Fabularum autem non una aſſignari poteſt diſtinctio. Quædam enim multùm humiles ſunt, ſimplici narratione, facili exemplo, brevi ſententiâ : quarum antiquiſſimus auctor Æſopus, non mediocriter commendatus venit à graviſſimis ſcriptoribus Platone, Livio, Plinio, Horatio, Ariſtotele, Plutarcho, Iuſtino, Macrobio, Phædro, & aliis ; qui ejus inventa ad mores formandos non illepidè tranſtulerunt, licèt humi ferme repentia : in quo fecere prorſus, quod aurifices, dum ferro & vili pulvere aurum, atque adamantem expoliunt. quædam aliæ ſublimiùs feruntur, Theologorumque myſteria pervadunt, Philoſophorum arcana penetrant, & non niſi graviſſimis ſe rebus immiſcent ab Homero, Platone, Orpheo, Heſiodo, Heraclide, Porphyrio, Procho, & inventæ ſapienter, & frequenter uſurpatæ. Itaque nulla eſt iſtarum artium, quæ quidem liberales ſunt, & ingenuo homine dignæ exiſtimantur, non ſuſcipienda adoleſcenti, ut per laborum gradus, ſapientiæ præceptis animum componat, & conciliatâ ſibi ancillarum benevolentiâ ad Penelopem, hoc eſt, Reginam omnium ſcientiarum Philoſophiam, non tanquam novus Myſtes, aut ſemipaganus, accedat; ſed animo rerum omnium capaci, & moribus ad omne officium & decorum effictis, probè à natura inſtructus. *Philoſophiæ* verò partes, quibus ſe totum applicare debet, tres tantùm ab emendatiſſimi judicii hominibus Laërtio, Cicerone, Lactantio,

divo Auguſtino, aliiſque propoſitas invenio: nempe unam, quæ de vita & moribus; alteram, quæ de natura & rebus occultis; tertiam, quæ rectè diſſerendo abſolvitur, & quid verum, quid falſum; quid rectum in oratione, quid pravum; quid conſentiens, quid repugnet judicando: quamvis res occultas, & naturæ obſcuritatem, ad ea quæ penè extra naturam ſunt accommodantes, metaphyſicam illis quoque partibus adjunxiſſe videri poſſint, ut quantum in ſemetipſorum poteſtate ſitum eſſet, tantum ipſi ad rerum altiſſimarum cognitionem contenderent, & naturali ſuâ beatitudine, quæ in Dei contemplatione conſiſtit, fuerentur. Unde etiam factum eſt, ut hæc poſtrema Philoſophiæ pars προτέλεια Theologiæ comprehendat: quemadmodum Phyſica Medicinæ; ac Moralis diſciplina Iuriſprudentiæ. Ut proinde dubium eſſe non poſſit, quin mens noſtra, dum unius Philoſophiæ lumine, velut cœleſti quodam radio, illuſtratur, ſplendorem recipiat, quo poſtmodùm tanquam imprægnata, neque numero ſcientiarum, quas concipit apprehenditque, vincatur; neque amplitudine & mole opprimatur; nec tenuitate acumineque fruſtretur: ſed non prorſus aliter, quàm oculi naturâ vegeti & perſpicaces, facili levique converſu, in quam ſe cumque dederint partem, celeriter omnia & ſine labore contuentur; ſic illa probè quidem Philoſophiæ ſtudiis inſtituta, perſpicax efficitur ad omnia comprehendenda, quorum inveſtigationi ſe voluerit addicere. Neque verò ea repetere hîc opus eſt, quæ de Philoſophiæ curſu, per ſingulas ejuſmodi partes, rectè ac methodicè abſolvendo Foxius & Nunnius, ambo compoſitæ ac ſedatæ mentis Hiſpani præcepere, cùm & ipſorum libri nullo negotio haberi poſſint, & ab inſtituto noſtro alie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

num ſit quidquam in medium afferre, quod identidem ex aliorum monumentis haberi poſſit. Quare unum tantùm aut alterum moneo, quæ iſtis præſertim temporibus ſummopere eſſe neceſſaria nullus (ut opinor) ibit inficias, qui propiùs in rem ipſam inſpexerit. Et verò primum eſt, ut confuſionis devitandæ gratiâ, quam nuper introduxere qui vel proprio ſuo Matre, vel ex antiquorum principiis philoſophati ſunt, unius tantùm *Ariſtotelis* veſtigiis inſiſtamus, primum philoſophiæ lac non tam ex ipſius, quàm naturæ, quæ eo interprete uſa eſt, fecundiſſimis uberibus ſugentes, donec grandiores facti, & pileo ac libertate donati, quid in reliquis philoſophorum ſcholis veritati magis conſentaneum reperiatur, diſpicere poſſimus. In Philoſophia ſiquidem non ſecus, ac in militiâ, ſub alicujus auſpiciis priùs dimicandum eſt, quàm ad ordines ducendos accedendum: & in unoquoque rerum, ac ſcientiarum genere, primum aliquod ſemper eſſe debet, quod ſit poſtea modus, & regula cæterorum. Verùm quoniam uſus ab Ruſcellini, & Abailardi ſeculo ad hæc uſque tempora ſic invaluit, ut ſtatim, ac adoleſcentes Dialecticæ limina ſalutârunt, commitantur inter ſe, depugnentque ad ravim uſque magno ſyllogiſmorum apparatu, undecunq; illum habere poſſint, obſtinatè conquiſito; inde etiam fit, ut non modo pertinaces, ſed penè cæcutientes evadant, & ad unius veritatis indagationem prorſus inepti. Quo fit, ut ſummæ huic & propemodum luctuoſæ adoleſcentum calamitati diligenter occurendum ſit, utpote quâ nulla gravior excogitari poteſt; nulla ruſticitati propior, aut quâ magis homines videantur ad beſtias accedere. Sanè cum nihil in Ariſtotele, aut antiquis ejus interpretibus reperiatur, quod hujuſmodi vitio ſit af-

fine,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

fine, profectò fatendum eſt, illud inventum fuiſſe quorundam hominum, quibus à Schola (in qua perpetuò verſabantur) morumque aſperitate, & corporis imbalnitie, Scholaſticorum nomen, nec injuriâ, videmus fuiſſe impoſitum. Ipſi enim cùm acri ingenio pollerent, nec ſe in humanioribus literis, aut hiſtoriâ naturali, vel politicâ, præ ſumma, quæ tunc temporis vigebat, barbarie exercere poſſent, ex non magno materiæ ſtamine; ſed maximâ ſpiritûs quaſi radii agitatione, operoſiſſimas illas telas, quæ in libris eorum exſtant, confecerunt. Etenim mens humana dum in materiam aliquam agit, naturam rerum vel opera Dei contemplando, tunc pro modo materiæ operatur atque determinatur; ſin verò ipſa in ſe convertatur, tanquam aranea texens telam, tum demum interminata eſt, & parit telas quaſdam doctrinæ, tenuitate quidem fili, operiſque ſubtilitate admirabiles, verùm quæ ſint prorſus inanes, & ſapientum cachinnis, ac ludibrio expoſitæ: Sed undecumque tandem iſta philoſophiæ pernicies ortum duxerit, quæ ſuâ contagione magnam olim partem Europæ infecerat, haud multum referre exiſtimo, quandoquidem ipſa jam deſiit tam impotenter graſſari, deſinetque omnino, hac præſertim ætate, quæ virtuti magis quàm ulla præcedentium amica eſt, & creſcente indies hominum ſapientiâ, à quibus hoc demum non erit difficile conſequi, ut rejectis vanis ſpeculationibus, & quidquid inane ac ſterile eſt, illud tantùm conſervetur, quod eſt ſolidum ac utile, ut hoc pacto Philoſophia non ſit apud nós inſtar cujuſdam ſcorti, quo ad voluptatis illecebras abutamur; aut tanquam ancilla turpibus officiis mancipata, ſed potiùs, ſociæ ac fidelis ſponſa locum ſibi vendicet, ad generationem fructuum, & ſolatium vitæ tranquillioris ac beatæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Enimverò poſtquam huc pervecti ſumus, Fabrici Comes, ut de illis artibus uberrimè jam dictum ſit, quarum præceptionibus inſtructi, & penitùs informati eſſe debent, quicumque ad alia vitæ ſtudia deinde ſe convertunt, ſive illi jus Civile voluerint exſequi, ſive Reipublicæ curam, ſive quamcumque aliam artem ſectamve earum, quæ cum honore & laude ſuſcipiuntur: Equidem hoc nonnullis conſentaneum videri poſſe non diffido, ut animum tibi faciam, quidquid eſt in ipſis moleſtiæ & difficultatis, fortiter ſuperandum: & ſanè lubentiſſimè te ad hoc unum exhortarer, niſi jam iſtud abunde ſatis præſtitiſſem, in ſuperiori parte iſtius ſyntagmatis, aut tu ipſe laboris, ac ſtudiorum improbitate non huc deveniſſes, unde tibi facilius eſt in Heroicas, ac teipſo & majoribus tuis dignas, virtutes intueri, quàm ad humile Grammaticorum Trivium oculos iterum referre; & verò, cùm omnes homines animum præclaris actionibus intendere convenientiſſimum ſit, tum verò illos inprimis hoc decet maximè, qui celſiore loco nati non aliter poſſunt, fortunam & gradum dignitatis, quam obtinent, convenienter ſuſtinere. Æquum ſiquidem eſt, qui ſibi ſumma omnia deberi volunt, eos debere & ſumma omnia de ſe præſtare: nec eſt ulla certior aut ſtabilior eximiæ alicujus poteſtatis acquirendæ ratio, quàm ſi, qui talem ambit ac deſiderat, eâ digniſſimus omnium judicio cenſeatur. Quamobrem, Fabrici Comes, cum tibi naſci contigerit ex ea familiâ, in qua ſemper verus honos, & ſplendor virtutis enituit, totaque ſpes & ratio domûs tuæ, per literarum armorumque munia ad amplioris gloriæ decus promovendæ, in generoſiſſimo tuo Fratre Comite Ludovico, nec non in te ipſo inclinata recumbat;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

cumbat; Ille verò gloriam ſibi quærat in periculis, & inter externos armorum ſtrepitus præclarè ac fortiter ſe gerens, adoleſcat; tot Guidiorum nomen, (quibus ab inſigni ferocia, & militari robore Guerræ cognomentum ſuperadditum eſt,) nec non Excellentiſſimi Patris Nicolai Marchionis à Montebello exemplum continuò præ oculis habens. Tuum eſt profectò, Fabrici Comes, ad hanc tranquillioris vitæ Spartam, (quæ tibi exornanda relinquitur) ſic pro tuâ virili te componere, adeoque prudenter literarum ſuppetias in id unum advocare, ut libertatem videantur ingenio tuo attuliſſe, non ſervitutem; & lumen, non tenebras infudiſſe. Quod dum moneo, timeo vehementer, ne parum conſideratè faciam, qui longum iter, & tot præceptis munitum Tibi ſubindicare aggrediar, cum aliud tibi non deſit, longè brevius, & magis expeditum, ſi tibi heroicæ, ac omnibus numeris abſolutæ virtutis in exemplar propoſueris Eminentiſſimi Cardinalis à Balneo Patrui tui vitam, per omnes dignitatum gradus feliciſſimè tranſactam, mores incredibili prorſus amœnitate & gratiâ temperatos, animum denique ſic præclaris naturæ dotibus excultum, ſic liberalibus ſtudiis inſtructum, & altioris ſapientiæ documentis exornatum, ut hunc, velut Titum Imperatorem, non unius modò, aut alterius nationis amorem, ſed totius orbis delicias haut injuriâ poſſim nuncupare. Veruntamen, ſicut nobis difficile admodum eſt lumen ſolis, affatim & ex improviſo irruens, inconniventibus oculis aſpicere: ita quoque non adeò delirus ſum, ut ignorem tibi arduum omnino fore, tot virtutes ſpecie ipsâ præſtantes, & numero propemodum infinitas, quas ille ſecum familiæ tuæ intulit, ſimul intueri & deprehendere. Quare interea dum in

ipſarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

pſarum familiaritatem paullatim deſcendas, vellem te, Fabrici Comes, ad ea mentem advertere, de quibus non quidem in prima, ſed in altera tantùm hujus ſyntagmatis parte, ſermonem inſtituendum eſſe duxi: Quoniam illa delectu maximè atque judicio vigere deprehenduntur, quæ duæ res non ita frequenter ſolent in adoleſcentibus inveniri. Deinde verò, quia lectio varia & multiplex, cui ſe potiſſimùm applicant toto illo tempore, qui per liberales diſciplinas liberè vagantur, judicandi vim prudentiamque non minimum confirmat, ut ex multis circum ſeſe offerentibus, illud præ cæteris eligat, quod maximè videtur commodum, quod quidem fieri omnino ſine comparatione plurium non poteſt, cum alioqui ſi in uno duntaxat genere verſetur, nec habeat quîcum quod comparet, non delectu ullo ad id ſe applicuiſſe, etiam ſi ſit optimum: Sed caſu, & fortunâ in illud ſolum incidiſſe videatur. ut omittam, quod adoleſcentiæ proprium eſt ingenio vigere, & eis armis, eoque cultu & comitatu rerum, per ſtudiorum labores exornari, ut cum maturum fuerit acutè queat & rectè facultatem illam probandi & adſciſcendi potiora, in reliquis vitæ actionibus ſapienter uſurpare. Et verò illa potiſſimum eſt, ad quam te voco, Fabrici Comes, & ad quam, ſi non teſtudineo (quod ajunt,) ſed grallatorio paſſu pervenire cupis, poſtquam iis abunde rebus & adjumentis munitus es, quæ vel à natura deſiderari poſſunt, vel ab educatione obtineri; nihil debes inprimis humile cogitare, nihil anguſtum, nihil obſcurum aut inane: ſed, quemadmodum, antequam dies ſeſe dilatet magiſque diluceat, ſolet Aurora antegredi, quæ & aurum oſtentat ſuum, & leni quodam flatu aërem ipſum afficit; ſic in ætatis tuæ aurorâ conſtitutus.

ſtitutus, quis ſit ejus meridies, & quæ adulta ætas futura, vel hoc uno egregiè potes oſtendere, ſi excelſa petat animus tuus, ſi ampla & illuſtria, plenaque dignitatis & gloriæ, quo te à prima pueritiâ præceptorum vox incitavit; quo te pater tuus, (cujus ad te vota cogitationeſque referuntur omnes) aſſiduè cohortatur; quo denique te vocant majorum tuorum exempla, quorum nomina nulla dies extinguet, nulla obſcurabit oblivio. Hoc autem abſque literarum auxilio cogitare non modò tibi arduum, & difficile, verùm etiam omnino impoſſibile eſt, quando hanc vitæ rationem ingredi meditaris, & illud exercitii genus complecti, quod eſt totum in laudabili ratione; totum in præclaris cogitationibus & liberali ſcientiarum palæſtrâ conſtitutum. Quamobrem non prætermiſi in ſuperioribus, ſingula in medium adducere, quibus te velis & remis, omnique nixu & conatu, ad eruditionis & doctrinæ fontes ociùs impellerem; atque hoc unum tibi in præſentiâ perſuadere non ceſſo, ut quando per tempus & occaſionem licet, totum te in ipſorum fluenta ac latices immergas, quo tandem iſtis velut adoleſcentiæ ſerperaſtris eluctatus, habitum hunc in toto vitæ decurſu retineas, qui tibi viam non modò paret, ac muniat, ad Theologiæ, vel Iuriſprudentiæ penetralia; ſed omnes tuas actiones ac delatos honores, non mediocri gratiâ perfundat & illuſtret. Et quoniam ad hoc primum à Natura formamur & fingimur, ut quæ nobis neceſſaria ſunt, noſtrâ ſponte perquiramus; deinde verò, quæ laudabilia, & ad bene beatéque vivendum requiſita exiſtimantur, per nos etiam inveſtigemus: debes hoc unum ſtudioſè inprimis præſtare, Fabrici Comes, ut quæ tibi neceſſaria ſunt literarum adjumenta, matu-

rè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rè percipias, quo deinceps poſſis præſtantiori modo magnarum dignitatum munia ſuſtinere, quæ nunquam rectè ac legitimè poſſunt, niſi à doctiſſimis juxtà & nobiliſſimis hominibus, adminiſtrari. Non enim ſi quis humili fortunâ ſcientiis animum excoluerit, quamvis omnium virtutum intelligentiâ ſit ornatus, æquè tamen eas virtutes exercere poterit, ut ſummo loco natus, cui jam natura ſubditas mentes accommodat, & auctoritatem tribuit ex ſtemmate: quare, poſtquam te ſat diu in ſcholarum umbrâ exercueris, & tyrocinio præfinitum tempus abſolveris, aſſumendæ tibi ſunt cogitationes æquales antiquiſſimæ Guidiorum nobilitati, & amotis grammaticationibus, quæ mediocres ac plebejos homines decent; ea tantùm in votis habenda ſunt, quæ pulmo animæ prælargus anhelet, quæque memoria poſteritatis, & fama ſeculorum nepotibus tuis, in exemplum ſummæ fortitudinis, ſummæque virtutis & fortunæ, proponat. Enimverò, quoties in literarum ac ſcientiarum naturam penitiùs deſcendo, ea profectò mihi videtur non talis eſſe, qualem ipſi tantùm literati, qui philautiâ maximè ducuntur, nobis repræſentare conati ſunt, dum ex omnibus rebus humanis nihil ipſa doctrinâ præſtantius, nihil admirabilius, aut quod magis hominem beare poſſit, vel immortalem efficere, ſuis in declamationibus quotidie perſonant. Ego verò, qui me nunquam irretiri permitto famoſis multorum opinionibus, quas plerumque futiles, ac erroneas deprehendi, nec populum ſequor peſſimum veritatis interpretem; rem non ita ſe habere confidenter affirmo, quod utcunque verum antiquiſſimis illis temporibus fuerit, in quibus ſtudia ipſa majori cum perſonarum & locorum delectu tractabantur; ſanè non poteſt non eſſe

veriſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

veriſſimum, hac præſertim ætate, literarum adeò fecundâ, ut cùm omnes cathedras ambiant, nullus etiam reperiatur, qui diſcere non velit. Unde tot jam ſodalitates ſunt inſtitutæ; tot ſeminaria, ſcholæ, & Collegia, erecta; tot ædificatæ porticus, & Academiæ, ut habeant adoleſcentes loca, in quibus impune otiari poſſint: & Muſis publicæ fornices non deſint, ubi ſe cum calonibus, & lixis ac nundinalibus ſcurris indecenter proſtituant. Quæ cùm ita ſint, & ſuo quemque ſe metiri pede atque modulo verum ſit, quis mecum non videt, indignum eſſe Viro Principe, ſi nominis aut gloriæ ſuæ ſummam in hac exercitatione conſtituat, quæ poteſt illi eſſe communis cum abjectiſſimo quovis è plebe? Quinimò contingere etiam poterit, quod ille plures auctoritates laudabit, vel elegantiùs ſcribet, aut acutiùs diſputabit, ſicque triumphum aget Therſites de Agamemnone; Codrus, de Inacho; Zerbus de ſummo Pontifice; aut Groſippus aliquis de Rege Anglico. Deinde verò, ſicut admirationi non eſt vaſta cujuſdam arboris proceritas, ubi in eandem altitudinem tota ſilva adſurrexit: ſic neque generoſis mentibus facile eſt dignum avitâ ſuâ nobilitate locum in hac palæſtrâ retinere, in qua tam facilis eſt victoria, aut (verius) tam futilis adulatio, ut omnes qui in eâ decurrunt, Tros Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine doctiſſimi ſtatim ac eruditiſſimi audiant. Quare literarum ſtudia veſtibus holoſericis libenter confero, quæ mediocris fortunæ homines abſque alio ditiore apparatu ſat decorè veſtiunt ac exornant, magnâque apud plebem in æſtimatione conſtituunt; Reges verò ac magnates nihilo magis ſuſpiciendos efficiunt, niſi præſtantiora ſimul gerant nobilitatis ac dignitatis ſuæ inſignia, quibus unicuique ſta-

tim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tim innoteſcant. Et verò cum egregius morum cenſor, & artifex Horatius, præſtantiſſimæ virtutis ideam vellet effingere, non hanc inter ſtudioſorum libellos & chartulas collocavit, ſed in comitiis legationibus, judiciis, & pulvere bellico, ſiquidem, ut ille ſapienter monuit,

Res gerere, & captos oſtendere Civibus hoſtes,
Attingit ſolium Iovis, & cœleſtia tentat.

Eapropter vellem te, Fabrici Comes, tecum ita de ſtudiorum cultu ſtatuere, ut hæc ipſa credas, mediocribus ingeniis, quæ nec ſplendore natalium, nec communi hominum de ſe exſpectatione premuntur, ſat honoris & gloriæ ad virtutis præſidium eſſe allatura; nobilioribus verò atque eminentiſſimo in loco conſtitutis, ornamenta tantùm eſſe, aut, ſi mavis, adminicula dignitatum, quibus ſe præſertim extollere debent, & in antiquum familiæ ſuæ decus aſſerere. Quod ſi alicujus exempli confirmatione indiget, non aliud equidem magis inſigne, quàm Plinii ſenioris, eligere poſſum vel debeo. ille enim, non modò in omni vitæ actione exercitatiſſimo corpore fuit, ſed primis annis, nobilium adoleſcentum more, cauſas aliquandiu actitavit, mox amicitiâ Principum uſus, maxima officia geſſit, & ea inprimis, quæ illi delegata fuere ab Imperatore Veſpaſiano: equeſtribus etiam muniis induſtriè functus eſt, procurationeſque ſplendidiſſimas atque continuas ſummâ integritate adminiſtravit: ac demum Meſinenſis claſſis præfecturam ſuſceperat, cùm in ardentem Veſuvium Liburnicis advectus, vi pulveris ac favillæ oppreſſus eſt, annum agens ſextum & quinquageſimum: cum interim hæc omnia civilis vitæ munia ſic amœnitate ſtudiorum temperârit, ut ipſis gradum ſibi fecerit ad amicitiam

citiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

citiam Principum ; & grandi illo Hiſtoriæ naturalis opere, tot dignitatum ſplendorem non mediocriter auxerit. quod item feciſſe deprehenduntur Iulius Cæſar, Cato, Tullius, Varro, Plinius nepos, Symmachus, & quicumque inter priſcos exſtitere nobiliſſimi ſapientiſſimique. Sed næ profectò parum conſultè antiquorum exempla tibi ad imitationem propono, qui domeſticum habes ac familiare in Eminentiſſimo Cardinale patruo tuo, cujus ſingularis doctrina non ſe parietibus alicujus palatii continuit, aut publicæ tantùm concionis applauſu, librorumve compoſitione innotuit: ſed maximorum munerum, quibus ſe jam à teneris annis totum devoverat, in fano Fortunæ Maceratâ, Firmo, Urbe veteri, Marchia Anconitanâ, Comitatu Veneſino, Belgio, Galliâ, ac rurſus in Italia adminiſtratione; quibus in locis ſic facundè locutus eſt coram populis, & potentiſſimis Principibus; ſic eruditè legibus de diſſeruit, cum in Tribunalibus ſederet; & de rebus Theologicis, cùm inter ſubtiliſſimos Lovanienſes, ac Sorbonicos Doctores verſaretur; ac denique prudenter in omnibus ſe geſſit, ut, nemini omnino dubium eſſe debeat, quin illis omnibus, qui unicâ tantùm doctrinæ laude floruerunt, palmam facili negocio præripere potuiſſet, niſi ſatiùs habuiſſet longè honoratiorem familiæ ſuæ dignitati, & immarceſſibilem ex tot ſapienter adminiſtratis legationibus aſſerere. Hujus igitur, (non alterius cujuſquam) veſtigiis tibi inſiſtendum eſt, Fabrici Comes, & quantum ſe vires ac ingenii conatus extendere poſſunt, quantum ipſa efficere induſtriâ; tantum etiam tibi deinceps enitendum eſt, ut animum Legum ac Theologiæ ſtudiis abunde inſtructum confirmatumque ad augendum, & illuſtrandum, per novos honores familiæ tuæ decus poſ-

ſi

s afferre; qui ſtudiorum tuorum finis eſſe de-
et, non autem ille, quem tenuioris fortunæ ho-
ines, & huic uni volvendo literarum ſaxo alli-
ati ſibi conſtituunt, dum ſterili plerumque ve-
â carmen aliquod fundunt, aut periodis ora-
onem librant, vel libellos componunt, queîs
otentiorum gratiam ſibi conciliare poſſint, aut
amam, quam vix aliter poſſent, acquirere. Hoc
erò præſtantiſſimæ vitæ inſtitutum quo libe-
ori pede ſubeas, & majori cum facilitate, & ele-
antiâ, non erit opus (meâ quidem ſententiâ)
aſtidioſum aut in quo plurimum ſudoris & la-
oris impendas, poſtquam manſuetiores Muſas
anctiſſimè jam coluiſti, nihil puerile aut leve,
il inconſideratum aut inane, præ te ferens, tum
aturè iis te artibus dedidiſti, quæ ſunt ad vir-
utum apicem omniumque laudum verticem
on fallaces duces, atque anteſignanæ, ut omit-
am, quod in hac conſideratione haud ultimo
oco recenſendum eſt, te videlicet iis parenti-
us eſſe natum, quorum ſi veſtigiis inſiſtas, non
oſſis omnino non ſapientiſſimus exſiſtere. Quo
aciliùs intelligo, paucis mihi tranſigendum eſſe
e nonnullis rebus, quæ ſicuti furtim in faciles
uvenum animos ex prima inſtitutione irrepunt,
c illas diuturnâ jam obſervatione non mini-
um obeſſe deprehendi, quo minùs illi poſt
ot epotas lucubrationum fuligines, ſanum co-
orem ſuis actionibus inducere poſſint, aut bo-
æ mentis ſpecimen aliquod exhibere. Ejuſmo-
i verò ſunt nimia quædam morum facilitas, &
itæ innocentia, quâ prorſus inepti redduntur
omines ad omne genus negotiorum, dum in
Republica Platonis, aut inter Satyricorum cen-
uras, & Stoicorum præcepta enutriti, nihil fer-
e vel audire poſſunt, niſi quod rectæ rationi vi-
eatur è directo conſentaneum. Unde ſiquis il-

 los

los poſtea convitio feriat, ſi quis argutè lancinet, aut dicteriis impetat, muti ſunt, nihil habent quod reſpondeant, niſi forſan illa, quæ nimiâ gravitate, aut intempeſtivâ eruditione riſum concitent; Tum ſi quis ſe laudat præter modum atque effert, auſcultantibus ipſis; ſi quis Regem Tyrannumve beatum prædicat; ſi quis latifundia mille jugerum poſſidere ſe jactat; ſi quis generis claritudinem repetit à tritavo, deſipere hos omnes credunt, & effuſiùs rident, neſcio utrùm quia nimis inſolentes, an quia nimis deliri. Proximè huic intemperiei aſſidet nimia credulitas, cujus origo non aliunde profectò, quàm ab iiſdem primæ inſtitutionis fontibus repetenda eſt, in hac ſiquidem, dum adoleſcentes magni compendii loco habent omnes Poëtarum fabulas ad unguem intelligere, Centauroſque & Syllas biformes, ac Heſperidum hortos ſuis in carminibus uſurpare, ridiculis ſenſim narrationibus, & hiſtoricorum nugis ſic aſſueſcunt, ut quæ poſtea dicuntur non modò de Trojanorum geſtis, aut Æneæ navigatione, ſed ridicula, & abſurdiſſima quæque, ſine delectu vel cenſurâ, recipiant, unde tandem in iſtud incommodi deveniunt, ut vel perpetuo metu ac terrore diſcrucientur, dum lemures, & ſpectra, & noctium occurſacula, Parædroſque & Cobalos, (cur non etiam Empuſas?) paſſim ac ubique locorum obverſari ſibi perſuadent: vel facillimè decipiantur, dum Pſeudomagis, Aſtrologis, Cabaliſtis, arcificialis memoriæ, Artis Lulli, Encyclopædiæ, Alchymiæ, & quarumvis divinationum, novarumque artium profeſſoribus, aut verius pecuniarum æruſcatoribus faciles nimium ac bibulas aures adjiciunt: Vel denique parum emunctæ naris habeantur, dum quæ ſibi conſtare non poſſunt, quæve ſunt impoſſibilia & ridicula,

ula, loquuntur aut credunt. Non minima quoque ſtudioſorum pernicies, & morbus haud curatu facilis, in ſcientiarum uſu, & rectâ earundem applicatione verſatur. Quoſdam enim videre eſt, ſic penitùs imbutos ejus doctrinæ documentis, quam primùm in ſchola, licet caſu, ſuſcepere, ut ipſos deinde, nec ratio ab errore; nec libertatis amor à ſervitutis turpitudine; nec conſtantia veritatis ab obſtinatione pertinaciaque revocare poſſint: Itaque ſi fortè in Peripateticorum deambulationem venerint, magnas ſtatim hominum admirationes, magnum fuiſſe virum Ariſtotelem, & quem natura nihil celaverit, nulla res deceperit, nulla morum aut doctrinæ labes deturpârit, perſentiſces; Si Stoicorum porticus ſubierint, nihil uno Zenone in vita conſtantius, nihil in Philoſophia admirabilius aut divinius fuiſſe tibi perſuadebunt: Quod ſi (proh malum!) in delicatos Epicureorum greges, de Deorum otio inter pocula philoſophantes inciderint, aſſerent continuò, Epicurum unicum auctorem eſſe Deumque & beatæ & fortunatæ vitæ; Platonem verò, Ariſtotelem, & reliquos Philoſophorum greges, præ hoc uno ſtultos & deliros exſiſtere. Atque feciſſet utinam natura (quæ nobis tam diverſas mentes indidit,) ut iſtis generalibus Philoſophorum ſectis pertinaciæ ac contumaciæ noſtræ finis imponeretur! non profectò, tot inter contentiones inaniſſimas ſapientiæ & veritatis; fraudis verò, ac ſtulticiæ pleniſſimas quotidie verſaremur: nec ſapientiſſimi Religionis noſtræ ductores odio pluſquam Vatiniano inter ſe digladiarentur; dum ſuos quique Doctores odioſâ prorſus æmulatione inter ſe conferunt, ac Stentoreâ nonnunquam vociferatione reliquis præferre nituntur. Verùm huc ſtulticiæ de-

F 2 venimus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

venimus, ut quam quiſque ſibi Philoſophiæ alteriuſve profeſſionis ſectam delegit, quamvis ea ſit plerunque inepta, aut à veritate aliena, totus tamen mente & animo ad hanc adhæreſcat, indignius reputans ſervire corpore quàm animo! Alios etiam intueri licet, qui diverſo erroris genere in tranſverſum acti, quidquid ſolidi ab optimis auctoribus accepére, illud tandem in fumos ac nugas convertunt, ſimiles ægrotanti ſtomacho, qui cibos omnes etiam ſuaviſſimos & laudabilis alimenti, non in ſuccum alendo corpori neceſſarium convertit, ſed in flatus, aut bilioſos humores reſolvit, qui prout in cerebrum, aut viſcera feruntur, illis tormento eſſe ſolent non mediocri. Nec unius tantùm alicujus ſcientiæ Profeſſores hæc peſtis infeſtat, ſed omnium ferme conatus ac vota deludit, nam quotuſquiſque eſt grammaticæ rudimentis, & humaniorum literarum tincturâ vel mediocriter imbutus, qui non otio, & ingenio ſuo abutatur, aut in vocularum quarundam proprietatibus moroſè tractandis, earundemque etymologiâ ſuperſtitioſè inveſtigandâ, vel in anagrammatis, anacroſtichis, Andræcruccaſmis, Pangrammatis, Diaulis, verſibus anguineis, recurrentibus Leoninis, centonibus, & ejuſmodi gerris ac difficilibus nugis? Aut (ſi paululum altiùs ſapiunt) in quæſtionibus illis eventilandis, quæ grammaticorum cruces, aut potiùs bonæ mentis ſcopuli, vada, ſyrtes, meritò vocantur; quales ſunt illæ, quibus Tiberius genus iſtud hominum torquebat, quærendo ab illis: quænam fuerit mater Hecubæ? quid Syrenes cantu dicant? Achilli quod nomen, quando inter Virgines latebat? quis prior, Dies aut Nox; malleus, aut incus; gallina, an ovum? quot vini cados Æneæ dedit Aceſtes? quo pede Æneas navi egrediens Italiam attigit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

attigit? quâ primùm manu ſe ſublevavit Brutus, cùm in terram cecidit, ex oraculi voluntate? Anacreon vinoſior, an libidinoſior fuerit? Taurus, an Vacca ſignum ſit in zodiaco? atque adeo, (ut noſtri temporis quaſdam delibemus) Virgilius, an Vergilius dicendum ſit? Epiſtola, vel Epiſtula? ninſi, vel niſi? omnipotentis Olympi, an omnipatentis? trita pharmaca, an tetra; ocnus, an ornus; magiſtra cupa an culpa; inficetus, an infacetus; Servator, an ſalvator; Mœcenas, an Mecænas; endelechia, vel entelechia, & ſimiles aliæ? de quibus ſic acriter, & infenſo animo depugnavere Agellius, Philelphus, Politianus, Budæus, Lambinus, Muretus, ut non movere fluctus in ſimpulo, nec digladiari de puncto, vel accentu, aut virgulâ, ſed tanquam de regno totis inter ſe viribus concurrere, & omnia ſuſque deque invertere viderentur. Quotus etiam Philoſophorum eſt, qui vel in Dialecticę ſummulas & parva Logicalia; vel in ſuperſtitioſas rerum naturalium obſervationes, ac Magiæ ſecreta non impegerit? Sed quis etiam Theologorum non ſe libenter ac facilè Scholaſticis ambagibus accommodavit? Tam proclive eſt à virtutibus iter ad vitia; tam facilis gradus à ſapientia ad amentiam! Ultima denique literarum pernicies & calamitas, quæ magis quàm ulla præcedentium ſtudioſis hominibus infeſta eſt, dum bonæ mentis functiones lædit, judiciique vim penitùs deſtruit & labefactat, eſt quidam animi ſtupor, aut potiùs hebetudo, quæ nos recentes adhuc à ſcholarum diſciplina, nec erroribus hominum rerumque viciſſitudinibus dignoſcendis aſſuetos, omnium opinionum torrente violenter involvit, trahitque tamdiu cum cæteris præcipites, quouſque ſapientiora aliquis auſus attollere contra mortales oculos, ſic indecorè ruentibus obſiſtat, facemque veritatis &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſanioris judicii periclitantibus accendat, ad quam poſtea tanto cum impetu revertimur, ut nobiſmet ipſis ludibrio ſimus, & exemplo ſummæ levitatis ac ignorantiæ. Hoc verò quin ſæpiſſime contingat, nemini dubium eſſe poteſt paullò accuratiùs in ſuperiorum temporum hiſtoriam inquirenti, in quâ videre eſt, ſic ineptos aliquando fuiſſe homines, ſic aurium ſenſu ac animi judicio deſtitutos, ut poſthabitâ Vergilianæ dictionis elegantiâ, rhythmicos verſus elegerint, qui tum primùm ab auctoris nomine Leonini appellati ſunt, ſuaviuſque ac majori cum dulcedine, & voluptate cantillàrint carmen hoc, utrobique tinniens & Echoinum;

Cùm moritur dives, concurrunt undique Cives!

quàm placidum iſtud, & omnino delenificum

Purpureus veluti cùm flos ſuccisus aratro
Langueſcit moriens.

Et nihilominus pauci admodùm exſtitere, qui toto illo trium aut quatuor ſeculorum tempore, quo furor ille graſſatus eſt, carmen antiquæ monetæ percuderent, ſibique melioris ævi poëtas ad imitandum proponerent. tanta eſt mentis ubique penuria! Eodem prope tempore Philoſophorum ſcholas ſophiſtica labes; Theologorum verò pulpita, ſcholaſtica diſputandi methodus, non minori damno ac pernicie invaſerant; quæ Studioſos omnes incredibili propemodum concurſu & applauſu communem inſanientes inſaniam, ad ſuperioris ſeculi principium detinuere: & (ſi rectè calculum ponimus) non deeſt hodie ſimilis quædam intemperies, quæ Scholaſticæ loco Caſuiſtarum mentes exercet, quaſi fatum eſſet eruditorum, morbo ſemper aliquo detineri; aut in errorem graviſſimum impingere, cujus nemini in mentem venire ſolet, niſi cùm hic ad extremum deductus, ſe

ipſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ipſum tandem prodit ac manifeſtat. Ejuſmodi autem eſſe cenſeo, ut exemplorum congerie meliùs dignoſcatur periculum, ſtudium illud, quo linguarum Profeſſores, reliquarum originem ab antiquiori aliqua & primariâ, aut unius tantùm ab altera repetere conantur; & Ciceronianæ dictionis imitandæ deſiderium, quod jam diu ceſſavit; & amorem illum, qui Italos homines adeò ſuæ linguæ exornandæ cupidos, non ita pridem reddiderat, ut de Latina conclamatum eſſe multi jam perſuaſum haberent: & ingentem pruritum invertendi ac reſtituendi optimos auctores, qui nunc maximâ intemperie Criticorum mentes exagitat, & eò tandem nos deducet, ut primæ tantùm, ac antiquiſſimæ librorum editiones optimæ cenſeantur; & nimiam prorſus, ac moroſam Italorum curioſitatem in perveſtigandis optimæ poëſeos legibus, & artis ipſius methodo, velut ab inferis per mille difficultatum ambages revocandâ, quaſi Ariſt. & antiqui omnes in eâ cæcutiverint, aut non conſultius judicârint, ea tantùm præſcribere, quæ ad artis conſtitutionem faciunt, quàm tot ſubtilitates proponere, quibus non tam illuſtrantur recentiorum poëmata, quàm exercentur Academiæ; queis omnibus ſi reliquarum artium intemperies, & illas præterea quæ falſis in rumoribus conſiſtunt, cùm exactè non diſcutiuntur, accenſere vellem, dies me citiùs deficeret quàm oratio: cùm nulla ſcientia illarum ſit expers, nulla vitæ noſtræ ætas immunis aut libera. Sed non opus eſt totum Mare ebibere, ut an illud ſalſum ſit deprehendatur; nec cenſoriâ virgulâ donatus ſum, quemadmodum Ariſtarchus, vel Ariſtophanes, ut os in Cœlum ponam, multaque ſimiliter in ſuperioribus diſciplinis veru, ac obelo & aſteriſco digna pronunciem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Atque hi ſunt præcipui ad prudentiam & bonæ mentis adeptionem obices, in quos non admodum rarò ſolent deferri, & naufragium facere, qui ſtudia ſua impetu potiùs & naturali propenſione, quàm ſapientiſſimi alicujus præceptoris conſilio moderantur. Quanquam non dubito, quin plures alii inveniri poſſint; Sed quoniam ipſi veluti priorum conſectarii ſunt, nec periculum intentant, niſi ſuccedaneum, peritiores medicos imitabimur, qui ſympatheticos, & ſymptomaticos affectus, non aliter quàm propriorum & idiopathicorum inſtitutâ curatione tollendos eſſe ſignificant: quamobrem licet parum honeſtè ac verecundè poſſint huic nimiæ facilitati, & morum integritati (quam ſuprà deſcripſimus,) certi fines ac limites aſſignari, mos tamen gerendus eſt huic Horatii præcepto:

Inſani ſapiens nomen ferat; æquus iniqui:
Vltra quam ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.

Et diligenter præcavendum, ne virtutes, quæ nobis tanquam inſtrumenta datæ ſunt ad retinendum honorem, vitiorum continuò infamiam nobis ac dedecus afferant, quemadmodum illis contingere ſolet, qui in fece populi & mediis in Urbibus inter mores hominum inquinatiſſimos viventes, antiquiſſimæ ſeveritatis exempla memoriâ repetunt, indignanturque non omnia, ſecundùm Phocilidis, aut Pythagoræ, vel Theognidis & Catonis diſticha procedere. Quod equidem incomodum non aliunde procedere videtur, quàm ab educationis illiberali modo; ſiquidem dum adoleſcentes inter Ætatis aureæ fabulas, & Curiorum, Fabiorum, Scipionum virtutes adoleſcunt, nihilque de cæterorum vitiis audiunt, nec illa etiam ullibi gentium exſiſtere ſibi perſuadent; unde ſequitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tur poſtea, cùm tot depravatos & abnormes vivendi ritus conſpiciunt, tot diſſimiles Xenophontis Pædiæ & Platonis Reipublicæ hominum conſuetudines, ut non aliter ſtupeant, hæreant, titubent, cæcutiant, quàm aves implicitæ viſco; quàm ad Solem veſpertiliones, vel Bubones, dum inepto cantu reliquis volucribus ſunt ludibrio. Hoc autem non perinde ſe habebit, ſi (prout ſub initium iſtius ſyntagmatis admonui) juvenes in propria, aut alterius privatâ domo erudiantur, ubi quidquid in Civitate committitur, oculis uſurpare poſſint, & quæcumque de hoc vel illo dicuntur audire, ut ſic paullatim cunctis rebus aſſueſcant, poſſintque quantum laudis & gloriæ in virtute ſequendâ repoſitum ſit, ex vitiorum intuitu cognoſcere: quâ in re non minimum etiam juvari poſſunt continuâ Hiſtoricorum lectione, modò tamen ipſa cum doctiſſimo Præceptore inſtituatur, qui ipſorum ſententiæ ac narrationi lumen afferat, Principum intentiones, bellorum eventus, præclaras, aut indecoras militum actiones, conſilia Ducum, clades, victorias, triumphos, obſidiones, ſtratagemata, ac demum ſingula quæque penſiculatim examinans illuſtranſque, aut ſimilium comparatione, aut acri cenſurâ atque judicio, aut tandem ampliori eorum, quæ per ſe obſcura videri poſſent, declaratione. mirum eſt enim, quantum ejuſmodi lectio utilitatis afferat, quantumque ſe juvenum animis cum pulcherrimâ ſimul diverſarum rerum cognitione, penitùs inſinuet ac diffundat; quâ poſtquam ipſi ſemel intincti ſunt & leviter imbuti, nihil ampliùs ſtupent, nihil verentur: Sed ſibi tantùm regulas bene vivendi præſcribentes, quidquid cæteri fecerint, non magis certè, quàm de rebus quæ ad ſe nihil pertinent, offenduntur. Nimiæ verò cre-

dulitati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

dulitati remedium eſſe poſſet, ſi Præceptores fabularum explicationem cum earundem hiſtoriâ conjungerent, monerentque diligenter ac curiosè adoleſcentes, quid per Centauros & Scyllas; quid per Faunos & Empuſas, in priſcorum Mythologiâ ſit intelligendum. quod equidem non ſolùm metu ac perturbatione, ipſorum animos liberaret, ſed eos ornaret inſuper, ac inſtructiores redderet præclariſſimâ antiquioris Philoſophiæ cognitione; quam velut per manus acceptam ab Homero, Heſiodo, Orpheo, Platonici, & omnes præterea Magiæ naturalis, ac utriuſque Cabbalæ, & Chymiæ profeſſores, ſuis in compotionibus, quas ejuſmodi figmentis plerunque depingunt ac exornant, ſapienter retinuere; ut minimè pro nihilo ducenda ſit quorundam noſtræ tempeſtatis hominum ſententia, dum contendunt, haud mediocrem ejus eruditionis partem, quâ ſe plurimum jactant & extollunt, qui inter humaniorum diſciplinarum ac Philoſophiæ, Theologiæve profeſſores, altiùs reliquis ſapere deprehenduntur, in hujuſmodi fabularum explicatione totam verſari. Veruntamen, ſi quod ingenuè cenſeo, liberè fatendum eſt, debile præſidium in hac docendi ratione conſtituo, niſi jam grandior factus juvenis, & communis doctrinæ ſtadium emenſus, animum deinde ſeriò applicet, ad præcipuam illam non ſolùm bene moratos, ſed etiam verè beatæ & ſapientis vitæ procreatricem, veritatis inveſtigationem, ſine quâ nihil neque literatum, neque prudens, neque liberale, neque magnificum, poteſt exſiſtere, eſt enim velut lumen, quo vitæ actiones omnes illuſtrantur, & hoc quidem diurno ſidere tantò potentiùs, quòd Sol iſte oculis tantùm; veritas autem mentibus lucem atque diem affert: atque hic facit, ut res

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quales ſunt, tales etiam cernantur; illa ut quòd ſunt, id illud ipſum ſint. Sed hoc lumen non æquè ex omni parte diffunditur, nec ſe pariter omnium oculis accommodat, magnas illud mentes requirit, & cœleſtis particulæ pleniùs compotes, ac in Mundi ſcenâ eruditas, quæ nullius placitis adſtrictæ, nullius opinionis tenaces, ſed ſui juris ac liberæ per omnium ſcientiarum dogmata ferantur, per mundorum ſyſtemata obambulent, per rerum viciſſitudines exerrent, quæcumque ſunt, fuerunt aut erunt, ad examen vocantes, ut de ipſis, quod è re videbitur eſſe, apud ſe conſtituant, atque ex ipſorum diuturnâ & diligenti conſideratione, bonæ mentis habitum induant, cujus poſtea beneficio rectè ſapienterque poſſint de ſingulis rebus judicare; & quid in illis verum aut falſum, quid rectè rationi conveniens, aut abſurdum reperiatur, deprehendere. At verò, quoniam nobis non licet eſſe tam beatis, ut anima noſtra à primâ ſui origine tales, tamque eximias dotes ſecum in lucem afferat; mutuetur illas oportet, accipiatque vel à ſe ipsâ, dum largiori uberiorique rerum cognitione informata eſt; vel à ſapientiſſimis Præceptoribus, quorum auxilio licet ſe deſtitutam invenerit, non eſt tamen, quod de ſpe decidat bonæ mentis conſequendæ, ſi nonnulla apud ſe ſtatuat, quæ velut baſes ac fundamenta eſſe debent omnis ingenuæ veræque liberalis, & præſtantioris doctrinæ. Ac *primum* quidem eſt, veritatem (de cujus tamen poſſeſſione vix ullus eſt, qui ſe non plurimum efferat,) ſubmerſam adhuc in Democriti puteo latere, nec ſe mortalibus oculis conſpiciendam unquam exhibuiſſe, quo fit, ut verâ Iunonis iſtius imagine fruſtrati, ſolas imaginationis noſtræ nubes amplexemur, ex quarum poſtea compreſſione non Centauri

quidem prodeunt, ſed tot ſententiarum & opinionum, quæ nos viciſſim ac peſſimè exercent, partus abortivi. *Secundum* eſt, nihil in hoc mundo ſtabile eſſe, nihil firmum aut inconcuſſum; ſed omnia viciſſitudinibus agi, & ſucceſſione quadam, artes, regna, ſcientias, ſectas, cœlos etiam, terras, ac maria converti, ut conſtans æternâ poſitumque lege ſit, in mundo conſtans ac perpetuum eſſe nihil: ac proinde ſtulta redduntur, & ſubventanea plerumque hominum vota, dum audent vel ſcientiis, vel legibus, vel Imperiis, aut quibuſvis rebus, quarum amore capiuntur, de perennitate gratulari. cecidere quondam Democritus, & Empedocles; cecidit Pithagoras; Stoicorum Porticus; ferme tota diruta cernitur Platonis Academia, araneis & ſqualore obſita eſt, ac mucida, & tibicine circumquaque fulta; in Epicureorum deſertis agris, filix & ſteriles dominantur avenæ; Ariſtoteles paullò firmius ſtat innixus religionis noſtræ arbori, quam tamen, velut hedera, occultè deſtruit ac depaſcitur, ſed cadet ipſe nihilominus quàm cæteri; & qui foveam illi præparant ac necem intentant, Teleſius, Patricius, Campanella, Baſſo, Gaſſendus, ſuas quoque vices habebunt. Eadem lex Imperiis etiam poſita eſt, quorum nullum unquam potuit ab antiquiſſima memoriâ ad hoc uſque tempus perennare: non Aſſyrium; non Perſicum; non Græcum; aut Romanum. Eadem quoque Civitatibus imminet,

Atque vetus Thebæ centum jacet obruta portis.

Nec familiis ac nominibus parcit, quibus mors quotidie venit, non ſecus ac monumentis, & ipſiſmet hominibus, qui quidem non particularibus tantùm, & ſporadicis morbis obnoxii ſigillatim pereunt, ſed incendiis, eluvione, peſte, bello, fame, non aliter prorſus quàm vites grandine, aut

ſegetes

ſegetes urente vento proſternuntur demetunturque per ſaturam. quod equidem exemplo nobis eſſe debet, non adeò pertinaciter, quemadmodum fieri conſuevit, quidquam ſtatuendi de naturæ ordine ac univerſi legibus; ſed jugi & aſſiduâ ejuſmodi rerum meditatione, cogitationes potiùs aſſumendi, quibus mens noſtra velut in mundi centro conſtituta, res omnes circum ſe volvi intueatur ſtabilis ſemper, ſemper ſui juris, & imperterrita. *Tertium* quod ad bonæ mentis acquiſitionem non parum facit, illud eſt omnino, quod priſci ſapientes ſub imagine Prothei πολυμόρφου nobis latenter inſinuare voluerunt; nimirum antiqua fermè omnia eſſe commentitia, rerumque primordia, niſi quæ in libris divinis leguntur, nulla eſſe conſtantis ac non ſublestæ fidei; ut non immeritò Arnobius, cùm adverſus paganos diſputaret, in hæc verba prorupit: *Falſitatis arguitis res noſtras, & nos veſtras arguimus falſitatis, ſed antiquiora (inquitis) noſtra ſunt, ac per hoc fidei, & veritatis pleniſſima: quaſi verò errorum non antiquitas pleniſſima mater ſit, & non ea pepererit res eas, quæ turpiſſimas Dei notas ignominioſis concinnaverint in fabulis!* Unde non modò ruunt quæ de genealogia Deorum ac Heroum facinoribus Homerus, & alii cecinere; ſed quæ de regnorum populorumque ac civitatum originibus non infimæ etiam notæ retulerunt hiſtorici. Gentes ſiquidem pleræque & nationes, ignaræ vetuſtatis, & veræ propriæque ſeriei temporum, fabuloſas quaſdam origines confinxerunt, ut Theſſali qui ex lapidibus ortum ſuum repetebant, & Arcades, Athenienſeſve, quorum hi, ſe αὐτόχθονας eſſe; illi vero aſtris & Lunâ priores ineptè aſſerebant. Sanè nullum adeò in hiſtoricorum lectione infantem eſſe cenſeo, qui non ſtatim videat, Herodotum & Diodorum Si-

culum, ut de aliis taceam, initio ſuorum librorum caliginoſa quædam fabulamenta nobis, & offucias objicere. quinimò Titus Livius, quamquam iſtis multò verecundior, cùm Romanæ Urbis adeoque Romuli incunabula recenſet, fateri alioqui cogitur veterum ſcriptorum commenta: qui ut magis Auctoribus ſuas Civitates commendarent, uſi ſunt hac veniâ, quam illis concedere æquum exiſtimat, ut nimirum miſcendo humana divinis, primordia urbium auguſtiora faciant. Nec mirum certè, cùm & in iis quæ noſtrâ ætate vel nonnunquam nobis videntibus accepta ſunt, plerique ſcriptores obliquè ſtylum accomodent, ac ambages, & mera ſomnia loquantur, tam vacui capitis nos eſſe reputant, qui illorum nugis aures adhibemus, aut potiùs tam ſe non bonæ mentis compotes oſtendunt dum libros Euclionis domo perſimiles componunt, quæ inaniis tantùm repleta erat ac araneis, unde ſuſpenſo pede, magnáque ſemper adhibitâ cautione inter tot, non modò hiſtoricorum, ſed omnium fere ſcriptorum mendacia incedendum eſt, quo minùs ipſorum telis velut culices irretiamur, detineamurque. *Quartum* quod à paucis, aut à nemine potiùs, animadverſum fuiſſe, mirari ſatis non valeo, eſt, naturæ vim ordinemque ita prorſus ſe habere, ut omnibus in rebus aliquid excreſcat ſordidum & lutulentum, quod tolli recidique conveniat, atque eâ cauſsâ fruges, herbas, arbores, ferrum, terram, aquam, hominum denique atque animalium corpora purgari; quæ unica cauſſa eſt, cur veteres Mythologi prodiderint Gallos illos, Phrygios miniſtros Cybeles, (quam terram dixerunt) exſectos fuiſſe genitalibus: oſtendere ſiquidem voluerunt, omnibus in rebus quæ terrâ gignerentur, aliquid increſcere, quod eſſet continuò

amputan-

imputandum : eádemque ratione, Caſtorem animal Berecinthiæ Matri (quam & terram appellabant,) dedicandum eſſe cenſuerunt ; quia perrumpere ſibi genitalia ipſa morſuque perſtringere feratur. Quod cùm in cæteris rebus verum, tum ſanè in ſcientiis & artibus veriſſimum deprehenditur, quarum nulla ferme eſt, quæ poſtquam homines circa ea, quæ in ſe utilia ac eſſentialia ſunt, aliquamdiu occupatos detinuit, eoſdem in ea quæ merè ſuperflua ſunt, ac inepta & ridicula, non præcipitet: quamquam illud non tam ab ipſis artibus procedat, quàm ab ingenii mentiſque noſtræ naturâ, quæ cùm ignei cujuſdam vigoris ſit particeps ; & à cœlis in terrenum carcerem demiſſa, utriuſque elementi naturam retinere ſolet ; & à cœlo, ut nunquam quieſcat ; ab igne, ut cuncta rimetur ac penetret, ulteriúſque ſemper procedat, obtinere. Unde poſtquam alicujus ſcientiæ regulas methodumque ac Syſtema comprehendit, nihilque ultra cum ratione, & fundamento in ipſa invenire poteſt, ecce quamprimum ad inania ſe demittit potiùs, quàm quieſcat, & cucurbitas pingit larvaſque ac lamias turres, & pectines Solis, ſeu mavis ſomnia, vanaſque & imaginarias artes, quæ non plus habeant in ſe veritatis, quàm ipſarum Auctores bonæ mentis & judicii. Atque inde eſt, quòd ſcientias vix unquam ſinceras ac certis limitibus definitas habere poſſimus, cùm Grammatica, ut ab illa primùm incipiam, non ſolùm quæſtiones frivolas, (de quibus ſuperiùs dictum eſt,) ſecum annexas habeat, ſed onomantiam inſuper, alectromantiam, & dactylomantiam, quæ divinationes ſunt, ex fortuito literarum ac nominum concurſu excogitatæ ; Rhetorica non modò præſidium quærat in Ariſt. Quintiliani vel Ciceronis præceptionibus, ſed in ſubſidium

ſidium advocet artis Notoriæ orationes, imagines memoriæ artificialis, rotas Lullii, Theatrum Julii Camilli, Typocoſmiam, Syntaxes Gregorii Encyclopædiæ regulas, & ſi quid eſt aliud ejuſmodi vaniſſimum; Dialectica lubenter ſe exerceat in ſummuliſtarum ampliatione, reſtrictione, obligatione, ſuppoſitione, & gerris ſimilibus ac ſophiſmatis; Muſica denique ſuos concentus & modulos ad cœleſtis cujuſdam harmoniæ imitationem conponat: ut reliquis artibus prætermiſſis ad ſcientias majores, ac velut reliquarum matrices deveniam, inter quas cùm Phyſica, Medicina, nec non etiam Theologia præſtantiſſimæ ſemper habitæ ſint, ſic quaſdam appendices poſt ſe trahunt, quæ licet primo adſpectu non indignæ videantur ſtudio & inveſtigatione ſapientum, dum Aſtrologia conatur quidem ſuperiorum in inferiora influxum, & dominatum recludere; Magia verò naturalem Philoſophiam, à veritate ſpeculationum ad magnitudinem operum revocare contendit; atque etiam Chymia in ſe ſuſcipit, corpora ipſa inquinata depurare, impedita liberare, immatura perficere; quibus demum adjuncta Cabala totius divinæ ſcripturæ myſteria recludere, ac palàm exhibere conſpicienda profitetur; ipſæ tamen tales in ſe, & in interiori ſuâ ratione eſſe deprehenduntur, ut plus habeant ex phantaſia & fide, quàm ex ratione & demonſtratione: quare conſentaneum eſt etiam arbitrari vias, quæ ad earundem fines deducunt, pleniſſimas eſſe erroris, & nugarum, noſque tandem per varios ac labyrintheos plexus ad judiciariam, Magiam ſuperſtitioſam, & Alchymiam deducere; quas omnes cum enumeratis ſupra cæterarum artium velut ſordibus & excrementis, ad pannuceas Baucides, & Planos, Agyrtas, Æruſcatores, Scurras, Fumivendulos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

los Nebulonesque circumforaneos, quibus velut hamo lucrum expiſcentur, & infami ac propudioſæ vitæ ſuæ conſulant, ablegandas eſſe cenſeo: Simulque monitos velim ingenuæ ſortis adoleſcentes, ne ſe talibus unquam nugis irretiri patiantur, ſi bonæ mentis opinionem ac ſapientiæ adipiſci ſtudent, aut ſemel adeptam retinere. *Quintum* ac poſtremum, quod non modò velut præceptum ad bonam mentem, ſed tanquam etiam remedium affero ad illud, quod primum in ſtudiorum uſu homines peccare ſuprà notavi; verum philoſophandi genus inſinuat, judicio & exiſtimatione rerum liberum, non autem opinione, aut affectione conſtrictum, à quo immane quantum illi diſcedunt, qui primùm antè tenentur aſtricti, quàm quid eſſet optimum judicare potuerint, quique infirmiſſimo tempore ætatis, aut obſequuti amico cuidam, aut unà alicujus, quem primùm audiverint oratione capti, de rebus incognitis judicant, & ad quamcumque ſunt ſectam quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt, ex quo, quid verum ſit ac rectæ rationi conſentaneum, tam Hercle vident, quàm Solem Cimmerii, aut qui in illuni nocte ambulant, iter diſpiciunt: & verò, ſi in his emendis, & contrahendis, quæ ad corporis uſum & cultum pertinent, tantum diligentiæ adhibetur, ut non niſi magno cum delectu quidquam emas; nec ſi mercator aliquis merces ſuas, quas venales exhibet, optimas eſſe jure-jurando confirmârit, idcirco plus ejus teſtimonio quàm tuo judicio tribuas; quanto majori ſtudio & conſideratione merces animorum, quas Philoſophi nobis venditant explorandas, & deligendas eſſe arbitraris? Sunt autem illi ipſi mercatores atque inſtitores ſapientiæ: itaque ſi quid in Platonis ſermonibus, aut Archeſilea Epoche

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

che commodum tibi & utile eſt, illud accipe: ſi quid boni in hortis Epicuri vireſcit, hoc collige: ſi quid melius Lycæum profert, quantum quoquo modo videtur, aſſume: ſi magis ſunt vendibiles Zenonis, quàm Ariſtotelis merces, ad iſtius porticum diverte: ſi omnes aliquid attulerint, quod tibi non mediocriter arrideat, hoc ipſum à ſingulis accipe: uni tantùm veritati conſequendæ, undecumque illa haberi poſſit, addictus, nec hujus aut alterius; Ariſtotelis aut Platonis; divi Thomæ vel Scoti; Hippocratis vel Paracelſi; Ptolemæi vel Tychonis opinioni mancipatus; ſed liber, ac velut omnium judex & arbiter conſtitutus: ſic enim eum oportet eſſe, quiſquis volet rectè & conſtanter de omnibus judicare. His igitur quinque fundamentis ac velut præcognitis quicumque mentem animumque informatum habuerit, is dubio procul magnos jam progreſſus in bonæ mentis adeptione ſe feciſſe exiſtimet; nihilque ultrà exſpectet, quo minùs actiones illas edat in reliquo vitæ decurſu, quæ ipſum à communi viliſſimáque mortalium fæce ſecernere poſſunt, & in æternum commendare auguſtiſſimâ rariſſimáque ſapientis animi poſſeſſione. Et verò, cum illæ ipſæ actiones in omni quidem hominum genere, ſed præſertim ſtudioſorum eluceſcant; reſtat nunc paucis abſolvam, quales ſe gerere debent liberalibus ſtudiis addicti, ne duobus morbis, quos poſtremum recenſui, ſimul cum reliquis corripiantur divexenturque. Quantum igitur ad illum ſpectat, qui in depravato ſtudiorum uſu conſiſtit, dum levia quædam ac prorſus inepta ſectamur, qualia ſunt Auſonii, & Capiluporum centones; Diauli Meſtrali, Rabani, Porphyrii, Optatiani, & Moninii, Acroſticha; & quidquid ejuſmodi ludorum excogitare ſolent adoleſcentes:

es: quamquam de ipſis jam antea fusè dictum it, addam nihilominus hîc valde mihi probari Alexandri Magni judicium, ac præmium, in re non admodum diſſimili. Hic enim hominem, ſolo oris halitu cicera minutiſſima, ex magno intervallo in acum certiſſimè infigentem, cicerum modio donari voluit, quò ſe ille nugator in tam ludicræ artis fatuitate diutiùs exerceret: ſimili autem præmio cur non digni ſint, qui iſtas operoſas ineptias ſectantur, queis nec literatior fit quiſpiam nec melior, nullus ſanè video. Quamobrem, cum non modò turpe ſit viros graves ac eruditos levia ſectari, & cùm per plana ac æqualia iter facere poſſint, Caprarum inſtar per rupes & ſalebras, ac abrupta incedere; ſed odioſa quoque res ſit difficiles habere nugas, & ſtultus ſit labor ineptiarum: nunquam debent adeò viles, & abjectas cogitationes aſſumere literati, ut ad hæc fatua & ridicula animum demittant, in quibus, qui ſe ſubtiliores oſtendunt, hoc inſuper obtinent, ut ſtultiores etiam judicentur. Neque verò leviùs peccare exiſtimandi ſunt, qui rerum ignoratione, imbecillitateque mentis ac inconſtantiâ ſubinde fluctuant, popularium opinionum torrente illuc raptati, unde ſe reducere non poſſunt abſque ſuæ exiſtimationis gravi jacturâ & periculo, ut rectè dixerit Horatius:

Non qui Sydonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potantia vellera ſuccum,
Certius accipiet damnum, propiuſque medullis,
Quàm qui non poterit vero diſtinguere falſum.

Præterquam quod enim falſis opinionibus imbuti decipiuntur, & decipiunt, quod in viro ſapiente ac bono abſurdum cenſetur, viam quoque ſibi præcludunt ad ulteriorem rerum ac cauſſarum indagationem, quod eſt erudito homine prorſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

prorſus indignum : quare ut huic malo obvian eatur, effingendus eſt animus ad exemplar he roicæ fortitudinis, qui res omnes attentè diſpi ciat, intrepidè exploret, acutè diſcutiat; no Multitudini credens, quia non tam bene cum re bus humanis geritur, ut meliora pluribus pla ceant; Non Prophetis, niſi qui ſigna dederin quoniam pauci Spiritu ſancto agitantur: omne ferme humore melancholico, faſtu, vel intem peſtivâ devotione; non Aſtrologis, quia tot ja cula cùm emittant, mirum non eſt aliquod tan gere; non Alchymiſtis, quoniam ab iis drach mam petunt, quibus theſauros pollicentur; no Famæ, quia tam ficti pravique tenax, quàm nun cia veri deſcribitur à Poëtis: ſed uni tantum evi dentiſſimæ, ac conſtantiſſimæ *Rationi.* Quomo do autem comparari poſſit egregia iſta ac pror ſus heroica animi fortitudo, quæ bonæ menti eſt ſoboles, ac fructus longè omnium ſuaviſſi mus jucundiſſimuſque, fruſtra eſſem, ſi vellem hîc dicere, poſtquam de iis ſuprà diſſerui, quæ ac iſtius bonæ mentis conſecutionem omnino ſun requiſita.

Atque ut verum ſit, quod copioſior erat hic lo cus, & dignior qui pluribus diceretur, quemqu ego aliquando exactiori curâ mihi puto dicen dum, quando hic præcipuus eſſe videtur long laboris ſollicitudiniſque in ſtudia collatæ fru- ctus; neſcio tamen, Fabrici nobiliſſime, quo- modo æſtus ſingularis mei in te amoris, dum me continuò ad hoc tibi muneris tranſmittendum ſollicitat, hoc etiam effecerit, ut paucioribus il lud elaborarem, & abſolverem paginis, quàm initiò fuerat mihi propoſitum. Certè impule- runt me vehementer egregia tua Virtus & No- bilitas, quæ nihil infimum petunt; nihil ſordi- dum, aut commune, ut grandius aliquod ingenii

donum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

onum honori tuo inſcriberem: Tuum eſt mo-
ò, fortunatiſſime Iuvenis, ſic meis præceptis;
c Patris amore atque indulgentia; ſic parentum
xemplis, ad ea, quæ te ipſo digna ſunt accendi,
t novum in tuam familiam decus inferre poſſis,
ræclaramque conſuetudinem in eâ retinere,
udis non expetendæ modò, ſed conſequendæ.

ARN. CLAPMARII
Iuris-Conſulti,
Nobilis Adoleſcentis
TRIENNIUM.
Quomodo Studioſus humaniorum literarum triennio Animam juxtà ac Sermonem feliciter excolere poſſit.
Ad Nobiliſſimum
VOLCARDUM SUINGERUM.

RES & tempus monet me, Cariſſime Volcarde, ut quod toties me flagitâſti, tandem impetratum reddam. Id quod factum oportuerat multo priùs, niſi mea mihi negotia prævortiſſent. Sicut enim ſubinde tempeſtates calamitoſiſſimæ incidunt, quæ agricolarum labores remorantur: ita nobis etiam negotia fiunt ſæpe inopinato. Verùm-tamen petis à me, & eo vehementiùs petis, ut modum tibi conſcribam, quo poſſis animum juxtà & ſermonem hoc triennio feliciter excolere. Tantum autem temporis huic rei conficiendæ ex autoritate parentum ſuſcepiſti.

Quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Quod quidem conſilium, multorum opinion[e] mihi videtur præſtantius. Hominem enim adhu[c] naſcentem, & in tam luculentâ fortunâ poſitum de virtutibus & literis tam honeſtè ſentire, qui[d] eſt, niſi ipſa felicitas eſt? Eundem literarum ſi[ti]tientiſſimum eſſe, felicitatis gradus ſuperat. Di[gni]gnitates juxta & honores prenſare, multis com[mu]mune eſt; illud non item, veram viam inſiſter[e] virtutum, & per quam ad eam venitur Philoſo[phi]phiæ, hoc eſt, omnium rerum liberaliſſimarum cognitionis. Id verò ais non alio te facturum nomine, niſi ut cum honore & gratiâ inter mor[tales] tales vitam vivas, pariterque paratiſſimus a[d] Reip. adminiſtrationem annis aliquot pòſt ac[ce]cedas. Quod conſilium egomet ex animo tib[i] gratulor, quippe quod pauci tui generis hoc ſe[cu]culo adfectant. Quotus enim eſt eorum omnium qui etiam re magnâ inſtructi & ad liberali[a] ſtudia intenti ſunt, qui malit ſibi & Reipub. prodeſſe, quàm non ex laboribus ſuis turpiſſi[mum] mum quæſtum facere. Quod qui ſatagunt, na[m] illi numos potiùs, quàm virtutem colunt. Ne[qua]quaquam verò tibi autor ſum, ut de Iuriſpru[den]dentia ſuſque deque cogites, quin potiùs te mo[neo], neo, ut huic addiſcendæ maximam aliquand[o] ſuſcipias curam. Verùm hic præcauto opus eſt ne ad eam rerum verborumque inops & inplu[mis], mis, ſed viſas comitatior & adultior. Eam autem tibi fortunam ex Dei ſuâque virtute partam re[lin]linquunt Parentes, ut ſtudiis tuis frequentandi[s] annos aliquot perpetes vacare poſſis: neq; enim eruditio unius triennii eſt. Quo magis tibi ſe[du]dulò eſt enitendum, ut caveas de iis, qui dedit[i] ventri turpique otio vitam habent voluptuoſam in rebus ludicris, virtuteſque & vitia juxta æſti[mant]mant. Deinde, ne fidem habeas illis, qui cruda adhuc ſtudia in forum propellunt, & juriſpru-

dentiam

dentiam induunt pueris omnium eorum egenis, ſolo obtentu, ut lucrum faciant. Quod parum eſſet, niſi iidem eximiæ cujuſdam eruditionis perſuaſionem imbibiſſent. Hos equidem, uti ineptiſſimi ſunt, ita probè ſcio, ſtudium hoc virtutum & literarum parvi habituros: in quorum ego ſententiam lubens irem, ſi otioſis ſuis de Iure diſputationibus actiones humanas remq; publicam poſſe adminiſtrari priùs me doceant. Iuriſprudentiam ego ejuſdem alumnus permagni facio & colo. Id mihi ſæpe inculcandum eſt, ne aliis ſtomachum moveam, ſed rerum egenam eſſe exiſtimo, ſi ſolo abſque comitatu aliarum ſcientiarum in hoc mundo regnet. Tametſi plerique etiam olim Philoſophi & Oratores præſtantiſſimi Zaleucus, Archytas, Solon, Cleobulus, Chilon, Plato, Socrates, Ariſtoteles, Phalereus, Pericles, Critolaus, præ omnibus tam belli quàm pacis adminiſtrationem ſuſceperunt, & forſan laudabiliùs, quàm hoc tempore, quo omnia fora & conciliabula cauſis ſolummodo litigantium perſonant dijudicandis. Proinde ſi me audis, (tibi enim iſto nihil antiquius fore autumo) dabis mihi hanc operam, ut exiſtimes, hanc viam, quam ego digito monſtraturus ſum, intrâſſe & hujus & prioris ſeculi omnes, qui Rempublicam inclinatam ſæpenumero conſervârunt, ſuiſque divinis lucubrationibus memoriam ſui effecerunt quam-maximè longam: per hanc Pericles, cùm Socrati obtemperaret, ſeque & Rempub. ſervavit; eam contrà peſſum dedit Alcibiades, cùm ſecus faceret. Neque homines olim & hoc tempore præſtantiſſimi tantum iter emenſi forent, niſi ab infima radice ad faſtigium montis conſcendiſſent. Ad Metaphyſica autem, Mathematica & Phyſica minimè te hoc tempore invitabo. Ea tanquam impedimenta poſt te

relinque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

relinque inſtar properantis bellatoris, ne tibi i
exſpectatione ſint. Peritus jaculandi arcum ne
quaquam à tergo intendit, ſed remotis impedi
mentis, ſine ulla oculorum circummiſſione pen
ad metam collineat, votique damnatur. Ita te
hiſce animis compones, ut ſcopum tibi figas
quouſque etiam oculos continuare poſſis. Is au
tem tibi notiſſimus eſt; proinde ne fallas, o
mnes nervos intendes, & ſi per interſtitium erit
removebis. Tametſi Phyſicæ guſtum te habere
pervelim, ut natura animæ (eam enim moribu
excolere in animo habes) paullò tibi ſit comper
tior. Utque hoc triennium ratione ætatis, fami
liæ & ingenii tui habitâ feliciter exigas, de quo
ego minimè dubito, ſi in officio fueris, pauciſſi
mis & quaſi ſub manu tibi expediam. Homin
enim amico, qui hujuſce rei operam ſollicitat
lubens pareo, quam etiam ignoto minimè dene
go. Quod ſi inquam in officio fueris, ſpem ego
mihi facio maximam, exacto hoc triennio fore,
ut animus tibi ſit egregiis virtutibus excultus.
Oratio tua prudens & ornata, proinde de rebus
ad Rempub. pertinentibus, appoſitè verba fa-
cturus ſis. Quo nuncio ecquid tibi auditu jucun-
dius uſquam eſſe poteſt? Pecuniam nemo her-
cule ſapiens concupivit. Voluptas neminem oc-
cupavit, niſi qui bene aut malè vivere parum
penſi habuit. Honoris cupido propior virtutem
eſt, ipſa verò virtus omnium hominum dignita-
tes ſuperat. De qua re prolixiùs ego ad te ſcribe-
rem, niſi ingenium mihi tuum aliquandiu foret
ſpectatiſſimum. Ac primum quidem à religione
& Dei cognitione auſpicatò tibi initium ſumen-
dum eſt. Ei autem rei tribues primum & poſtre-
mum diei. Sicut enim qui militiæ operam na-
vant, Deo Opt. Max. vota faciunt pro felici re-
ditu: ita te moneo, ut cum Deo te reconcilies,
ante-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ntequam contubernium hoc Muſarum intres: c priùs pro victoria ſacra facias, ne & famæ & emporis & ſumtuum periculum fiat. Proinde ene manè (poſt quartam autem ſtertere reliio tibi ſit,) ſumes Biblia, & factis Deo precibus num atque alterum caput pelleges. Idem freuentabis cùm extremum dei erit. Quæſiverunt us, hoc Socrates, Plato, Ariſtoteles, Solon, Lyur in civili ſocietate inſtituendâ: &, ni hiſce deituti forent, egregiam & ſempiternam operam a eadem poſuiſſent. Huic ſacro actui per interalla adjunges, vel aliquem ex veteribus patrius, (uti Arnobium, Minutium Felicem & Laantium, inprimis propter eorum locutionem legantem, & concinnam;) vel aliquem ex hodirnis, (uti Spinæum: & cumprimis Mornæum; ui me primus in veritate religionis noſtræ conrmavit, quemque ego ſupra omnes pænè morales colo & magnifacio.) Tandem ad labores e accinges. A ſcientiis autem vel artibus nolim e auſpicari, etiamſi linguam Latinam mediocrier calleas; eâ tibi politâ & eleganti opus eſt, iſi more vulgarium philoſophari malis: quoum ego acumen vehementer probem, ſi eleantiori locutione animi ſenſa proferant. Verùm hi contrà faciunt, & eruditionem ſuam nepto penicillo magis obumbrant, quàm illuninant. Primum igitur vehementer velim iniium fieri à Plauto; quippe in quo ſermonis eleantia ſumma eſt, eaque non vulgaris. Conſiium enim eſt, te ſemper loqui latinè cum eo quîcum vivis; cujus ſi alteruter oblitus ſit, ut uat. Licet enim minimè negem, eum qui bene cribat, tandem etiam bene locuturum: tamen ut promtior fias, & linguæ battologiam ſive titupantiam emendes, ſæpiuſcule latina confabulae. Niſi ſint præſentes, qui morem hunc, ut fit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ludant. Quod plerunque peculiare eſt Germ
nis, ut, niſi in publico, quando agitur de reb
ſeriis, latina verba non proferant. Quorum
multi à pueris hac linguâ lallare cœpiſſent, jam
iſtæ grandes declamationes elegantiæ & promt
tudinis majus haberent pondus. Nunc ſæpe
ſenes in Scholis & in foro hæſitant, & quod tu
pius eſt, verborum magis curam habent quà
rerum. Verùm, quomodo in autoribus legend
verſari te velim, luculenter alibi docui: quod
multis hodie in iis peccatur, qui exiſtimant fel
citer in autoribus neminem operam ponere, ni
omnia à locis logicis diducat, cæterùm ipſam l
tini ſermonis puritatem ſuſque deque haben
cujus ineptitudinis utinam iſtos pœniteat! v
rùm inani opinione eruditionis inflati, guſtu
elegantiorem capere nec volunt, nec poſſunt.
neſcio, an aliunde quàm ex hoc Comico vita
communem actioneſque mortalium faciliùs a
diſcere valeas. Ex eo tibi à Deorum gentiliu
ludis, à ſenum & Euclionum avaritiâ, ſervoru
nequitiâ, meretricum procacitate, & omnium l
bidinum curis pediſſequis cavebis; quibus viti
plerunque naturâ hæc ætas obnoxia eſt. Pleriq
hodie à Cicerone, tanquam magis populari, (it
ajunt) auſpicandum eſſe putant; cùm nihil m
nus ſit, etiam grandius vehementiuſque ejus di
cendi genus ſit, quo in familiari colloquio diff
culter utimur. Qui nare diſcit, priùs vadum tran
natat, quàm in profundum mare ſe præcipite
abjiciat: offendit ſæpe in parvo flumine, ſed ab
que periculo. Quod enim in Plauto quædam
ſint recondita & minùs trita, probè ſcio, ideó
que ab illo incipies, ut priùs iter montanum &
aſperum emenſus, faciliùs reliquum intenda
Malo enim pueros à lacte materno avelli, & ſo
lidiore cibo nutriri, ne corpus eorum emolle
ſca

ſcat. Neque verò omnia, more Criticorum, curioſè inquires: neque eorum induſtriam affectabis, tametſi probatiſſima eſt, qui integros dies in una voculâ ſudant, neque dum tamen ſeſe extricant. Qui roſas legit, non unà ſpinas deruncinat: eas ſæpe pedibus conculcat & præterit, ne ſibi in mora ſint. Nec Ulyſſes in omnibus locis ſedem poſuit: & quòd Calypſus & cæterarum deliciarum amore diu detineretur, ſeque & ſuos in ſalutis diſcrimen adduxit. Sermonis autem elegantia, eaque non vulgaris, adeò animum meum occupat, ut velim tibi nihil familiarius Plauto. Quâ re confectâ, Terentio operam condices non minùs puro & concinno. Eum quare velim poſt Plautum, non ſine conſilio facio. Atque ſi fieri poteſt, & ingenii tui ratio fert, ſiquidem te nonnihil etiam græcè ſcire cognovi; Ariſtophanis duas aut tres comœdias adjungas, & hanc ex illis explicabis: ſunt enim pænè ejuſdem elegantiæ. Licet ergo græca te ſcire nolim, ut græcè loquaris, tametſi id egregium eſt: ſed ut autores Græcos cum fructu legere poſſis. Equidem probè memini, me in puero cum peregrinis græcari; ſed ſine fructu. Tametſi neque dum deſiſto, ſed cottidie quod Græcorum eruditionem redolet lego, ſæpiuſcule etiam ſcribo. Atque hoc erit rudimentum tuæ militiæ, quod confido abſolutum iri menſibus duobus plus minus. Penitiſſimè autem tibi perſuadebis, nolle te ab iſtis diſcedere, niſi & eleganter & promtè loqui valeas. Quod haud dubiè te aſſecuturum ſpero; ſi me audiveris. Cæterùm elapſis duobus menſibus, ad Ciceronis epiſtolas ad Atticum, item ad Q. Fratrem, accedas. Quòd familiares ejus tibi ex parte notæ, quædam etiam nimis vulgarem ſtylum redolent, & multæ ad indoctoſcriptæ. Neque in his legendis uteris Logicis inſtrumen-

ſtrumentis. Quod faciunt ii qui epiſtolas ejus neceſſariis & argumentis adſtringunt; cùm Cicero ex re ſcripſerit, & quod ex manu naſcebatur. Propterea malim epiſtolas eſſe ἀμεθόδους, vel ut ordo non appareat, ut pleræque Plinii, niſi de rebus ſcribas ſeriis & paullò gravioribus, etiam ad viros illuſtres; ut Platonis ad Dionem, Dionyſium, Syracuſanum, & Ciceronis ad Q. Fratrem, & nonnullæ Ariſtotelis ad Alexandrum regem Macedoniæ. Ex hiſce autem epiſtolis identidem aliquam cognitionem hauſeris hiſtoriæ Romanæ, præſertim eorum quæ geſta ſunt tempore belli civilis, & Reipub. pænè mutatæ. Quorum omnium aliquando tibi uſus erit, tam in domeſtica, quàm in civili vitâ. DI boni! quâ prudentiâ homo diſertiſſimus actiones politicas inducit; nonnunquam eventus colligit: quàm veriſſimè converſionem imperii popularis proſpicit: quâ fide ſuam ipſius mortem ſæpe prævidet & plorat! Tametſi in quibuſdam hallucinatus eſt: ſed hoc fuit fatum Ciceronis. Atque hoc inprimis conſilio has epiſtolas tibi commendo, ut juxta eas conſueſcas animi cogitata polito ſtylo effodere. Nam iis abſolutis, ſtatim te volo ad ſcribendum animum adjungere, ſive ad amicos; ſive etiam aliâ ratione, quam egomet olim in more habui, ut omnem tuam vitam, aliorum etiam actiones, conſcribas. Sicubi ego fortè cœnam condixeram, poſtero die omnia geſta, narrata, eleganti, & quoad poſſem, terſo ſermone exarabam, & quicquid lepidi doctique occurrerat: ſed omnia ſine livore adnotabam, more Athenæi, Platonis etiam, Ciceronis, & aliorum. Id quod mihi, incredibile eſt, quanto uſui fuerit. Ab Orationibus autem & Declamationibus ſcribendis hac tempeſtate te prohibeo, propter graviſſimas cauſſas, quas næ iſti ignorant homines glorioſiſſimi,

rioſiſſimi, qui eloquentiam induunt pueris a b utero matris adhuc rubentibus, ut cum Satyrico loquar. Modum autem exarandi epiſtolas obiter tibi monſtratum oportet ex libellulo Demetrii Phalerei, de elocutione; & Gregorii Nazianzeni ad Nicobulum de epiſtolis conſcribendis: ut in omni ſcripturâ ſerves τὸ ὑποκείμενον πρᾶγμα. Denique in animo volvas, ad quem ſcilicet, & quomodo, & quando, ſcribas: ſecus ad viros illuſtres; ſecus ad doctos; ſecus ad æquales, &c. Vide me, qui hanc alio genere ſcribo, quàm ſoleo; vulgari ſcilicet, ſicut in calamum cadit. Neque ὑπόθεσις accuratiorem ſtylum patitur. Atque ut unâ operâ duo negotia expediantur, inſuper adhibeto epiſtolas græcas Dionis breviuſculas, elegantiſſimè & ſapienter ſcriptas. Item Ariſtæneti nuper à Ioſia Mercero in latiniſſ. ſermonem converſas. Uti enim operam mihi videtur ludere, qui orationem paullò luculentiorem quàm vulgus ſolet, ſcripturum ſe exiſtimat, ſine lectione Demoſthenis, Æſch. Thucid. Lyſiæ, & aliorum: ita etiam, qui epiſtolam concinnam exaraturus eſt, neceſſe eſt ut & Græcorum pellegat: idque exemplo multorum oratorum, & cumprimis Ciceronis. Is enim gloriatur ſe vehementiſſimas orationes, quas Demoſthenes & Aeſchines cum totius Græciæ concurſu habuerunt, pari vehementiâ ſententiarum & ſermonis expreſſiſſe. Idem etiam in aliis factitâſſe: itaque ex omnibus Græcis juxta & Latinis exquiſitiſſimum dicendi genus collegiſſe. Similiter tu quoque facies, ut in orationibus, ita & in epiſtolis ſcribendis, ut quotidie aliquid ſcribas: ſæpiuſcule identidem alios legas: hujus locutionem cum alterius conferas: periodos, membra, inciſa, ſtructuras notes: quod optimum eſt, imiteris. Ita ſtylus tuus fiet elimatus, & perſonis temporique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

conveniens oratio. Proinde multa te legiſſe cupio, eaque ſæpe demortua, & ab uſu hodierno remota: verùm omnia ad exemplum te trahere nolim, tametſi id quis facit pro ingenii ſui acrimoniâ. Quòd Romæ, quòd Pariſiis fueris, probant homines civiles: quòd Romanis, item Gallorum veſtibus uſus fueris, neque id improbant: ſed reverſus, ut veſtitu patrio utaris, id verò maximopere à te contendunt. Idem obſervabis in omni ſcriptura & autorum imitatione; quæ quomodo inſtituenda ſit, quo tempore; & ut imiteris occultè, ne appareat, à me præſente coràm intelligere habes. Malo autem hîc ἐν τύπῳ ea attingere, ne prolixior ſim, quàm inſtitui, neve nimiâ te lectione onerem. Iam exacti erunt quatuor menſes: ſupereſt unicus, ſiquidem unus hoc æſtivo tempore abiit. Hunc impendes, meâ ſententiâ, Logicæ. Atque hîc tibi, ut & in omnibus, præceptore & manuductore opus eſt. Sed impendes Logicæ genuinæ, ſed Ariſtotelis: non quòd P. Rami viri diſertiſſimi improbem; ſed quia Ariſtoteles ſummus Philoſophus accuratiùs & fuſiùs meo judicio eam tractet. Diu autem te luctari in diſputationibus de ſubjecto logicæ, de fine, de methodo, pro hoc tempore non eſt conſilium: ſaltem rationem ediſces ſyllogizandi quæſtione propoſitâ; & medio termino, ſive argumentis inventis, probabiliter de unaquaque re diſputandi, & verum à falſo diſcernendi. Sed neque doctrinam de Demonſtratione, quæ medulla eſt totius Philoſophiæ, tanquam ſuppoſiticiam abjicies; quippe quæ Logicæ nativa eſt: quam qui exactè tenet, næ iſte multum in Philoſophia profecit. Sed hoc fieri oportet, & opus eſt, pro tempore & ingenii tui captu. Quin etiam nihil malim, quàm ut hoſce dies (ſuperſunt enim, niſi digiti mei me fallunt) præcepta Rhetoric

rica ad Theodecten memoriæ mandes, præ-
rtim primi & ſecundi libri; quum elocutionis
æcepta paullò ante ex Demetrio Phalereo lu-
ılentiſſimè didiceris. Hi enim libri viam tibi
ernunt ad politiæ diſciplinam, ne neſcias quid
ire debeat is, qui oratione quidquam à populo,
d Reipub. ſalutem extorquere animum indu-
it. ut prætercam ea, quæ de affectionum pertur-
ationibus movendis & ſedandis in medium
rofert: Item quomodo partes orationis inſti-
uendæ: qui unicuique parti ſtylus conveniat:
uot genera ſint cauſarum: & triginta aliquot
lia, quæ Rhetoricam profitentur tanquam filiæ
natrem. Quæ, niſi ex Ariſtotelis & Ciceronis
Rhetoricis ediſcas, unde ſumes? Ex Talæone,
quæ unius tridui eſt? minimè gentium! Ex i-
pſis orationibus? Atqui id pariter fruſtra eſt, cùm
præcepta quædam generalia & præire debeant,
& poſſint. Idcirco maximus tibi horum uſus e-
it, quando ad eloquentiæ ſtudium & orationes
conſcribendas animum adjunxeris: quod ut fu-
turo hiberno tempore facias, & abſque ullo cir-
cuitu ipſos oratores ſalutatum adeas, nequa-
quam dehortor. Verùm tamen iſta præcepta ad
unguem ſciri volo. quod facillimè fit (ſunt e-
nim pluſquam brevia,) & cum maximo fructu
fit. Quam ſententiam meam ut ſanctè ſerves,
tuæ erit operæ, Et feliciſſimò vortet, modè tu
non nolis. Id quod ego pro ſingulari gratitudi-
ne agnoſcam, & publicè profitebor. Ne tamen
me velle exiſtimes, hac primâ ætate laboribus
hiſce te opprimi; nequaquam verò. Quin po-
tiùs te moneo, ut ſicut ii, qui iter quàm maximè
longum conficere cupiunt, primos dies tardiuſcu-
le & lento niſu incedunt, ne priùs delaſſentur,
quàm viam ingreſſi ſint; tum demum velociore
curſu iter perſequuntur: ita tu quoque, qui lon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

giſſimum iter ſapientiæ ingreſſus es, nonnunquam jucundis colloquiis, & obambulationibus te recolligas: ſæpe unà cum amicis arguteris, & ſermonibus facetis colludas, cumqúe per nimios labores diligentiori tibi eſſe minime licet, Anagnoſtâ utaris, more Tullii, cujus vox eruditula ſit & concinna. Neque enim ſemper leges; ſed ſæpe audies, quod tenaciſſimè memoriæ inhæret: ſæpius etiam præſenti animo omnem curam abjicies. Quocirca ineptè faciunt ſedentarii iſti, qui & parum proficiunt; & bonam valetudinem, quam conſervari noſtrâ plurimum intereſt, turpiter perdunt. Sæpe etiam numero, præſertim circa prandium & cœnam, palæſtræ & ſaltationi juxta & Muſicæ vacabis. Id quod tantopere commendavit divinus Plato in pube rectè inſtituendâ. Ita enim corpus tibi paraveris ſolidius & gracilius, ad quæque pericula ſubeunda, quæ ſæpe famæ cauſâ nobis propulſanda ſunt: Muſicâ porrò te exhilaraveris, mortalibuſque multo gratioſiorem reddideris. Sed huic rei dabis operam tempeſtivè, & pro animi tui libitu. Cúmque integros iſtos ſex menſes fari latinè cœperis, rationemque epiſtolium exarandi didiceris, etiam in iſtis te exercueris. denique Logicæ & Rhetoricæ præcepta memoriâ tenueris: tum demum mihi digniſſimus es, qui ad eloquentiam, id eſt, ſtudium dicendi, accedas. Etſi plerique putant lectionem Poëtarum præcedere debere, ut oratio fiat floridior: tamen mihi contrà videtur, quandoquidem rationes tui conſilii conſidero. Metuendum eſt enim, ne confundas promiſcuè ſtylum liberum cum poëtico; quo nihil inſulſius eſt. Et togati, ſive civilis hominis vocem polire mihi decretum eſt. Ad Poëtas autem legendos & verſus cudendos accedere te malo, ex conſilio præſtantiſſimi viri *Ioan. Sturmii*, poſt-

poſtquam oratio tua paululum cœperit eſſe copioſa & oratoria; ne ſenatorium & forenſe Orationis genus poëtarum lectione inficiatur. Iteratis igitur bene manè precibus, & diligenti lectione Bibliorum, vel alterius alicujus orthodoxi ſcriptoris; Ciceronem à capite auſpicator, unà cum Demoſthene, Æſchine, aliiſque Græcis oratoribus. Priùs autem libros de Oratore, Brutum, ejuſdemque topica accuratè pelleges, meo quidem arbitratu. Atque ego ſicubi offendes, quo minus progredi poſſis, minimè tibi deero. Idque tibi adeò religioſum eſſe volo, ut integri hujus hiberni antelucanum & antemeridianum cum ſequentis biennii hiſce totum conſecres. Quid enim quæſo eſt, vel rerum, vel verborum, vel omnium elegantiarum, quod te non docet Cicero? Rationem familiariter colloquendi & diſputandi Academicæ & Tuſculanæ quæſtiones tibi demonſtrant: guſtum etiam Philoſophiæ faciunt ſapidiſſimum. Quid ego nunc dicam de libris de L L. de officiis; quos te exactè ſcire tantum tuâ intereſt, quantum omnium maximè. Exinde enim cognoveris, quid ſit æquum, quid honeſtum; quid ſecus: idque quando; quomodo: & fores tibi aperueris ſtudium Iuris felicius decurrendi. Tandem ad orationes ejus te converteris, quarum ideas & formas nullus mortalium diviniùs expreſſit, & ob oculos poſuit. Neque verò de omnibus ſpeciebus loquor. Neque omnes exprimere volui. Idcirco Demoſthenem coincipies, qui, præterquam quòd omnium eloquentiſſ. & vehementiſſimus eſt, de pace, de bello, de rebuſpubl. prudentiſſimè ſupra omnium mortalium fidem verba fundit. Neque enim ſufficit unicum membrum depingere, vel aliquot alia, inſtar inepti pictoris. Ut omnes partes ad vivum delinees, ut ſuis nativis coloribus

adumbres, id verò ſeriò à te requiro. In orationibus autem legendis probè utendum viâ, quam vocant analyticam, ut partes eruas, artificium argumentorum latentium indages & reſolvas, &c. Hanc operam pones in aliquibus tantùm, non in omnibus. Neque enim architectus omnia ædificia, omnes columnas, omniaque id genus periſtylia intuetur & conſiderat. Interea loci te monebo, ut libellulos tibi compares, in quibus loco de generibus cauſarum, de variis characteribus dicendi, ordine conſcribas; in iis ἀνασχηματισμοὺς ſive delineationes narratiuncularum egregiè tractatarum, membrorum, circumductionum, earumque ſtructuras, connexiones, numeros, &c. notes. Ut enim ſpecioſam orationem ſcribas, non tantùm imaginem & cutem referes, quin imò ſanguine, venis, nervis, muſculis depictis opus eſt. Ideo de locis ſcribendis te cupio certiſſimum eſſe. Id ego quam ſollertiſſimè ſolitus ſum facere: neque ejus operæ me pigebit unquam. Quod ſi victor iis etiam ſcribendis periculum feciſſet Tullius, id quod eum facere præter librum de conſulatu græcè ſcriptum non memini; æquè laudabilem, forſan etiam laudabiliorem operam conſumſiſſet. Sed hujus generis aliorumque imagines, autores alii probè & luculenter nobis repræſentârunt. Pomeridiani temporis (diffindemus enim dies in duo tempora) priores binos menſes operam frequentabis Ethicæ & Politicæ, ſive civili Prudentiæ, quam Ariſtoteles ait κυριωτάτην καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικήν. Exinde mores egregiè excoles, quid in vita ſit τὸ πρέπον; quomodo ſit; quando ſit; quibus cum perſonis ſit. deinde ut ad Regum & principum conſilia accerſiri poſſis, prudentiam civilem habeas neceſſe eſt, quæ tui generis hominibus propria eſſe debet. Utramque nobis egregiè præter

alios

alios concinnârunt Plato & Ariſtoteles: ſed Ariſtoteles tibi ab initio princeps eſto; iſque prout natus eſt, hoc eſt, Græcâ locutione. Tametſi verò in morali doctrina ſummum hominis bonum & finem te ſcire oportet, itemque morales & intellectuales virtutes exactiſſimè cognitas habere; in civili autem, rerumpubl. ſpecies, differentias, finem & media ſive principia ad finem tendentia, tibi exploratiſſima eſſe: tamen primò hæc omnia defunctorio labore, neque ad, eò anxiè inquires, & in poſtremum annum, quando ad hiſtoriarum lectionem ventum eſt, conſultò differes libros Platonis de Legibus, Galeni de affectibus moderandis, Plutarchi περὶ παιδῶν ἀγωγῆς, Cebetis tabulam, Theognidem Arriani Epictetum, libros Senecæ (Deorumne an verè mortalium oracula?) in ſinu fovebis, & ſi me amas, nunquam de manibus mittes. Multorum autem interpretum lectioni nolim te vacare, Marſilii Ficini, Bodini, Macchiavelli, Piccolominei, Flaminii, Simplicii: ego eos legi, & lecturus ſum, ut meâ operâ eô felicius progrediaris. Sequentibus tribus menſibus, pomeridianum tempus intellige, reliquis primæ notæ autoribus pellectis tibi opus eſt, Salluſtio ſcriptore rariſſimo, & Thucydide, Xenophontis Cyro, Livio, Tacito & Polybio, Varrone, Vegetio, Vitruvio, Appulejo, Petronio, Pliniis, uterq; enim perutilis eſt. A quibus præter locutiones, earumque omnium ſpecies, Deus immortalis, quantam tibi comparaturus rerum cognitionem es! videntur hæc tibi pellectu difficilima? Non ſunt, crede mihi, modò operam adhibueris: neque ignavo, neque ei qui laborum impatiens eſt, ſcribo- neque mihi conſilium eſt, ut Thucydidem, Livium, Vitruvium, totos evolvas & devores. Id temporis ratio non patitur, & cùm ad hiſtoriam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

venerimus, impendio magis facies: ſed ut ex tot ſcripturis elegantiſſimum verborumque juxta, & rerum luminibus ornatiſſimum dicendi genus colligas. Sicut olim Heracleotes Zeuxis ex tot puellis Crotoniatis formoſiſſimam effinxit imaginem, tanquam abſolutum pulcritudinis exemplum. Vide me, qui cùm olim earundem rerum ſatagerem, præter horum auctorum lectionem, pænè nihil quod in humanioribus literis à Turnebis, Scaligeris, Victoriis, Muretis, Lipſiis, in lucem datum eſt, omiſi: & tamen Athenæum, Gellium, Macrobium, Columellam, Catonem, Aſconium, emendatiſſimos ſcriptores omittis. Quibus pro tempore confectis, poſtremi menſis pomeridianis temporibus ordinem poëticum, quo te maximopere delectari intelligo, conventum ibis; non ut circumcurſores mendici, qui ſalutant literatos, ut ab iis viaticum emulgeant: ſed more liberaliorum hominum, qui modò de ſapientiâ & literarum ſtudio ſoliciti ſunt. Cæterùm homini Philorhetori & politico tantopere commendata eſſe debet poëtarum lectio, ut quæ omnium maximè. Exinde enim mores pravos corrigis: aliorum exemplo vitam & privatam & militarem, & togatam decenter & laudabiliter inſtituis: orationem porrò compoſitiorem, floridioremque multò tibi concinnas. In Homero, quem Leges noſtræ Civiles omnium virtutum parentem vocant, ecquid deſiderari poteſt? Meo judicio pænè nihil, quod de Principum hominumque illuſtrium moribus, vitâ, bello & conſiliis, in medium proferri poteſt. Quod ſi Ulyſſis conſilia, vitam, errores, pericula, reditum animo colluſtres; crede mihi, de omnibus in vita ſcopulis & calamitatibus tutiſſimus eris. Hunc leges & releges cum Theocrito & Virgilio; Horatium cum Pindaro; Lucretium & Manilium cum Arato &

o & Muſæo, Heſiodo & Oppiano; Catullum & ropertium cum Callimacho & Anacreonte; enecam cum Euripide, Æſchylo, & Sophocle, c reliquos veteres Poëtas ante aliquot annos Stephano editos, Ennium, Lucilium, Laerium, Afranium, Pacuvium, Petronium, Varronem &c. Multos nomino: ſed nonnulli dhuc ſuperſunt. Neque me fugit, tantillo empore arvum hoc patentiſſimum exarari non oſſe: ſed junge labores tanquam boves ſub jugo, & protelo continuato (ut cum Varrone agricolâ loquar) ad extremum uſque diei inſequere quouſque potis es; opinione celeriùs orationem xpediveris. Profectò hodierni poëtæ, qui in animo habent poëmata pangere, & quotidie pangunt, ad iſtorum & aliorum lectionem ſi ſe omponerent; vel elegantiùs ſcriberent, vel à ſtylo diſcederent. Nunc verò cum vix poëtam unum atque alterum legerint, neque viam viderint ſcribendorum carminum, nedum viſam calârint; ecquid ab iis, quod ſani ſit ſaporis, vel naurali pulcritudine exſurgat, ſperandum eſt? Unle fit, ut ex centum compilatis poëmatis vix uum ſit, quod poſſit ad ſenectutem caneſcere. Quo major tibi danda eſt opera, ut ſupra caveam vulgi ſcribas; veterum unum ad omnes legas, optimum imiteris: tametſi nonnullos ex Itais & Germanis magnifacio, Scaligerum, Petrarcham, Caſtalionem, Ioan. Secundum, Lotichium & alios. Atque utinam hos menſes ſedecim juxa hoc meum conſilium conſumas, mi Volcarle! ipſemet juratus faterere, nullos tibi in vita lluxiſſe magis honorificos & quæſtuoſos. Animum enim ſeverâ lectione irrigaveris, & de reus privatis & publicis purè juxta & prudenter oqui cœperis. Ad ſubſequentis anni pomeridianum venio. Antemeridianum enim totius etiam

biennii Ciceroni & Demoſtheni, aliiſque Oratoribus vendicaſti: ſed ita vendicaſti, intellige quorſum eam, niſi negotia te interpellent alia. Nam ſæpe fit, ut ad ſcriptionem non poſſis non accedere: ſæpe etiam non minùs hujus ſeculi etiam de hodierno rerum ſtatu lectu occurrit digniſſimum, tametſi novum eſt. Quibus omnibus te maximè vacare percupio: ne tamen conſilii noſtri memoriam deponas, tibique in mora ſis, Vide nautas, qui cùm receſſit mare, è navi eunt quæſitum cochleas; navis tamen apluſtrum retro in oculis habent, ne vi aquarum reſorbentium circumventi de reditu periclitentur: ita tu, facto modico intervallo, ſemper ad Ciceronem ejuſque aſſeclas reverſionem facies. Cæterùm, antequam reliquos tibi labores enumerem, repetam id quod ſæpe inculcandum eſt: ne diem ullum præterire ſinas, quo non ſtylum ſumas, eoque animi ſenſa polite effodias; idque animo excitato. Nec enim metuet tandem tua oratio in arbitrium hominum venire. Et perpetuâ exaratione ſtylus fit illuſtrior & acutior, atque ut vomis magis ſplendeſcit. Proinde vel lepidum aliquod poëma panges; vel cum aliquibus veterum certabis; vel epiſtolium conſcribes, vel aliam alicujus rei narratiunculam, pro tempore & ratione tui ſtudii. Cùm autem legeris Varronem de re ruſtica, velle te de re militari ſcriptionem inſtituere, & contra, præpoſterus ordo. Idemque in poëtis obſervatu digniſſimum eſt. Cum odas pellegeris, cave ſcribas Heroicum vel Elegiacum: ſed ad Exemplum ἀντιμεταβολῆς ſcribas ejuſdem generis. Sicut etiam, cùm orationem ſcripturus es, cave quicquam legas in epiſtolis vel comicis, quorum cothurnus demiſſior etiam ſordidior eſt, quæ huic ſcenæ convenit. Oatio enim regia eſſe debet, & ut ſit regio veſtitu &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tu & inceſſu, oportet. Sæpe etiam te præibo ſcriptis à me orationibus, quorum nonnullæ apud me ſunt, ſi id flagitas, ut juxta eas rationem ineas rectè & feliciter imitandi. Poſtquam igitur hic annus cum alterâ æſtate præterierit, à prandio Chronologiam Funccii & Peuceri ad manus ſumas, cum Topographia, Coſmographia & Geometriâ. Hujus enim, præter quam quòd ad hiſtoricum ſtudium plurimum confert, maximus tibi uſus erit in peregrinatione. Ejuſmodi autem figuris graphicis parietes exornabis, ut in promtu ſint; exemplo Ciceronis, qui multò malebat Hermathenam ſuam id genus imaginibus refertiſſimam eſſe, quàm leviſſimis picturis, quæ ſolummodo oculos paſcunt. Ita enim ſitum & naturam orbis, regiones earumque magnitudines, tempora temporúmque continuationes, quaſi in numerato habebis. Quibus obiter abſolutis, antequam ad particularium hiſtoricorum ſubſellia tranſeas; Moſen, Chronicon ſacrum, libros Maccabæorum ſedulò evolves, unà cum Iuſtino & Sulpicio, vel Sigonio de Republ. Hebraica. Verùm hoc loco vehementer te hortor, qui pæne præterieram, ut priùs locos conſcribas, in quos illuſtriora dicta, facta, conſilia, eventus, imperiorum origines, incrementa, decrementa, rerumpubl. periodos, & viciſſitudines memoriæ cauſsâ notes: hæc tempora cum prioribus conferas, futura cum præſentibus. Deinde ad Herodotum accedas, Dictin Cretenſem, Daretem, Thucydidem, Xenophontem, Siculum, Arrianum, Curtium, Polybium, Plutarchum, Vellejum, Halicarnaſſæum, Salluſtium, Dionem, Cæſarem, Appianum, Livium, Suetonium, Tacitum, Marcellinum, & pæne ad ſingulos, hoc ordine. Sed pleriſque recenſendis præſertim noſtri temporis majorumque noſtrorum, con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

conſultò ſuperſedeo, ne præ eorum multitudine animum deſpondeas. Etiam qui particulares hiſtorias ſcripſerunt, multos omitto. Quod de hiſce, uti & de omnibus, methodus accuratiſſima nobis tradita eſt à Ioan. Bodino viro eruditiſſimo & plurimæ lectionis. Cujus ordinem ſollertiſſimè ſervabis, ordine hiſtorias pellegendo, quod notatu dignum erit in ſuas locorum cellulas referendo, inſtar Promicondi; ut probè ſcias, unde depoſitum repetere poſſis. Ex noviciis autem hiſtoricis neminem ſcio, quem magis tibi commendatum, adeóque familiarem eſſe velim, quàm Cominæum & Guicciardinum: quorum hic bellorum dux; iſte verò conſiliarius & legatus prudentiſſimus: uterque rebus geſtis adfuerunt, ut exempli gratiâ, non diſſimiliter Guicciardinum Thucydidi & Xenophonti comparem; Cominæum Polybio vel Tacito. Aliàs ſervabis ordinem temporum, quibus quidquid geſtum eſt. Sed proh fidem tuam! inquis, quot adhuc ſuperſunt? Probè ſcio, & pæne ſuperſunt ducenti. Neque lectio hiſtoriarum unius anni eſt; ſed totius vitæ. Neque ad omnes, ita ut nullus omittatur, te voco. Lampridium, Aurelium, Vopiſcum, Eutropium, Zoſimum, & Eccleſiaſticos ſcriptores, alioſque multos & veteres & novicios, hac vice præteribis; propterea quòd ſtylus eorum horridior eſt, quàm cui te aſſueſacere velim. Et properandum tibi erit, ut ad umbilicum rem producas, & properes non minùs, quàm Ulyſſes ad ſuaviſſimam ſuam Ithacam. Cæterùm rationem conſcribere animus mihi fuit, juxta quam non hoc triennium inſtituas, ſed quam in omni vita æquè ſervare habeas. Exacto hoc etiam anno, quoquò etiam uſque veneris, ſiſtes. Neque omnia, quæ poſt populi Romani libertatem everſam ſcripta ſunt, te legere volo. Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

lo. Et ſi velim, ludus egomet fierem, & tu minimè poſſes: ſed pleraque tamen, tametſi incredibile eſt, quantum breviſſimo tempore humana poſſit aſſequi induſtria. Si quid temporis interea loci hiſtoriarum lectioni ſubtrahi poteſt, quod fiet obambulando aut meditando, id omne in quæſtionibus ethicis & politicis inſumendum erit, ut de idea Platonis ſummo hominis bono: de natura: de ſede virtutum moralium & intellectualium: de jure majeſtatis, imperio, Rerumpubl. formis, converſionibus, cauſſis converſionum, & ſimilibus. Atque ita biennium cum dimidio emenſus es, quod in æternum te tuis poſteris commendabit. Neque enim metues cum quovis certare, & de rebus graviſſimis verba facere, non minùs quàm olim cum Scævola, Craſſo, Antonio, Cottâ, Sulpicius & alii. Deinde animus tibi erit virtutibus excultus: mores tui politiſſimi abſque ulla levitate & inconſtantiâ: denique ſermo tuus omnium exquiſitiſſimus. Supereſt nunc poſtremum hibernum hujus triennii. Iſtud enim ex animi tui ſententiâ ſacrum erit Iuriſprudentiæ, omnium diſciplinarum hoc tempore reginæ. Spero enim te, ex tot auctorum & hiſtoricorum lectione, multarum Legum & antiquitatum cognitionem hauſiſſe. Neque aliter fieri potuit, ſiquidem Platonem Ciceronemque de legibus legeris, ideoque exactè legum & æquitatis naturam & affectionem cognoveris. Idcirco citra dubium ſpem mihi facio, fore, ut facillimo labore iſtac hyeme principia Iuris & æquitatis ex ipſo corpore memoriæ mandaturus ſis, uti ea annis aliquot pòſt, cùm ad majorem ætatem adoleveris, ad ſimiles caſus, æquitate propoſitâ, conferre poſſis. Verùm ridiculus videor & vix ſanus, qui tantum legum acervum tam parvæ ciſtæ includam. Equidem diffi-

cultatem

cultatem & multitudinem legum fateor, & ipſemet hoc biennio expertus ſum: ſed ad principia tantùm & generalia fundamenta Iuris te invito, à quæſtionibus ſubtilioribus: aliis doctoribus, qui in inveniendis novis opinionibus & aliarum refutandis tabernaculum vitæ ſuæ ponunt, hoc tempore te prohibeo, ut rationem ſervem ſuſcepti tui conſilii. Triennium enim eſt, quòd hiſce ſtudiis impendis, & longius non eſt: & altero triennio in animo habes eidem juris ſtudio juxta & peregrinationibus exteriſq; linguis operam navare. Et rectè ſentis. Neque alienum eſt à ſuſcepto tuo conſilio. An te mihi hominem civilem eſſe prædiçes, niſi variarum urbium & rerumpubl. ſtatus ipſemet videris, mores hominum cognoveris, ſitus imperiorum, regionumque, earumque munitiones & propugnacula notaveris, ſermonem variis linguis excolueris? Privatus homo, qui intra parietes literis ſe abdit, nunquam in publicum prodit, ſolâ doctrinâ contentus eſſe poteſt. Homo civilis, qui ad Regum & principum conſilia adſpirat, expanſis alis inſtar aquilæ avolare debet, & nihil inexpertum relinquere, quod ſibi in Reipub. adminiſtratione ex re fore comperit. Sed iſta luculentiùs docere neq; hujus loci eſt, neq; temporis. Tametſi pro certo exiſtimo, ſimiliter & veteres, & hodie omnes, qui ſupra vulgus ſapiunt, in ſtudiis literarum & ſapientiâ progreſſos eſſe: neque dubium mihi facio, quin exacto hoc triennio digniſſimus futurus ſis, qui paululum relictis ſtudiis peregrinationi vacare debeas, & poſſis. Neque enim ea debet eſſe otioſa: ſed quantum temporis cottidie exercitio linguarum, itineris moleſtiæ rerumque paſſim notationi ſubtrahere potes, ſive peragres Galliam ſive Italiam; ut impendas cognoſcendis legibus, legendis hiſtoriis & ſtylo exercen-

cen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ndo, maximopere tibi autor ſum. Præterea ut
gas otii cauſsâ libros quorundam nobilium Ita-
rum, de moribus ſive civili converſatione ſcri-
os; ut Balthaſ. Caſtilionei de Aulico, Stephani
uazzi de mutua converſatione nuper latinius
iàm antea editi. Et ſi qui ſunt alii, quos in iti-
ere & locorum peragratione pediſſequos, imò
mites tibi eſſe percupio. Horum etenim & e-
ſdem notæ librorum lectio, ſi cuiquam alii,
rtè homini civili & σπουδαίῳ convenit. Neque
bi diſſuadeo, ut tandem aliquando tempus ali-
uod ſumas Phyſicæ & Metaphyſicæ addiſcen-
e. Harum enim ſcientiarum maximus tibi u-
s erit in Dei immortalis cognitione: quam qui
mnibus omnium generum ſtudiis non prævor-
t, næ iſte omnium mortalium qui ſub ſole vi-
unt, perditiſſimus eſt! Equidem ego, licet me
udio Iuris pæne mancipârim, non tamen poſ-
um, quin cottidie particulam harum deliciarum
eguſtem & abſorbeam: quæ mihi ſæpe jucun-
ior eſt, quàm omnia omnium Regum delicatiſ-
ma forent fercula; tametſi eos, qui ideo philo-
phantur, ut novas opioniones è prioribus cu-
ant, vehementer odi. Quibus rebus inſtructum
àm te opt. & nobiliſſ. tuus parens ſexennio
oſt plus minus reducem viderit (id quod ego
bi tuiſque omnibus ex animo precor) Deus im-
ortalis, quanta animi lætitia adventum tuum
xoſculabitur! Tute verò, tot exhauſtis labori-
us, undique in ſummis honoribus vives, rebuſ-
ue humanis cum ſumma felicitate finem im-
ones. Perſcripſi ad te rationem, Cariſſime &
Jobiliſſime Volcarde, ſtudiorum tuorum, quan-
um pro tempore meiſque occupationibus po-
ui: & ſcripſi rudiore ſtylo, uti in mentem & ca-
mum venit. Neque etiam aliud exemplum ha-
eo. Atque hoc tantum conſilio ſcripſi, ut tan-
quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quam in tabula viam laborum tuorum depictam haberes. Neque enim non potui, qui id tantopere me flagitabas, te beneficio hoc beare, quod etiam non rogatus tibi præſtitiſſem. Quòd ſi videro tibi aliiſve placere, ſub incudem revocabo, quamprimum per ſtudia mea poſſum, & elimatiùs elaborabo. De petitione tuâ quòd me rogas, ut tibi expediam; ita vivam, uti animi pendeo! Neque fruſtra timui ei rei, quæ ex amicitia noſtrâ poſtea mihi obtigit. Sed ita fit, ut bonis conſiliis ſæpe fortuna maligna adverſetur. Cùm tamen à petitione & ſententia tuâ minimè deſiſtas, & indies etiam atque etiam ultro me flagites, ut tibi in ſtudiis literarum & ſapientiæ, quod conſilio nunc feci, in poſterum præſentiâ & inſtitutione meâ facere ne pigrer, vix illud æquo vultu tibi denegare poſſum. Sed habes parentes, ſed amicos, quorum fidei commiſſus es, quive tibi optimè cupiunt: horum autoritatem ne quæſo fuge, quin potiùs eos quid tibi hac in re faciendum ſit, conſule. Quorum autoritas ſi quid à me flagitabit, & te in officio, quanquam de eo non dubito, futurum promiſeris, nullam cauſam habeo, quin tuæ petitioni morem gerere & velim, & poſſim. Meæ quidem ejuſmodi res ſunt, id quod ego fidei cauſsâ negare nolo, ut qui jam quinquennium pæne peregre ſtudiis graviſſimis vacavi, etiam honeſtè & liberaliter vixi, tandem operam meam etiam aliis præſtare poſſim. Neque ego ſolus foris ſum: ſed noſtrûm tres ſunt, quorum alter medicinæ Helmſtadi; alter Theologiæ frequentem navat operam. Ego autem hîc ad Nicrum Philoſophiæ & Iuriſprudentiæ: quippe quod in animo mihi diu fuit, utramque conjungere; neque intra quinquennium à ſtudiis literarum linguarumque, & peregrinationibus deſiſtere, & ni fallor, ſinguli hactenus non ſordi-

dè

è, quæ parentum noſtrorum pietas eſt, viximus.
quidem ego quàm ſolertiſſimè in poëſi aliiſque
avioribus literis & ſcientiis ſemper me geſſe-
m, abunde teſtatum faciunt honores luculen-
ſſ. ultro etiam mihi invito ante triennium,
ım eſſem annorum 9. & 10. teſtimonii cauſsâ à
ariſſ. hominibus conſecrati. Sed ab ambitione
rocul me eſſe volo: à ſtudio virtutum ne tranſ-
erſum unguem. Proinde ſi idem me ſedulò fla-
itas, & ab noſtra informatione magnum tibi
molumentum reris, in eaque ſententiâ erunt
arentes tui aliique viri egregii, qui tui maxi-
ıam ſuſcipiunt curam; dabis operam, ut id bre-
i ſciam: ut ipſemet maturrimè conſultem, quid
ac in re fieri meâ etiam interſit, ne, dum tibi
ıæque petitioni morem gerere pervelim, mea
nihi ſtudia peſſum eant. Vale! XII. Calend. De-
embr. Anno M. DC. V.

---

nter plurima utiliſsima Scripta, quæ Cl. vir Iohannes Sturmius, *Animus planè Neſtorius, ſtudiorum juvandorum cauſsâ elucubravit, etiam* Nobilitas literata *eſt; ad quam haud dubiè digitum intendit Celeberr. ICtus Conrad. Rittershuſius, in præfixa præfatione: ex hac, quæ ſequuntur depromta ſunt, lectorem alliciendi & animum ipſius explendi gratiâ.*

HOmericus ille Ulyſſes, quanquam πολύτροπος fuit, & multorum hominum ἄστεα καὶ νόον ἔγνω; ut ſcribit Homerus: tamen in ſingulis ipſum gentibus & civitatibus, credibile eſt non omnes voluiſſe cives cognoſcere: nec, in ſingulis familiis quid ageretur, intelligere: verùm ea ſolùm diſcere, quæ ad id ſibi conduceret, quod animò cogitatum & propoſitum habuit. Imò ve-

rò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rò etiam nuſquam magis neque erravit, neque peccavit, quàm cùm Calypſus amore nimis di detineretur; & ſuam induſtriam & laudes ſua abſcondi in obſcuritate antri pateretur. Ut igitur hunc virum, quem Homerus ſapientiſſimum facit, veriſimile eſt per varias regiones profectum eſſe: ita etiam in his, de quibus dictum eſt, artibus verſandum eſt: & diutius non eſt in ſingulis præceptionibus immorandum, quàm verborum & orationis cognitio deſiderat. E ut ille aſperam ſuam Ithacam in omnibus & laboribus & ærumnis cogitabat; ad eamque, quo ties potuit, properabat: ita nobis quoque a ſtudiorum noſtrorum, vitæque finem pergendum eſt, qui in arduo loco plerunque eſt à natura collocatus; de quo deinceps dicendum eſt: & providendum, qua viâ eò perveniamus. Nec mihi dubium eſt, quin in hac bonorum facultate & copiâ, propoſita vobis vita honeſt ſit, & literata: quarum altera ad diſciplinam morum pertinet; altera hujus eſt inſtituti, & magna ad alteram adjumenta adfert. Et profectò in hac vita, ea mihi vita beata videtur, qua ad generis antiquitatem morum ſanctitatem adjungit, & bonorum amplitudinem literarum ornat elegantiâ. Itaque præceptionem meam duas in partes dividam: in cognitionem rerum quæ animi eſt excultrix; & in linguæ exercitationem, & concinnitatem: quæ cùm auribus audientium repræſentatur, mentis ſuaviſſimum concentum indicat. qui magis intelligi à nobi poteſt, quàm cœleſtis machinæ, nunquam audita, tamen tradita olim à Pythagoricis ἁρμονία Ut autem à rerum doctrinâ exordiamur; non video, quid magis vos deceat, & nobilitatem exornet, quàm civilis ſcientia; quam Græc Politicen nominant: quam ſi conſequamini, u

oportet

oportet, magna allaturi eſtis & patriæ, & genti, familiæque veſtræ ornamenta. Quid enim majus eſt; quid præclarius, quàm nobilem hominem literatum eſſe, & politicum? quæ duo & doctrinam, & virtutem, religionemque omnem complectuntur. Itaque exponemus, quâ viâ hujus, ſive ſcientiæ & doctrinæ, ſive virtutis & facultatis cognitionem, uſumque talem compareetis: ut non ſolùm aliis utiliter, verùm etiam vobis jucundè vivere poſſitis: ut apud amicos grati, domi ſuaves, & publicè honorati videamini fuiſſe. Civilis verò ſcientiæ cognitio, rectè ab iis libris inſtituitur, quos Ariſtoteles de Republ. ſcripſit. Sed quia in moribus civium probatis fundamenta ſunt poſita magnarum civitatum: rectè doctrinæ civili ſcientia de moribus adjungetur; quam etiam Ariſtoteles multis libris tradidit. Omnium autem maximè hiſtoriæ adjuvant, in quibus & ortus Rerumpubl. varii videntur, & conſervationes earum, & converſiones atq; interitus, & hominibus in vita dubitantibus conſilia multa, & exempla varia ſuppeditantur. Vos quidem, quid deinceps poteritis rectiùs ſuſcipere, quàm hoc ſtudium, poſt iſta veſtra & loquendi, & diſſerendi, & dicendi præcepta? Verùm in his ipſis conſequendis habenda latinæ linguæ ratio eſt, ne contaminetur varietate linguarum, & diverſitate verborum: quæ ſingulæ artes, & linguæ, & in unoquoque genere ſinguli ſcriptores propria habent: qui etiam verborum eorundem collocatione, & toto compoſitionis genere, in conſimili argumento, plurimum ſæpenumero inter ſe differunt. Hiſtoricus enim Herodotus eſt: & in eadem gente eodem ſermone, nimirum Græco. etiam Hiſtoricus eſt Thucydides: & utriuſque pulchra eſt & ornata oratio. At quantum diſcrimen eſt ſuavi-

tate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tate, gravitate, verborum collocatione, figuris ſententiarum & quaſi transformatione quadam inciſorum, membrorum, circumductionum, totâ denique compoſitione? Ejuſdem populi res geſtas ſcripſerunt, Cæſar, Livius, Tacitus. Sed quantum in his intereſt, omnibus iis ornamentis, quæ jam commemoravi? Plus verò in his omnibus, & in Ciceronis ſcriptis. Et hi ipſi Ciceronis libri, magnam in ſe varietatem continent. Scribe epiſtolam eo genere orationis, quo principium Milonianæ cauſſæ eſt concinnatum: tametſi apud imperitos aliquot laudatores invenies: quibus tamen verum judicium eſt, improbabunt; & ſtatuent, decori te præcepta tranſiliiſſe. Quocirca videndum eſt, ut rerum cognitio ne, cùm materiam ſuppeditat ad res tractandas alienas, noceat verborum & orationis peregrinitati. non quod hi Latini non ſint: aut illi non ſint Græci: ſed quia ut equites & pedites; & ut in ſenatu, & in foro, & domi, Romani & Græci non iiſdem utebantur veſtibus: ita in diverſis rebus, quæ oratione tractandæ erant, non idem dicendi genus, neque eandem adhibebant ſermonis formam. Laudo, quòd Romam viderit aliquis: quòd Athenis Cratippum audieris, comprobo: patior etiam & laudo cum cæteris, quod Atticus cognomineris: at ut pallio utaris Romæ Græculo, non laudo. Nam levitatis indicium, & ſtulticiæ teſtimonium eſſe judico. Sic omnes hi, cum aliis omnibus, ad diſcendum boni; ſed in ſuo quiſque genere: & proprium quiſque aliquid hàbuit, quod ſibi placuit: & potuit quiſque id decenter & ſuo jure. Iam verò ad cognitionem rerum maximarum, Dei, religionis, pietatis, caritatis, & cæterarum virtutum & præclarorum morum, & humanæ ſalutis; quid illuſtrius, quid magis neceſſarium,

quàm

quàm ea, quæ Moyſes ſcripſit, quæ Prophetæ, quæ Apoſtoli? attamen hæc ipſa exornari magis poſſunt, ſi debitus cultus, & puritas ſermonis linguæque latinæ adhibeatur: & hîc ipſe ſermo Romanus, & latina eloquentia, non vitietur Ebraiſmo; qui in ſua linguâ ſuavis eſt, in alienâ aures offendit, & luci rerum ſæpe tenebras offundit. Cognoſcendus igitur Thucydides, & Herodotus, & Xenophon, & Polybius, & Halicarnaſſæus, & Herodianus apud Græcos: & legendus apud Latinos Cæſar, & Livius, & Tacitus: & omnes hi diligenter intelligendi, ut judicium confirmetur, memoria augeatur, amplificetur rerum doctrina. inprimis verò, quæ Iudæis primùm divinitus tradita ſunt; deinde eadem illuſtriùs explicata poſt Chriſti mortem: ſed ita, ut quemadmodum mens ipſa pura & incorrupta horum lectione & meditatione evadere & permanere debet: ita etiam linguam ab his non impediri, ſed adjuvari velim. Nec enim impium eſt, noſtro præſertim ſeculo, mentis & vocis eandem eſſe puritatem, concinnitatem, elegantiam: & neſcio quanto magis Chriſti doctrinam orationis amplitudo deceat, quam templorum immanes conſtructiones: non quòd in his non delecter: ſed quod hoc ornatu delecter magis; & magis decere exiſtimem. Ut enim imago Dei, quæ ab optimo pictore picta eſt, magis oblectat, quàm quæ ab imperito: & ſtatua Iovis à Polycleto dedolata magis afficiebat, quàm quæ à cæteris opificibus: ita etiam religiones & cerimoniæ, cùm diſertum explicatorem nanciſcuntur, docentur intelligentiùs; explicantur illuſtriùs: & amorem metumque Dei, divinitus excitatum, neque remitti ſinunt; neque elangueſcere patiuntur. Ad civilem igitur ſcientiam quæ maximè nobilitatem decet, hi ſcriptores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

magna adferent adjumenta; quorum libri de Republica & moribus exſtant: & hiſtorici, tum Græci, tum Latini: imò etiam cæterarum linguarum expoſitores, cùm quid ſupereſt temporis; aut cùm tempora id flagitant: ante omnes verò noſtræ religionis autores, & doctores, & hiſtorici. Et quoniam eam vocamus civilem doctrinam, quæ à Græcis πολιτικὴ eſt appellata, & partem ſui habet non parvam τὴν νομικήν: etiam atque etiam cognoſcere oportet Platonis illa præclara monumenta de legibus: & de iiſdem Ciceronis libros duos: qui, cùm rectè intellecti erunt, facilè demonſtrabunt, quid ſtatuendum ſit: & quomodo reſpondendum, quoties de cæteris quæſtio oritur, quæ à Iureconſultis concinnatæ ſunt, atque digeſtæ. Sed, ut ne multitudine perturbemini, neque impediamini linguarum varietate, & multiplici tractatione: priuſquam ad orationis exercitationem veniam; viam nobis indicabo, quam ego puto ingrediendam eſſe, ut eò, quò propoſitum eſt, perveniatis. Omnem igitur hanc rationem in tria dividam tempora: unum audiendi; alterum legendi; tertium commentandi. Quibus tribus ſi modus adhibeatur, ratioque teneatur, quam præſcribam; & evadetis eò, quò contenditis: & temporis ſatis quotidie ſupererit poſt ſingulas actiones ad animi relaxationem, & virium refectionem, & confirmationem valetudinis; cujus magnam curam geri volo, propterea quod animus in bonâ corporis habitudine viget magis, & acutiùs intelligit, & longiùs proſpicit: diligentiùs conſervat ea, quæ diſcendo, & intelligendo, & commentando peragravit. Revertar ergo ad id, quod primò locò propoſitum eſt, ad auſcultandi tempus: in quo duo ſunt perſonarum genera. Nam & doctoribus utimur; ut M.

Cicero

Cicero filius Cratippum Athenis audivit: & utitur recitatoribus: & Cicero, in epiſtola ad Atticum miſsâ, dolet de Soſithei anagnoſtæ feſtivi, ut vocat, pueri morte, &c.

CHRIST. COLERI
DE
ORDINANDO
STUDIO POLITICO
Epiſtola.

Generoſo Iuveni,

STANISLAO ZELENIO VITELLIO,

De

ZELANKA, &c. S. D.

CHRIST. COLERUS.

VOlo, ut vis, mi STANISLAE; & morem geram deſiderio tuo laudatiſſimo. Cupis enim ex me cognoſcere, quâ ratione non tantùm eruditior, ſed etiam prudentior fias. Eruditiorem fieri te poſſe variorum auctorum lectione, non eſt dubium: ſed eſt dubium, etiam prudentiorem inde evaſurum. Adſiduitate enim & induſtriosâ meditatione legentis eruditio creſcit: Prudentia uſu & judicio conſtat. Uſum aut ipſa experientia facit, aut eorum, quæ alii experti ſunt, exacta cognitio; quæ quidem ab auditu eſt, vel lectione. Eorum enim meditatione ſimilia nos aggredimur. Unde bene Vegetius: *Hæc ex libris diſcenda ſunt, quæ uſu anteà ſervabantur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Judicium plurimum adjumenti habet à natura: cætera auxilia à Philoſophia accerſuntur. Illud quidem in te ſatis acre ſemper cognovi; non ſemper ſatis rectum. Sed hunc defectum ætas ua excuſat. Noli verò ita exiſtimare, eos qui acuti ſunt, ideò & rectè ſemper ſentire & judicare. Ut tela nimis ſamiata, magis reflecti quàm penetrare ſolent: ſic acumina iſtorum, offenſione aut flexu priùs læduntur, quàm verum penetrant aut tangunt. Ariſtâ nihil acutius: ſed nihil æquè fragile. Rectius igitur quomodo judicium fiet? Ardua eſt quæſtio, & ars longè difficilima. Ipſe quidem duobus illis hactenus pro quadam norma in judicando ſum uſus: *Ratione* & *Imitatione*. Animadvertis me non loqui de interna illâ ratione, quæ divinior pars hominis; ſed de externa quadam loqui, quæ interiorem illam non conſervat tantùm & auget, ſed etiam dirigit. Nam certa à dubiis, vera à falſis, recta ab obliquis dignoſcit, diſcernit, dirimit. Veteres ideò *Logicam* appellavere, quòd inſtitueret ac dirigeret judicium rationis. Rhetores eâ in controverſiis ac litibus inſtrumenti vice uſi ſunt: quarum ideò Dialecticum acumen proprium eſſe dixit Cicero. Philoſophi *Dialecticam* idcirco vocàrunt, quia haud fermè aliter quàm per Dialogos & ſermocinationes philoſopharentur; ut videmus factitàſſe imprimis Academicos. Hujus Logicæ ſtudium ſunt qui ſectentur variè, & tractent. Ariſtoteles in precio priſcis fuit, & nunc etiam rectioribus & cultioribus ingeniis. Certè apud Italos & Hiſpanos illibata ejus auctoritas etiamnum floret. In his & illis locis nuper exorti ſunt Ramiſtæ & Philippiſtæ, & neſcio, quid miſtum denique: aliique, Logici illi quidem ideò dicendi meo judicio, non quia κατὰ τὸν λόγον, ſed quia κατὰ τοὺς λόγους philoſophentur: quorum ego ſylvam non

cædo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

cædo. Et tamen graviſſimus auctor Plutarchus de talibus ita etiam cenſuit τοὺτοις φιλοσοφίαν ἢ λόγον, οὐκ ἔργον δοκεῖν, in libello de Fortitudine Alexandri. Sanè nobiliſſima ars admodùm degeneravit, & facta eſt apud pleroſque ludicrum quoddam puerilium quæſtiuncularum, jam olim à Seneca & aliis graviſſimis auctoribus deriſarum. Hoc illi principium & finem omnis doctrinæ, omnis ſapientiæ ſtatuunt. Pulchrè & facetè Ariſton ejuſmod tricones nugatorios ſimiles eſſe ajebat cancris veſcentibus, qui ob minutum alimentum circa non paucas cruſtas occuparentur. Mihi quidem iſti probiſſimo inſtrumento, quoad diſcendum & judicandum uti debebant, nequiter ad cavillandum abuti videntur. Ergo cum hac ſupellectile ſua Dialecticâ, ambulant, cœnant, dormiunt, ut Lucillianus ille cum ſua bulgâ. Ethica, Politica, Phyſica, Oratoria, Hiſtoriæ nugæ illis præ ſua Logicâ videntur. Atque utinam hâc fini ſtitiſſet illud malum. Præcepta quæ lucidiſſima & breviſſima eſſe debebant, novis inſuper præceptiunculis onerant & mirificis nebulis ac ſpinis obvelant & involvunt nobiliſſimam artem. Itaque ipſorum Dialecticam planè cum, Clitomacho Lunæ ſimilem eſſe dicas, οὐ παύεσθαι φθίνουσαν καὶ αὐξομένην. At tu non à me, ſed ab Archeſilao Academico, & perfectiſſimo Dialectico dictum tibi puta [*apud Stobæum*] ταύτην διαλεκτικὴν φεῦγε, συγκυκᾷ τἄνω κάτω. Pauca præcepta eligenda ſunt. Turba illa traducit magis, quàm ducit. Nec tu me Epicurum illum imitari cenſeas, qui omnem Dialecticam contemnebat. Nam & ipſe hac arte uſus, utcunque ſic, uti nunc ſoleo, judicare didici: ſed uſus ſum non ſolâ, uti jam ſuprà ſcripſi. Adjunxi enim ei ſemper, quaſi comitem ad latus, *Imitationem*. Atque haud ſcio an majus hîc operæ preci um fecerim, quàm illic.

Hanc ego appello, *ad judicii alieni veluti normam judicii mei conformationem*. Iudicii dico, non vulgaris, aut ex opinione plurium laudati; ſed doctorum & ſapientium Virorum cenſurâ & ſuffragio comprobati. Talium virorum opiniones, dicta, ſententias, auctoritates vocare conſuevimus. Quas tu mihi, inquis, auctoritates; quas ſententias commemoras? Meminiſtin' apud Ciceronem ſcriptum eſſe: non Philoſophicum eſſe, teſtibus uti? Memini: ſed aliæ ibi auctoritates quæruntur; aliæ rationes depromuntur. Verùm ubi ipſi teſtimonio ineſt ratio, quid ibi aliud eſt rationes anquirere, quàm cum ratione inſanire? Talem ego demum auctoritate iſtâ eminenti dignum exiſtimo ſcilicet, in quo cum Platone agnoſcam τεκμήρια illa, τὴν ἐμπειρίαν, τὴν φρόνησιν, τὸν λόγον. Intelligiſ-ne Philoſophum tria rectè judicandi inſtrumenta facere: *Experentiam, Prudentiam, Rationem?* Intelligis planiſſimè. Primum igitur rei *experientiam* habeat oportet, cujus ego judicium ſequar. Quintiliani illud tibi notum: tum demum operæ precium fieri, cùm experientia & præcepta congruunt. An non Hippocratem tu in Medicina; Sulpicium aut Scævolam in Juriſprudentia; in Ethicis & Phyſicis Platonem & Ariſtotelem; Demoſthenem & Ciceronem in Oratoria, de ſuis ſingulos artibus aut ſcientiis diſſertantes auſcultes; cæteros audias tantùm? Ita faceres profectò. Horum enim auctoritas, inquis, ipſam quodam genere rationem includit, quum optimis lectiſſimiſque rationibus eam ſibi ſapientiæ exiſtimationem conciliârint. Sed *Experientiam* rei alicujus habere is demum dicitur, qui ex diutina meditatione aut tractatione ejus perfectam habet cognitionem. *Cognitio* ea conſtat etiam ex memoria, quæ ubi varia ac multiplex ejuſdem

rei

ei comparata eſt, vim ac nomen experientiæ conficit. Eam ob cauſam Ariſtoteli [*Metaphyſ. 1. cap. 1.* δοκεῖ σχεδὸν ἐπιστήμῃ καὶ τέχνῃ ὅμοιον εἶναι ἡ ἐμπειρία. Porrò prudens ſit, cujus ego judicio acquieſcam. Prudentem iſti appellabant, qui cum verâ ratione dilectum haberet bonorum & malorum. Ejuſmodi homines cùm calliditate & conſilio polleant, plerumque magis etiam admirari imitarique ſolemus, quàm quos artium ac linguarum varia cognitio commendat, ſi prudentiâ careant. Proinde tu, me auctore, nullum tui judicii ducem facies, qui non inſignis illâ prudentiæ notâ. Denique λόγον ille habeat, qui te dirigat: & præeat priùs magiſterio, qui auctoritate ducturus eſt; Doctor priùs ſit, qui ductor eſſe vult. Id quomodo fiet? Sic credendum auctori tuo, non ut perſuadenti, ſed ut demonſtranti aut docenti: non ut Oratori apud judicem, ſed ut Philoſopho in auditorio. Nolim tamen ita timidè aſſentiri te ubique, ut ſemper hæreas & dubites. Eviluit illa ſecta, cui dubia omnia & incerta viſa. Nos Stoicos omnium maximè probamus, vel Cicerone teſte, judicandi peritiſſimos: & qui certa magis quàm reliqui magiſque conſtantia docuere. Superbè & faſtidiosè, imò ineptè nonnulli ita reſpuunt ſummorum virorum auctoritatem, ut eam propterea fugiant, quia cum veris & rectis rationibus concurrerit. Proinde quaſi ratio minùs tuta ac munita ſit eximiæ auctoritatis titulo ac præſcriptione. Pravum & corruptum & indocile hoc hominum genus, ac ſterile ſemper. Sed illi, ſi Dîs placet, ſecundi ab Ariſtotele videri volunt. Proferuntque illud magnâ voce: *Amicus Plato; amica veritas.* O imitatores ſtultum pecus! Age ſemper ita ſentiant ac loquantur tenebriones iſti: quid tandem veri invenient? Saltim iſti

δοκησίσοφοι cogitàrunt gradus eſſe doctorum. Alios in primis agere: alios in ſecundis conſiſtere: alios denique infimi ſuique ſubſellii eſſe. Illud ti nolo celare, ſemper me magnorum virorum judicio plus credere, quam diffidere ſolitum: e. re factum eſſe, ut dum adſentirem, facilè etiam admirarer; dum admirarer, facillimè diſcerem ſecundùm illud Ariſt. Ἐν τῷ θαυμάζειν τὸ μαθεῖν ἐστί. Videor non obſcurè etiam tibi indicâſſe, quos & quatenus ſequare. De *Uſu* ſupervacuum eſt diſputare, qui ipſe ſibi magiſter eſſe ſolet. Atque ita viam tibi ad prudentiam aperui. tute eam, quæ naturæ tuæ bonitas eſt, cautiùs terere ac munire fortiùs poteris. Sapis autem, meâ ſententiâ, qui tantopere curas prudentiam, cùm Politicæ ſtudio operatus ſis: quod cùm præſtantiſſimum eſſe Plutarchus tibi perſuaſerit, illud etiam facilè ſentis, eam ipſam prudentiam Politico pro anima datam. Magnificum erat profectò *Politici* nomen, nec apud veteres ita, uti hodie, in propatulo, & (ut ille ait,) proculcatum. Noſtros enim homines vides, qui mihi ad inſaniam uſque cum Græculis aut Atticis ineptire videntur. Notat eos manifeſtè Cicero quodam loco ad Pomponium ſuum, quòd temere de quovis πολιτικοῦ nomen uſurpaverint. At longe aliter togati illi. Politicum reor illum, dicebant, qui Rep. adminiſtrandæ vias omnes teneret, ejuſdemque naturam, ut qui maximè, perſpectam haberet, ſive in Republica, ſive extra, ſive circa Remp. ageret. Ipſam πολιτικήν Ariſtoteles non veretur ἀρχιτεκτονικὴν reliquarum ἐπιστημῶν καὶ δυνάμεων facere. Qui Rempubl. ipſi gerebant, πρακτικοὶ vulgo dicebantur; de quibus idem Philoſophus [*Ethicorum magnorum lib.* 1. *cap.* 1.] Δεῖ ἄρα εἴ τις μέλλει ἐν τοῖς πολιτικοῖς πρακτικὸς εἶναι, τὸ ἦθος εἶναι σπουδαῖον. Tales erant ex ſenatoribus,

quiquè

quiqúe magiſtratus gerebant, publiciſque & ampliſſimis muneribus fungebantur. Extra Rempubl. erant vir Sapientes, quales Academici illi Plato, Criton, Xenocrates, Simmias; Peripatetici, Ariſtoteles, Theophraſtus, Heraclides Ponticus, & multò ille eruditiſſimus Demetrius Phalereus: hi omnes, ob maximarum rerum eximiam ſcientiam, Politici Philoſophi palàm audiebant; ut teſtatur Cicero in Oratore & De Legibus. Dionyſius quoque Halicarnaſſæus diſertè lib. 9. Ex eorum doctiſſimis monumentis tractandæ Reipubl. artem, omniumque rerumpubl. genera addiſcebant cognoſcebantque cæteri. Quare ejuſmodi Philoſophi πολιτικοὶ ſummis Regibus aut Principibus curæ carique fuere, Plato Dionyſio; Ariſtoteles Alexandro; Cyro Xenophon; Dario Heraclitus; Plutarchus Trajano; noſtro ſeculo Lud. Vives Carolo V. Non te fugit, antiquiſſimis etiam temporibus Philoſophos fuiſſe Legum-latores; ut Solonem, Draconem, Lycurgum, alios. Imperitia itaq;, aut calumnia potiùs eorum eſt, qui tales viros Politicos negant: audent id hodie non pauci negare, qui ſe ſaperdas putant, cùm ſint copreæ. Circa Rempubl. Politici verſabantur, qui erant familiares iis, quos primo loco poſui. Ipſi etiam vel Reipubl. aliquando participes fuerant, vel rerum varios caſus cauſaſque & eventus callebant: viri prudentes, docti, acuti. Non dubito, talem fuiſſe illum ipſum Pomponium Atticum; & Cælium, ad quem ita Cicero ſcribit: πολιτικώτερον *enim te adhuc neminem cognovi: ne illa quidem curo, mihi ſcribas, quæ maximis in rebus Reipubl. geruntur quotidie.* Et paullò poſt: *Quare ego nec præterita, nec præſentia abs te, ſed ut ab homine longè in poſterum proſpiciente, futura exſpecto.* Ad eundem ita quandam Epiſtolam concludit: Καὶ Κικέρων ὁ

 Φιλόπολις,

Φιλόσοφος, ἢ πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται. Inter hoc Politicorum genus pleroſque Iuriſconſultorum veterum refero. Quid? ni & Hiſtoricos, Cæſar, qui omnia non vulgariter ſapiebat, Salluſtium, & alios hujus appellationis, in graviſſimis rebus diligenter auſcultavit. Auctoritate pollebat Aſinius ille Pollio apud Auguſtum. Sed Hiſtoricos maximè adſciſcebat, circumducebatque Alexander Severus Princeps nobiliſſimus, requirens; quid in talibus cauſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres Imperatores vel Romani, vel exterarum gentium, feciſſent; ut narrat Lampridius. Ita quidem Severus ille. Poſteriores quidam Principes omnia de conſilio Iureconſultorum ordinabant: ad exemplum, niſi fallor, Hadriani, qui Iulium Celſum, Salvium Iulianum, Neratium Priſcum, alioſque, quos tamen Senatus probâſſet, in conſilium ſemper adhibuit, teſte Spartiano. Erant enim illius ſeculi non tantùm Iuris civilis, ſicuti nunc plerique, periti; ſed eloquentiâ & rei militaris peritiâ inſignes, adeóque Politici egregii: qui Iuriſconſulti audiebant. Hi cùm Principibus aſſiduò adeſſent, *Comites* dicti ſunt; argumento *l. Diem functo. D. de off. adſeſſ.* Hæc Comitum noſtrorum initia haud dubiè fuere. Ad Ciceronis ævum redeo, qui in Bruto L. Torquatum πολιτικὸν fuiſſe ait, & deinde ſic addit: *Erant in eo plurimæ literæ, nec eæ vulgares, ſed interiores quædam & reconditæ, divina memoria, ſumma verborum & gravitas & elegantia. atque hæc omnia vitæ decorabat gravitas & integritas.* Liquetne tibi Politici nomine in maximis Rebuſpub. neminem æſtimatum fuiſſe, niſi qui aut ſingulari nobilitate, aut ſapientiâ, aut prudentiâ, aut doctrinâ, aut integritate eſſet? Nec video, quomodo illi politici nomen ſuum tueantur hodie, qui nec Iuris civilis, nec Philoſophiæ, nec hiſtoriæ

nimis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nimis gnari, per ora hominum incedunt, & ſcribunt etiam. Illorum quidem fucus te non latet, quos hoc ævum proventu uberrimo gignit: qui dum Politicos dici ſe poſtulant, nihil penſi habent, modò fraudulenti, falſi, improbi ſint. Sed iidem, dum omnia ſimulare ac diſſimulare facilè ſe poſſe jactitant, animi tamen ſui nequitiam non poſſunt. Nihil nunc moror iſta monſtra, qui ſe πολιτικῶς potare, graſſari palàm profitentur. Atqui Ciceroni aliter viſum, qui ad Atticum ſcribens: *Ut me geram*, inquit, πολιτικῶς. Aptè, opinor, graviterque vult ſe gerere Politicus ille togatus. Crito Socraticus libro cuidam ſuo titulum fecerat, τὶ τὸ ἐπιτήδεον, ἢ πολιτικὸς quo argumento, niſi quod τὸ ἐπιτηδὲς, proprium Politico? Memini, me jam in principio hujus epiſtolæ ſcripſiſſe, Experientiam ab auditu & lectione eſſe: Nonne debui etiam *oculis* aliquid tribuere? Debui certè, vel Ulyſſis argumento, qui non mente tantùm; ſed oculis quoque adjuvâſſe prudentiam ſuam dicitur. Sed doctum te docere nolo. Vidiſti Italiam, Germaniam, Galliam: & vidiſti non ut advena, ſed ut civis. Muros, foſſas, alia civitatum opera oculis & animo contemplatus es. Scilicet externus ille oculorum paſtus non tantùm ſuaviſſimus, ſed etiam fructuoſus eſt. Nôſti, quare antiquitas Herculem μεγάλων ἐπίστορα ἔργων appellaverit! De qua re quid opus eſt me quoque ſcribere?

------ἐπέων δὲ πολὺς νόμος ἔνθα καὶ ἔνθα,

eorum qui de peregrinationibus præcepta confecere aut collegere. Et quæ auditu profeceris, ipſe tibi optimus teſtis eris. Publicos & clariſſimos Italiæ, Galliæ, Germaniæ doctores auſcultâſti. Riccobono Patavii etiam privatam dediſti operam. Neapolitanum Portam naturalis Philoſophiæ nobiliſſimum auctorem, frequenter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

acceſſiſti. In eodem celeberrimo loco, Neapoli inquam, magnum illum popularem tuum Staniſlaum Reſcium, Sereniſſimi Regis veſtri Legatum, hominem, ut ex ipſius ſcriptis mihi ſatis conſtat, exacto judicio & πολιτικώτατον in oculis habuiſti. Ille verò ex uberrimo quodam prudentiæ fonte, quo eruditum illud pectus irrigabatur, agendæ excolendæque vitæ præcepta ſuis Polonis propinare conſueverat. Narravit id mihi totius itineris tui comes aut dux potiùs Iohannes Blotnicius, vir nobilis. Certiſſima illa & rectiſſima prudentiæ meta, (tu mihi confidenter credito) ad quam doctorum & ſapientium virorum converſatio & familiaritas auriĝatur. Dic mihi ſodes, an pœnitet te familiaritatis & amicitiæ illius, quam vel hoc anno feciſti & habuiſti cum eruditis illis capitibus Germaniæ & Galliæ? Gentilem & Scherbium menſa ſocios habuiſti. Ille Iuriſconſultus & Poëta ingenioſiſſimus eſt: hic Philoſophus graviſſimus & acutiſſimus. Conradus Rittershuſius, neſcio, an tibi familiaris fuerit. Fuiſſe vellem. Probus vir eſt, & præter Iureconſultum, variâ eruditione & linguæ Græcæ facundiâ virum præſtat. Quid autem Palatini illi videntur? Nonne Muſarum quoddam Palatium egredi videbare, cùm iſthinc diſcederes? Freheri & Gothofredi conſuetudinem recordaris quotidie, & meminiſti quàm grata, jucunda, & utilis fuerit. Fieri enim non poteſt, ut ab his indoctior abiveris. Meliſſum tu ut vatum Principem admirabare: ille te non amore tantùm, ſed etiam carmine abeuntem proſequebatur. Sapiebas autem egregiè, cùm Gruterum, non cum multis, ſapere diceres. Multum deberes fortaſſean *oculis* & *auribus*, ſi Hippolytus à Collibus legatione tum in patria tuâ non abfuiſſet. Prudentiam & acumen Ia-
cobi

cobi Bongarſii, Galliarum Regis Legati, ſatis animadvertiſti Francofurti: humanitatem etiam expertus es. Ego tibi Pragæ factum eum talem prædicaveram. Idem de clariſſimo Gifanio dices. Sæpe facito, nobiliſſime Zeleni, & tales viros, quos aut doctrinâ aut prudentiâ, aut variarum rerum experientia inſignivit, quamvis audacter, tibi copula. Nemo tibi ob id ambitionis crimen impegerit,

Καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσι
Ἵζε καὶ ἅνδανε.

Quemadmodum à Sole variâ colorum ſpecie pingi non cernitur Iris, ſed picta: ſic animi noſtri talium converſatione variis ſapientiæ notis adſperſos deprehendimus poſtea, quum id quâ ratione fieret, minùs antea animadverterimus. Denique Senecæ illud crede: *Longum iter eſt per præcepta; breve & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet. Vitæ ejus interfuit, ſecreta perſpexit, obſervavit illum an ex formula ſuâ viveret.* Idem verè & ſapienter ſcribit, Metrodorum & Hermacum & Polyænum, magnos viros non ſcholam Epicuri, ſed contubernium feciſſe. Sed tu potiùs delectione auctorum nunc vis audire. Rectè & neceſſariò. Nihil enim utilius, nihil certius lectione. Eâ alitur ingenium, creſcit intellectus, augetur ſcientia. Sed ſcrupulus iſte mihi eſt profectò. Nam quem tu hîc me cenſes eſſe? Illum, qui cenſuras gerat ſine ſuffragio? Faciam tamen quod cupis: non, quia me decet; ſed, quia ita fieri vis. Videndum eſt tibi, cùm ad Prudentiam viam adfectes, quos, & quo fine quemque legas. Leges tu quidem Theologos, Poëtas, Iuriſconſultos, Philoſophos, Hiſtoricos, Oratores, & miſcellos nonnullos. Omnium ſtudiorum auſpicia à libris ſacris duci debent, fierique;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

que; ut veteres Poëtæ canebant: *ἐκ Διὸς ἀρχή.* His adjungo Poëtas, qui antiquiſſimi ſunt. Politicis ideò ſanè legendi, quia de Monarchia nemo illis diviniùs tractavit, ne Philoſophi quidem. Philoſophi Rerumpublicarum formas ac varietates deſcripſere. Hiſtorici Philoſophis de Rep. commentantibus argumenta & exempla ſuppeditavere. Nos etiam exemplis mirificè inſtruere, rerumque viciſſitudines edocere ſolent. Hos igitur legendos tibi cenſeo; ſed cum delectu librorum & ordine. Theologici libri ſunt Biblia, in quibus Vetus & Novum Teſtamentum. Sunt deinde ſcripta ſanctorum Patrum, quæ commentariorum vice eſſe poſſint. Nemo Chriſtianus vel doctus videri velit, qui Biblia non legerit. Quo minùs poterit Politicus Chriſtianus? Patrum eruditiſſimi libri, mihi non tantùm in Bibliis legendis plurimum profuere, ſed in omni reliquo doctrinæ genere miram ubiq; lucem affudere. Ita eruditi eloquentes, graveſq; erant. Erant autem fere: Juſtinus Martyr, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Baſilius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Arnobius, Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius. Tuo ſtudio opportunos crediderim, Hieronymum in Prophetas, Auguſtinum de Civitate Dei, qui Varronis & Ciceronis libros Politicos excerpſit. Poëtæ tibi legendi duo ſunt Homerus & Virgilius, uterque Princeps & Rex cæterorum:

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Pleniùs ac meliùs Chryſippo & Crantore dicunt.

De Homero Strabo teſtatur, *ὅτι οὐ μόνον ἐν τῇ κατὰ τὴν ποίησιν ἀρετῇ πάντας ὑπερβέβληται τοὺς πάλαι καὶ τοὺς ὕστερον, ἀλλὰ σχεδόν τι καὶ τῇ κατὰ τὸν βίον ἐμπειρίᾳ τῶν πολιτικῶν.* Hanc ejus doctrinam Politicam nonnemo Philoſophorum veterum commentariis illuſtrare ſategit, ut Demetrius Phalereus, Antiſthenes

es, Plutarchus. Regum ac Principum lauda-
ilium ſpeculum ſemper fuit Homerus: non
quidem, in quo ipſi ſibi placerent; ſed in quo
d Achillis aut Ulyſſis exemplum ſe compone-
ent. Alexander Magnus hunc Poëtam τ̃ ςρατεί-
ς ἐφόδιον habuit. Crediderim non minùs turpe
ore homini Politico Homerum non legiſſe, quàm
uit illi pædagogo, non habuiſſe, cui propterea
olaphum impegit Alcibiades. Ad Virgilii lectio-
nem quemvis invitare poſſint verſus illi ſeſamo
c papavere dulciores. Ejus poëmatis quanta ſit
divinitas, nemo rectiùs monſtraverit Iulio Sca-
igero: quo viro nec major Philoſophus ab Ari-
ſtotelis, nec major Poëta à Virgilii, nec major
Medicus ab Hippocratis ævo vixiſſe videtur. At-
qui ille hoc etiam adſerit, ad Ethicam & Politi-
cam quod ſpectat, meliores nos doctioreſque ex
unius Virgilii lectione, quàm ex omnium Philo-
ſophorum præceptis abituros. Tute hoc ſeriò
conſiderabis. Equidem in Georgicis illud anim-
adverti, ſollertiſſimum Poëtam, dum de apibus
loquitur, alteram quandam Platonis Rempubl.
nobis reddidiſſe. Non nego, me ex Eclogis quo-
que ipſius nonnunquam petere, quod graviori-
bus cogitationibus ac ſtudiis impendam. Pollio
ipſius nonne tota eſt vaticinium de adventu
Chriſti? Sciſque ipſe, cujuſmodi nuper pericu-
lum in ea fecerim, poſt magnum illum Euſe-
bium. Quid? ni etiam Comicos Poëtas leges, in
quibus civitatum mores jucundiſſimâ quadam
imagine repræſentantur; & in his Terentium.
Tragici procerum motus detonant, & graviſſimâ
doctrinâ pleni ſunt, Sophocles, Euripides, Sene-
ca. Nec te non plurima doceat mollior Hora-
tius, & ſeverior Juvenalis, Satyrici. His addo ſa-
pientiſſimos fabulatores, Æſopum & Phæ-
drum, qui ſi non ſunt Poëtæ, Poëtas tamen refe-
runt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

runt. *Ius Civile* non tantùm cognoſcendum eſt homini Politico, ſed etiam illius ſtudio cognatione quadam annexum. Intelligo Jus Civile Romanum: quod in Imperio omnium maximo, ampliſſimo & juſtiſſimo ortum, auctum atque conſtitutum. Comprehenditur immenſo illo corpore, quod Juſtinianum appellamus. Sed inſtituto tuo ſufficit elegantiſſimus Inſtitutionum libellus, ejuſdem Imperatoris juſſu compoſitus ac divulgatus. Quòd ſi tu mavis Hotomanni Partitiones, non repugno. Juris Feudiſtici doctiſſima Compendia Guilielmus Fornerius, & Antonius Contius ſcripſere. Edidit nuper ea Freherus noſter. Suadeo legas loco aliorum. Sed & Cujacii Notæ illæ breves admodùm & eruditæ ſunt; ut omnia illius viri. Patrium Jus ante omnia fac in promtu tibi ſit. Decet hoc hominem nobilem, ut verus ille prudens monuit. Philoſophorum veterum *Politica* nulla ſuperſunt, præter PLATONIS & ARISTOTELIS, & fragmenta illa nonnullorum apud Stobæum, quibus tamen quidni addes tu Κύρȣ παιδείαν XENOPHONTIS? cùm totum illud ſcriptum magis Philoſophicum, quàm Hiſtoricum: & primus ille Philoſophorum Hiſtoriam ſcripſerit; ut ait Laërtius. Scripſerunt ſanè Politicos libros plurimi Philoſophorum, Academicorum præſertim, Speuſippus, Xenocrates, alii: ut de Theophraſto, Demetrio, cæteriſque Peripateticis taceam. Sed tibi Platonis & Ariſtotelis *Ethica* non minùs curæ ſint, quàm Politica; cùm hæc ab illis pendeant. Ad ea multa Ciceronis etiam ſpectant, ſed egregiè præter cæteros libros de officiis, quem tu auro contra æſtima. Quæſo te, Senecæ epiſtolas ad Lucillium ſæpe legito. Bonus ille vir eſt, ajebant Pythagoræi, qui bene utramque Fortunam ferre poteſt; addo ego, & bonus Politicus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ticus. Tu talis fias ex lectione illarum epiſtolarum. Ad Platonem & Ariſtotelem redeo. Ille ſua Politica in decem libros tributa περὶ δικαίου inſcripſit, ſive de *Iuſto*; quia ſine fundamento Juſtitiæ nec exſtrui, nec gubernari legitimè ulla Reſpubl. poteſt. Ejuſdem ſunt Πολιτικὸς ſive *De Regno*, Νόμων ſive de *Legum-latione*. Epiſtolis ad Dionis amicos nihil profectò ἠθικώτερον, nihil πολιτικώτερον. Ariſtotelis Moralia utraque legenda ſunt, ſine magná illa commentariorum aut diſputationum mole, quæ te magis intricent, quàm expediant. Sine ipſius Politicis malè proceſſeris in hoc ſtudio. Poſſe tamen breviùs tibi conſuli, haud nego. Multa etiam πολιτικώτερα ex ejus Rhetoricis excerpas. CICERONIS de Rep. libri ab Auguſtino & aliis laudati fuere, & certè fuere. Nec VARRONIS ſummo ſtudio frui nobis licet, qui Rerum humanarum & Divinarum libros XLI. conſcripſerat. Illorum exemplo auſi etiam noſtri homines caput adtollere, & de Rep. commentari: Andreas Patricius, Johannes Bodinus, Gregorius Tholoſanus, Juſtus Lipſius, & ante illos Nicolaus Macchiavellus. PATRICIUS ita quidem, ut facilè obtrectatoribus careat. Magis ardua & erudita tractatio BODINI. Non caret carptoribus. Mihi quoque nimis ſe diffundere videtur. Sed facile eſt, in operoſo libro quod reprehendas, invenire. Tu tales eo cautiùs lege, quo magis ab aliis notari intelliges. De MACCHIAVELLI Principe in medio eſt cenſura LIPSII: Lipſii, inquam, cujus cave tu judicium temere ſpernas. Mirificè recta linea peragitur. Et tu nunc etiam ejus Politica legis, uti ſpero, magno tuo bono. Ad iſtas Notas, quas in fine addidit, itendidem mihi reſpice. Scin' quid coram te monuerim de talibus viris? Tu vide: & ſi qui avocant

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

aut obſtringillant, ride, aut refuta. THOLOSANUS varius eſt & eruditus, ſed doctrinæ iſtuæ magis contulerit, quàm prudentiæ. In *hiſtoria* legendâ ordinem diligenter obſervabis. Ad ſeriem ævi cujuſque te voco. Rectiſſima illa via. Res Judaicæ, Ægyptiacæ, Perſicæ, Medicæ, Græcorum, Athenienſium, Lacedæmoniorum, Romanorum ſuos auctores habeant. Iſto modo & recentiores conſtitues, qui Gotthorum, Longobardorum, Francorum, Hiſpanorum, Germanorum, Turcarum, Polonorum, Ungarorum, Britannorum, aliorumque populorum res ſcripſere. Hi omnes ſi legi non poſſunt, comparandi tamen ſunt, ut ſi qua inquirenda, in promtu ſint. Sed vetus Hiſtoria te præcipuè ducat, inſtruat, dirigat: nova oblectet aut erudiat. Plerique illi priſci prudentes ſunt, acuti, eloquentes. Noſtri plerique quantum ab illis tribus abſint, non ignoro. Cenſe tu iſtos veteres ὑπομνήματα; hos novicios μνήματα ſcripſiſſe. At nullus veterum eſt, quem non inſigni cum fructu cognoſcas. Duplex eorum genus eſt. Alii geſta in Republica; alii extra Remp. ſcripſere. Illorum materia bella ſunt: hi etiam mores civitatum & aulæ tangunt. Potiſſimus illorum eſt Thucydides, & præter Herodotum etiam primus. THUCYDIDES Hiſtoriam conſummavit, cùm Herodotus prior exornâſſet. Volve & in ſinu geſta magnum illum theſaurum. Bellum Peloponeſiacum deſcripſit, vidit, & partim etiam adtigit. Et tu illud apud eum non legere; ſed ſpectare videare. Præterea apud eundem tantum verborum graviſſimorum, quantum ſententiarum reperies. Res explicat prudenter, ſeverè, graviter. Unde planum fit, quantum homini Politico conferre poſſit. Qui de bello & pace deliberant, hunc arctiſſimo ſibi nexu devinciant conſiliarium, & omne pun-

ctum

tum ferat Thucydides. Hoc, ut dixi, prior vixit
HERODOTUS: in quo plus demulceat te
uaviloquentia, rerumque varietas capiat, quàm
ractatio doceat. Vitioſitas etiam Hiſtoriæ olim
otata fuit. Primus Philoſophorum more, Mo-
archiæ, Oligarchiæ, Democratiæ σύγκρισιν quan-
lam πεποίηται, ut loquitur Plutarchus. XENO-
HONTEM magis amplectere. Primus hic
hiloſophorum in amœnum illum Hiſtoriæ
ampum proceſſit. Facundiæ facilitas & ſuavitas
on tantùm par illi cum Herodoto; ſed major e-
iam: inde *Attica Muſa* vel *Apis* dictus. Thucydi-
lis monumenta hujus viri beneficio conſervata
unt. Unde de ipſius prudentiâ non invitus con-
ecturam facio. Ea certè in ejus ſcriptis ante cæ-
eras virtutes palmam obtinet. Elucet eximiè ex
Cyri Inſtitutione & Expeditione illâ in Artaxer-
em, in qua etiam patefecit, quantus ipſe Impe-
ator eſſet. Regibus itaq; & Principibus ἔσοπτρον:
mperatoribus, ut Alexandro Homerus, ἐφόδιον
it Xenophon. Fuit magno illi Lucullo utrum-
que, qui cùm rudis imperandi contra Mithrida-
em peritiſſimum in Aſiam profectus eſſet, tan-
um Xenophontis lectione profecit, ut cum cal-
idiſſimo hoſte facilè æquâ, ſæpe etiam ſuperiori
nanu pugnaverit. Simile in Xenophontis libris
tudium fuit Cornelio Scipioni Africano. Habe-
it igitur in illis Politicus quoque fecundam di-
cendi materiam. Aulico forſan non parum inter-
itſcire, quæ Xenophon de re equeſtri, de Venatio-
ne ſcripſit: quos elegantiſſimos libellos Latinis
erſibus prope illuſtravi nuper. POLYBIUS ma-
nificus & diffuſus ſcriptor: & de eo rectè & or-
ine Lipſius cenſuit. Sed is hoc etiam habuit pe-
uliare, ut Γεωγραφικὰ religione quadam perſe-
queretur; exemplo Ephori & Eratoſthenis. Nec
nirum. Terras enim & maria omnia permenſus

fuerat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

fuerat, ut de ipſo Epigrammata cantârunt. Se[d] bona pars ipſius ſcriptorum communi illo nau[fragio] peſſum ivit. Legito hunc ſeriò,& varia il[la] prudentiæ documenta imbibe. Tantus ille Po[liticus] fuit, ut tota Achaja civitatum ſuarum au[ctorem] & νομοθέτην eum habuerit. Tantus,ut ſe[cundùm] ejus conſilia ſecunda omnia geſſerit & [sen]ſerit Africanus ille; contrà,ſiniſtra. Alexand[ri] M. res ARRIANUS Græcè; Q. CURTIU[S] Latinè expoſuit. Floridus uterque, ſed nitidio[r] Curtius, & quovis melle dulcior. Lectorem ci[tiùs] defatigatum, quàm ſatiatum dimittat. Sen[tentiæ] paſſim directæ & obliquæ,quibus mirè il[luſtretur] vita humana. Videris quomodo illa[s] notes, & excerpas, & alias etiam non pœni[tendam] meſſem ex hac ſegete colligas moni[tionum] Aulicarum. Res Romanas duo præcipu[i] auctores ſcripſere ad Julium uſque & Augu[ſtum] Cæſares, SALLUSTIUS & LIVIUS. Cogita in Salluſtio omnia fuiſſe, quæ in perfe[ctum] Hiſtoricum cadunt, vel antiquorum teſti[monio]: & quæ de Thucydidis verbis ac ſenten[tiis] jam cognoviſti, eadem illa in Salluſtio reco[gnoſce]. Hiſtoria ejus tota periit, peſſimo generi humani. Cernis quàm piè & induſtriè ipſe non nunquam iſtas ſaltim naufragii tabulas minuta[s] colligam,conſeram, conglutinem. Bellum Cati[linarium] memoriter tenes: ſed fruſtra, niſi con[ſideras] profundam illius viri Reip. ſcientiam, quam ille vel breviculo illo libello prodidit. Non minori arte Bellum Jugurthinum confe[cit]. Duæ illæ Epiſtolæ De Rep. ord. ad Cæſarem, nonne cœlo delapſæ videntur? TITI quoque Livii nobiliſſima & ampliſſima Hiſtoria eſt. Tanta in eo eloquentiæ vis, tanti verborum ac deſcriptionum nervi, ut lectorem ſæpe ſiſtat & obſtupefaciat. Olim quoſdam ita ceperat, ut à

Gadibus

ſadibus uſque Romam videndi Livii cauſsâ
roperaverint ; quo viſo eo , unde venerant, ſta-
m redirent : quemadmodum S. Hieronymus
ı quadam Epiſtola refert. Res explicat diſertè,
rnatè, & prudenter. Orationes luculentæ ſunt :
uarum excerpas nonnullas, ſuadeo , & ediſcas :
uemadmodum te de aliquot Salluſtianis feciſ-
: memini. Cum Livio, ſed diutius opinor, vixit
)IONYSIUS HALICARNASSAEUS.
.es ille ſcripſit ad Romanas Antiquitates ſeptin-
entorum annorum, id eſt, ad primum bellum
unicum. Sacra cerimoniaſque priſcas nemo re-
giofiùs indagavit , nemo accuratiùs deſcripſit:
nculcat ſeriò σχῆμα illud ἱστορικόν. Veritatem ita
mavit, ut etiam τῆς δικαίας neceſſitatem hiſtorio-
raphis inveheret. Statum, mores, leges civitatis
roponit, conſiderat, exponit. Quid multa? Ipſe
liquoties monet, ſe tam φιλόσοφον, quàm πολιτικὸν
ἦν ἔχοντα erudire. JULII CÆSARIS Commen-
aria Cicero in Bruto laudavit , & verè laudavit.
ed mutatos aut corruptos hodie eſſe non pa-
um, noſtri Ariſtarchi cenſent. Sunt etiam poſtre-
na illa non Cæſaris, ſed Oppii aut Hirtii ; teſte
uetonio. Illa de bello Africano cæteris omnibus
xcellere videntur. Ita non ſanguine & colore
antùm , ſed robore ac nervis ea commentatio
ræſtat. Habent certè Principes & militares Viri
uod legant & imitentur, aut mirentur potiùs.
Quis enim Cæſarem imitetur ? Ajunt tamen id
uſum eſſe Selymum Turcarum Imperatorem :
ui Commentaria hæc aſſiduò circumtulerit ver-
a in vernaculam linguam . Meritò quis arguat,
nde documenta ſumſiſſe rerum poſtea feliciſſi-
nè geſtarum ? In Romana hiſtoria pauca nos
ugerent , ſi DIO CASSIUS totus exſtaret.
ed accidit illi, quod iis, quibus reliqua membra
iolata quidem & truncata ſunt , ſed intacta &
honeſta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

honeſta facies permanſit. Ita illæſa & inviolata eſt illa Dionis Hiſtoriæ pars, quæ de rebus pulcherrimæ & florentiſſimæ Romæ agit. Tacitum tu & Suetonium vis rectiùs intelligere? Dionem obducito. Illud ſcire te velim, unam illam Mecęnatis Orationem ad Auguſtum inſignem ac Politicam reliquorum omnium inſtar eſſe. Eſt & Agrippæ illa ſatis ſplendida. In cæteris rebus ac narrationibus ἑλληνισμοῦ ſuſpicionem non effugit. Sicut nec APPIANUS ALEXANDRINUS vitio caruit. Libros ille ſuos non numero, ſed ad bellorum diſcrimina diſtinxit: ut in capitibus Florus fecit. Ille ordo te ducat, & non indelectet. Judicio nec vulgari eſt, nec recti pravique contemnendus arbiter. Fortuita non Fortunæ, ut cæteri; ſed Deo tribuit βλάπτοντι: ut ipſe loquitur τοὺς λογισμούς. Philoſophus PLUTARCHUS eſt, ſed qui vitas illas ſcripſit, meritò etiam Hiſtoricis accenſeatur, quippini Hiſtoricis? Omnibus numeris inibi leges Hiſtoriæ abſolvit, magis quàm Suetonius, aut alius talis. Sicut & Corn. Nepos, & Corn. Nepotes, & Tacitus in Agricola. In Politicis autem nulli veterum Philoſophorum ſecundus eſt: imò fortaſſe major. Nam & πρακτικὸς fuit & tantæ prudentiæ exiſtimatione, ut in magno Illyrico magiſtratus & publica officia ab eo decernerentur, poſcente ita Trajano. Diffuſa fuit illius viri ſcientia. Libri ipſius CC. amplius in catalogo nuper vulgato citantur. Reſtant adhuc Ethici, Phyſici, Politici, Hiſtorici ſeptuaginta, & quod excurrit. Pudet me commendare tibi tantum virum verboſiùs. SUETONIUS TRANQUILLUS vitas duodecim Cæſarum priorum confecit. Oratio ejus brevis & nervoſa eſt. Nemo ritus publicos diligentius miſcuit. Emendatiſſimus & candidiſſimus eſt, nemini obnoxius. Quis enim ingenia

& mo-

mores Principum liberiùs unquam? Aulici & olitici non exiguum fructum ex hoc, & ſimul templum capiant fugiendæ adulationis ab i-o Suetonio. L. ANNAEI FLORI com-endium ne omitas, ita dico, compendium re-im Rom. magis, quàm breviarium Livii. Ta-ulam etiam dixeris haud abſurdè, in qua imago ɔtius Reip. expreſſa. Ipſe hoc nomen tribuit. Ni-ilo mehercule injucundius terſiſſimum illum li-ellum legas, quàm Apellis tabulas intueare. Ita ɔmpoſitus, ita elegans eſt! miror judicium, quod bique cum ſubtilitate & brevitate ſententia-im in tanto rerum acervo & varietate inſerit. 'u ipſe colliges, ubi aliquando pellegeris. 'ROGUS POMPEIUS in magna re & fa-nâ Hiſtoricus fuit. Generalem Hiſtoriam is non b urbe conditâ, ſed à Nini temporibus ſcripſit, on ſine priſcæ eloquentiæ laude. Solebant ab o Rege plerique Hiſtorici incipere, cùm ulte-ius progredi non poſſent, ignari divinarum li-erarum; ut ſcribit Tertullianus. Omnia autem bſolverat XLIV. libris. Sed accidit ipſi quod ivio, Dioni, & aliis. Cùm enim compendium pſius feciſſet JUSTINUS quidam ſub Anto-ino, res ea diſpendio fuit Trogo. Nam ipſe uidem pro illo breviario ſeponi ac negligi cœ-it, atque interire tandem. In manibus eſt ju-entutis frequenter: & ſatin' commodum erit a eum lectitare, quemadmodum Gruterus no-ter præibat. C. CORNELII TACITI ſcri-ta præ Livio & Cæſare viliora erant nuper. Sed ſuſtus Lipſius, ad excitanda ingenia & ſtudia ræclara natus, ita dignitatem priſtinam ac ſplen-lorem Equiti Romano vindicavit, ut nullam mpolitiæ no am metuat poſthac. Nec uno loco jus virtutes deprædicavit; & nos, ut ſcis, cenſu-am Lipſii unà cum Tacito æſtimamus. Tuau-

lam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

lam & palatia cogitas, & cogitas ſeriò? Amabo te, diſce priùs ex Tacito Aulicorum fortunam, & ingenia Principum parumper inſpice. Sit tibi ad latus Cornelius, verus ille Comes Palatinus. Nec eſt quòd te moveant centauri nonnulli, aut rupicones, qui hæc talia antiqua nimis & noſtris moribus aliena cavillantur. Non, inquam, ita eſt. Eadem fabula nunc luditur, quæ olim; eædem virtutes & vitia repræſentantur: tantùm perſonæ mutatæ ſunt; ſed quæ doctum & prudentem ſpectatorem deſiderent. Rationem legendi & intelligendi, addi & fruendi modum per totum primum Annalem tibi monſtravi. Uſque ad Nervam ſcripſerat Tacitus; ab eâ poſtea initium ſcribendi ſumſit AMMIANUS MARCELLINUS, & ad Valentis interitum uſque perrexit. Sed ejus librorum fatum idem quod Hiſtoriæ Corneliæ fuit. Rem militarem, ut miles, diligentiſſimè perſequitur, & deſcriptiunculis non raro divortit. Nec raro ſententias miſcet. Sequuntur minorum quaſi gentium Hiſtorici: AURELIUS VICTOR, SPARTIANUS, LAMPRIDIUS, VOPISCUS, CAPITOLINUS. Pauca enim ſcripſere, ſed ex illis immenſam rerum & verborum copiam haurias. Tu periculum fac, deprehendes me verum. HERODIANUS & XIPHILINUS non ita quidem preſſi rerum ac ſententiarum pondere, ut illi, quos paullò antè recenſui. Sed Xiphilinus in precio eſt, quia ſupplet nobis Dionem. Ille alter facundus ſatis, & more cæterorum Græcorum deſcriptiunculis diſertus, & denique Hiſtoriæ Auguſtæ minimè contemnendus auctor. Vide, quàm facilè non allucinetur tantùm, ſed etiam peccet epiſtola. Ecce enim! JOSEPHUM omiſi, quem primo loco, aut inter primos Hiſtoricos recenſitum oportuit. Antiqui-

tates

tes ejus fax quædam ſunt totius ſacræ & profa-
e Hiſtoriæ. Profunda viri ſapientia; quam ille
on, ut cæteri, ex rivulis Philoſophiæ hauſit; ſed
ipſo ingenuo ſacrarum literarum fonte peti-
t. Neque tamen vel Academico vel Peripate-
cuiquam, opinor, ceſſerit, ſi de Republ. diſ-
rtandum ſit, & Athenis etiam alitus videatur.
u cogita, cui Divinarum rerum cognitio major
it, quàm ulli veterum: Humanarum tanta,
uantain bene præparatum pectus cadere potuit;
uantum altæ & ſeriæ doctrinæ ab eo percipi
oſſit. Addo & πραγματικὸν fuiſſe. Prudenti ſimul
Pietatis (quod rarum apud alios Hiſtoricos)
ucem habet. Cæterùm, quod ad Hiſtoriam ad-
net, ego hunc Ebræum cum Attico Xenophon-
auſim contendere. Illi qui ab Oriente proce-
unt, floridum quoddam dicendi genus conſe-
tantur, & nimio ſæpe mundo ſtudentes ab im-
undo propius abſunt, ut NICETAS GREGO-
AS, CEDRENUS, ZONARAS, NICETAS,
HONIATES. Gregoras tamen ad prudentiam ci-
ilem unicus eſt, fateor; & ſententiarum uber
uoddam. Cedrenus & Zonaras Reip. ſatis gnari
ere: & proficiant ex iis legum ſtudioſi. Chonia-
es ab ineptiis ſæpe non abſtinet. Piè tamen mul-
a, & aliquando de cauſſis malorum publicorum
on imprudenter diſſerit. Illud riſi, quòd reliquos
iſtoricos in præfatione ſuâ tam infeſto ſtylo
etit, ipſe ſuorum vitiorum ignarus. Sed non
idemus manticæ, quod in tergo eſt; ut ait il-
. De rebus Geticis eruditè & copioſè ſatis ſcri-
ſere PROCOPIUS, AGATHIAS Græ-
è: Latinè JORNANDES; & PAULUS
IACONUS poſtea de Longobardis. Cujus
eneris ſunt alii quoque, qui non magnopere il-
um prudentiæ ſcopum ſpectârunt. Itaque illos
uæ cuidam claſſi adſcribes. Qui poſt Caroli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Magni tempora ſcripſere, plerique obſcuri & incompoſiti ſunt: nec te inſtruxerint, ipſi rerum inopes. Legendi tamen ſunt Hiſtoriæ cauſsâ. Miror interim SAXONEM GRAMMATICUM, qui ævo barbariſſimo eloquentiſſimè & comtiſſimè ſcripſit Danicam Hiſtoriam. Atque utinam ita diligenter etiam, qui de rebus Germanicis commentati ſunt: licet ipſe multas fabulas miſcuerit. Nobis viciniores illi Itali & Galli GUICCIARDINUS, COMINAEUS, FROSSARDUS, JOVIUS, ÆMILIUS facundiæ & prudentiæ famâ clari ſunt. Nec SLEIDANUS Belga dicere vel judicare vulgariter ſolet. De *Oratoribus* paucis abſolvam, ſunt enim pauciſſimi: ſed optimi tamen & anteſignani Demoſthenes, Cicero. Nemo etiam mediocrium Oratorum auſus fuerit ſine Politica ſcientiâ roſtra adſcendere. Quæ enim Reip. pars ab illo dicendi munere immunis? Apparet ex Ciceronianis, quarum pleræque omnes de aliqua Reip. parte tractant. Idem judicium eſt de Demoſthene. Placidior eſt, & ut ita dicam ἠθικώτερος Iſocrates, quia umbræ is ac ſilentio magis amicus fuit, quàm foro & clamoribus. Ars etiam Oratoria ipſa Politico quodammodo neceſſaria eſt, præſertim τῷ πραγματικῷ, ut legiſti apud Plutarchum in παραγγέλμασι. Nemo fere ſupereſt Oratorum illorum, qui ſub Cæſaribus floruere. Reliquiæ quædam reliquiarum ſunt paucula iſta Latini Pacati, Mamertini, Nazarii, Eumenii, Rhetorum potiùs, quàm Oratorum. Sed quantivis precii eſt Panegyricus Plinii ad Trajanum: quo ille nulli Demoſtheni aut Ciceroni cedit, ſi diſpoſitionem & ornatum ſpectes. Veri Principis publicæ & privatæ vitæ rationem perfectè ibi deſcriptam leges: & erit tibi hic Trajanus pro Xenophontis quodam Cyro. Ex Oratorum officina *epiſtolicus*

quoque

uoque χαρακτὴρ prodiit. Ejus virtus præcipua revitas & acumen, quorum quidem alterum go nunc non ſequor. Hoc liberè dico, nunuam deerit Politicæ Studioſo, quod ex claroum virorum epiſtolis diſcat. De maximis & raviſſimis Reip. negotiis in iis ſæpe communiant, ipſi rerum periti. Tales epiſtolas multas Ciero ſcripſit ad familiares, & inſigni elegantiâ illas ad Atticum, in quibus præter ἦθος πολιτικὸν, nira eruditionis varietas, & nova quædam toius belli civilis commentaria. Tu fac curæ habeas etiam illas ad Q. Fratrem & Octavium. Pleiſſimæ etiam bonarum rerum ſunt Symmachi, Plinii & Caſſiodori epiſtolæ. Exſpectas, quid de noſtri ævi Oratoribus ſcribam? Fruſtra. Tanta hujus ſeculi perverſitas eſt, ut nec culpas ſuas cognoſcere, nec laudes aliorum agnoſcere velint homines! Doctrinâ aliquem & eximiâ virtute virum extollis, admiraris, ſequeris? Adfectum eſſe dicunt ab arcana neſcio qua cauſsâ, aut à religione quæſitum. Quid ſi aliquando comparatio fiat? Invidioſum eſt, ajunt: contra omnem majorum morem & penè dicam humanum. Brevi erit, ut promiſcuè ii omnes docti, ſapientes, prudentes audiant, qui hodie ſcribillant (quorum quidem innumerus eſt numerus: utque illi Platonico ſcito parum loci futurum ſit, aliud eſſe εἶναι), aliud δοκεῖν. Timidè igitur aliud de novis addo. Æneæ Silvii & ſimilium aliquot epiſtolas, propter rerum gravium varietatem, quam ſubinde miſcent, legerim. Angeli Politiani nihil politius. Manutii orationes & epiſtolæ doctæ ſunt, diſertæ ſunt Melanchthonis candidæ ſunt & negotioſæ. Muretus vel perorans, vel familiarius, agens coram Cicerone placeat. Gravitate & judicio, & verborum rerumque abundantiâ excellit, ocellus Germaniæ, Camerarius. Tria illa ab ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

epiſtolis audacter exſpecta. Politicum etiam cum priſcis illis Philoſophis lubens facio, dignum profectò nobili illa umbrâ Athenarum. Tollant ſupercilium qui volunt, & nauſeent ad tales. Ille Camerarius magnis Principibus carus acceptuſque, & conſilio ſpectatus fuit. Eraſmi Dialogi eruditi, acuti, & prudentes ſunt. Augerii Busbequii epiſtolis tanta ineſt ſuavitas rerumque experientia, ut iis legendis plures oculos optes. Supereſt alius adhuc & exornat mirè ſuum ævum, fruiturque etiam vivus gloriâ poſteritatis. Noſti quem dicam. Circumciſus & preſſus eſt. Nec verba nec res deſunt, nec in tanta brevitate obſcuritas ulla ineſt. Dictorum & ſententiarum graviſſimarum affatim. Nulla affectatio, ut vulgo in docto apparet. Soleo de ipſo illud Sidonii uſurpare:

Quâ Criſpus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus.

De aliis multis nec dixi, nec dicam: & minùs peccavero apud iſtos ὑπερκριτικοὺς. Ad miſcellos tuos venio. Varium illud & Naturæ æmulum Plinii opus habendum eſt. Vel illa quæ de Mundo & ejus partibus ſcripſit, quæ tibi cognoſcenda neceſſario? Idem de Strabone cenſeo, quo nemo γεωγραφικὰ diligentius ſcripſit. Cura ei non τόπων tantum, ſed etiam τῶν τρόπων. Reſpubl. variis recenſet, militiam adtingit, Hiſtoricos ac Poëtas perpenſat. Recentiores, qui tabulas confecere, in oculis ſunt, Ortelius, Mercator & alii: & nuper Bertius noſter, ſtylo æquè ac radio pulcher. Valerium Maximum, ſcis, ubi tibi commendaverim. De *Militia* veteri & recenti, qui ſcripſere, legendi ſunt, Vegetius, Frontinus, Ælianus, Polyænus, Leo Imperator, Onoſander, Michael Montanus, Juſtus Lipſius, & peritiſſimus ille Gallus De la Nue. Vidi etiam nuper Hieronymi

nymi Catanæi, & Lazari Sorantzii erudita commentaria. *Itineraria* vetera & recentia legenda ſunt. Pauſanias pulcherrimè ſcripſit. Utinam hodie ad eam faciem, qui regionum & urbium ſpectanda concinnant. In Notitiam Imperii, eruditiſſimè & copioſiſſimè commentatus eſt Pancirola Jureconſ. Patavinus. Arriani Epictetum, Theophraſti Characteres, Gellium, Macrobium ſæpe uſui erit legiſſe, & Dipnoſophiſtam Athenæum. Magno cum fructu eruditionis & judicii leges & Luciani Dialogos. Alberici Gentilis erudita ſunt opuſcula, & Pighii Hercules Prodicius inſignis eſt. Macchiavellus in decem libros priores T. Livii facundus, eſt &, ut ſolet, acutus: ſed eſt ibi quoque ubi ad malum iſtud ἦθος redit, Acuendi igitur tibi ſunt oculi, ut nævi impietatis & improbitatis appareant. Aliàs non tantùm te multis modis acuat, ſed veterem Hiſtoriam legentem ducat veluti manu. Scripſit etiam in Livium Italicè Antonius Ciccarellus, & ex eadem gente, neſcio quis *ἀνώνυμος* in Cæſarem. In Tacitum eleganter & ingenioſè Hetruſco ſermone Scip. Ammiratus: & quem non æquè admirere, Annibal Scotus, Nicolaus Vitus DI GOZZI in Ariſtotelis Politica Italicè commentatus eſt. Diſcurſus iſtos Italorum, quos ipſi vocant, avidè appetis. Laudo, ſed nonnulli verè diſcurſus ſunt verborum. Tu meliores elige. Non nego magnos fructus noſcendarum Rerumpubl. quæ nunc ſunt, ex iis percipi. Boterus non tam fallit, quàm fallitur aliquando. Graviſſimi & utiliſſimi ſunt Guicciardini Aphoriſmi, & ſimiliter Fr. Santovini. Aulicos libellos Italorum, Gallorum, Germanorum aut legis aut legiſti. Habes ſententiam meam de tuo ſtudio, etiam de auctoribus legendis; quàm diu te celavit pudor meus, fateor; expreſſit tandem amor:

ſed epiſtolâ an libello oſtenſam? Tu cognoſce, & ignoſce ſi infortunio te affeci, dum prodeſſe volui. Ait enim Callimachus; *μέγα βιβλίον ὅμοιον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ*: quo magis erit *ἡ μεγάλη ἐπιστολή*? Vale, Generoſiſſime & ſuaviſſime Zeleni. Ex tuo prædio Lucianico CIↃ.IↃ.CI. Prid. Cal. Novembt.

Operæ fieri pretium duximus, ſi ex clariſſimi longéque præſtantiſſimi Viri, Ioh. Caſelii Νέῳ, *hæc ſuperioribus, maximæ ſaltem congruentiæ gratiâ, ſubjungeremus.*

Utinam quiſque ſuo ingenio, ſuæ eruditioni conſentanea ſtudia deligat! quorum quæque, ut omnia animi bona, ſive omnes ingenuæ artes, honeſtum locum habent, in vita hominum. Et Grammatico honeſtus locus eſt, neque nulla interpretis utriuſque linguæ & ſcriptorum veterum dignitas: & magna educatoris teneræ ætatis. Horum quiſque ſi in ſua arte valeat, & fidem præſtet, inveniet in Rep. locum, & civibus erit carus, & ad vitæ cultum habebit, quod ſatis erit. Vidi tales quæri, præpoſitis quoque præmiis, eaque tribui ex mediocribus. Non dicam de arte Poëtarum, quando à paucis intelligitur: quanquam mirificos uſus præſtat Reipublicæ. Ad eam non niſi divina ingenia ultro ſeſe conferunt: olim & laudem reportabant, & præmia. Expedit autem Reipublicæ, ut clari à majoribus, & bonis inſuper fortunæ cumulati Jus Civile deguſtent; ſed legum interiorum diſquiſitionem & tractationem litium, relinquant medii loci hominibus, qui totos ſe juri ab initio dederunt: ipſi autem ubi in bonis literis nonnihil profecerint, eloquentiæ ſe dedant, non ei, quæ vulgo talis habita, in celeritate, & volubilitate linguæ vertitur, ſed quæ promanat è Sapientia, vitæ hominum moderatrice certiſſimâ: itemque Hiſtoriam, quam nemo abſque tempo-

rum

rum & orbis ſitûs notitiâ rectè cognovit: deinique Civilem illam Scientiam, cujus baſis eſt altera de vita & moribus, principem omnium, quamobrem & architectonica dicta fuit. In quas verò digitum intendi, eas tiro rectè magnifaciat, ſed primùm adveniens, nullam earum, antequàm vires ingenii ſui exploraverit, ambiat. Vereor enim, ne repulſam patiatur. Principio unde venias, & quid tecum feras, cogites: nec quæ in ludo puerili deguſtaveris, ut vulgo faciunt, abjicias. Vidi qui bono ingenio, Græcè maximam partem intelligerent; ubi pedem in Academiam intuliſſent, potiùs, quàm inſtitutum perſequerentur, aggreſſos quidvis aliud. Ita faciunt jacturam operæ tot annorum, bene poſitæ, ſi pergerent. Diſcerent enim & ea faciliùs, quæ cæteri vix magno negotio; & alia, quæ nemo diſcit abſque ejus linguæ adminiculo. Ne quis enim ſuſpicetur, me linguam propter ipſam diſcendam putare. Altera jactura eorum gravior eſt, qui bonos auctores de manibus ſeponunt, quaſi eorum lectio non niſi ad pueros pertineat, nec niſi ad Latinum ſermonem faciat: animum verò nullâ aliâ re erudiat. Ego igitur conſulam, ut quos pueri vix deguſtaveritis, eos deinceps avidiùs hauriatis, & ab iis ad eorum ſimiles proficiſcamini: non pœnitendum operæ precium feceritis. Sed inprimis familiarem vobis facite Latinum Lyricum, quicunque eſtis, quocunque vos poſtea conferetis. In pluribus cauſſis una hæc eſt, & prima, nec potior lectionis, poëtarum præſertim, dari poteſt. Neminem fugit, ut olim tam Romani, quàm Græci, filios à pueris Homerum legere, & ad unguem ediſcere juſſerint: non ut tantùm varietate & viciſſitudine rerum à Poëta ſingulari arte repertarum & explicatarum animos oblectarent; ſed ut cum voluptate, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

percipitur è talibus, ea pueri imbiberent, quæ adultiores domi & foris, & intra parietes, & in urbe, & in ſuis & publicis negotiis uſurparent, ſi conſilium capiendum; ſi quid ad alios explicandum; ſi quid denique pace militiâve gerendum. Cognoſci enim ibi omnem vivendi atque rectè vivendi rationem, quod nihil omnium à poëta eſſet prætermiſſum, judicabant. Nec verò operam ludat, qui priſcam illam, uſuque optimorum ſeculorum rationem probatam, ſequatur. Paucis id demonſtrari poteſt. Quando enim primis annis ea res plerumque negligitur, adultiores laboris piget. Qui tamen primis in diſcendo moleſtiis devoratis hoc conſilium amplexi fuerint; & ſibi deinceps gratulantur, & auctoribus agunt gratias. Secundâ, ut ajunt, navigatione uti poterit, qui, quod cuique magis in promtu eſt, Horatium diſcat: Hic cùm belli Trojani ſcriptorem, Qui, ut idem inquit,

Quid ſit Pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Pleniùs ac meliùs Chryſippo & Crantore dicit.

Quotidie in manibus haberet, & ſanctiſſimum officii magiſtrum eſſe crederet; hac in parte ſe ad ejus imitationem compoſuit, & pluraque ſingulari ſtudio perſecutus fuit, quibus animi à vitio expurgentur & virtute perpoliantur. Primùm in ſatyra, dum alios atque alios carpit, deterret ab omni genere vitii, à luxu, ab amoribus, ab avaritia; nec minùs à ſordibus, ab ambitione, & cæteris. Id verò eſt, & viam munire ad virtutem, & ad officium excitare. Idem & in aliis agit Philoſophum. Annon enim magiſtrum vitæ dixeris, qui tam accuratè de tranquillitate animi docet; quæ revera ſumma eſt in vitii fugâ, in modico fortunarum ſtudio; in recto earum uſu, in moderatione voluptatum, in meritis erga

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

erga alios, & potiſſimùm erga patriam, in ſincero amicitiæ cultu, in animi integritate, in utriuſque fortunæ moderatione, in æquitate animi, tam in rebus aſperis, quàm florentibus, nec minus in contemtu mortis & rerum humanarum omnium. Affirmare non dubitem, qui in hoc Poëtâ multum operæ poſuerit, eumque ita perdidicerit, ut ejus verſus, non in ore natos aut extemporaneos, ut putatur, non memoriâ teneat, (nec verò non ſunt, qui hoc præſtiterint,) ſed probè intellectos, ad uſus vitæ transferat; hunc poſſe rebus ſuis ſuorumque rectè in omnibus aliquid boni conſilii invenire, non dubitem: nec minùs idem patriæ rectè conſulat, præſertim ſi & ad hiſtoriam ſe conferat, ſpectans id, quod potiſſimum oſtendimus. Omnia tanti pretii ſunt, ut qui noſtrûm ea negligat, idem & ſe, & ſuos, & patriam negligat. Sed hîc querela oritur, in qua conſopiendâ mihi laborandum intelligo: etſi vereor, ut proficiam apud aliquos, quantum velim, & expediat. Sunt enim pertinaces, tum qui momento rerum per penuriam rationis non intelligunt, tum qui ſuprà ſemper emergere apud animum induxerunt. Dicet enim tenuior aliquis: ſumptus me deficit, illis ego vacare non queo: ad metam mihi admiſſis ingenii viribus, quaſi equo, evolandum. In hoc igitur ſapis, qui de ſumtu cogitas. Neque enim quemcunque poſſis, fruſtra facere oportet. Idem plus ſapies, ſi & ingenii vires naturamque omnem tuam explores, atque conſulas deinceps in deligendo vitæ genere. Non eſt, ut de ſingulis dicam. Longum enim foret; etſi res fortè magis perſpicua fiat: tamen aliquid amovebo caliginis, nec niſi unum exemplum proferam, quo fias cautior, & tibi provideas in principio rectiùs. Qui nullo ſit robore membrorum, & cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

morbis identidem luctetur; is ab incude refugiat: queratur, non poſſe ſe tanti ponderis malleos attollere, nedum totos dies ad ignes perpetuos, cum validis contubernalibus adſtantem, nec reſpirantem unquam, tenuia illa & imbecilla jactare brachia. Confer jam mihi vires ingenii cum viribus corporis, & vide ne gravius onus tibi imponas, quàm cui ferendo ſis. Non omnium eſt eadem mentis acies: nec eadem omnium in rebus gerendis animi præſentia: nec ſemper arte aut uſu comparari poteſt: nec tolerant civilia negotia qui corpore minùs firmo ſint. Itaque ſenes ea relinquunt, niſi quid incidat neceſſarium. Vidi, qui ingenio, arte, induſtriâ, viribus præditi, cùm modum rebus gerendis non ſtatuerent, aut hoc ipſis, per genus vitæ, quod ſive caſu coluiſſent, ſive ultro ſibi ſumpſiſſent, non liceret, ante ſenectam toti conciderent. Memineritis igitur quod monui, & tenete hoc Horatii: *Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede, verum eſt.* Quò natura ducit, quò conditio vergit: quò fortuna patitur, eas. Ut enim, naturâ repugnante, fruſtrà contra nitaris: ſic aut non admodùm, aut infeliciter profeceris præter conditionem. Nemini invideo, qui ex humili loco emerſus, in faſtigio virtute & meritis conſtituatur: eſſe ajo, non ſine periculo; & raro, fuiſſe in perpetuum felix. Tenuitas te, ni fallor, ſive fatum tuum monet: neque tamen non concedit à ſecundo gradu ire in tertium, vel altiùs, modò de gradu in gradum pedem promoveas. Hoc autem fit eâ ratione maximè, quam indico. Si enim id ages, quod primò omnium agere oportet; magna, nec magno ſumtu, conſequeris: & parvus ille ſumtus, quem bene impenderis, novum tibi majoremque brevi pariet. Nam ſi homines de probitate modeſtiâque tuâ accipient,

tuque

tuque ea, de quibus monui, didiceris, in portu naviges. Fides enim & doctrina amicos inveniunt & fortunam. Aut enim te fortunatorum aliquis complectetur ultro, & liberaliter habebit, donec metam, cui par ſis, contigeris; aut filio educatorem dabit, ut lautiùs inſuper vivas, & in literis majus ſpacium, & felicius, quàm olim putâris, conficias. Etenim cui pater filium credit; parum abeſt, quin eum pro filio habeat: quin habeat in cariſſimis, dubium eſſe non poteſt. Dicas, multos hac bonâ ſpe fruſtratos eſſe: Audi alterum: fidem & literas ut unus deſerat, alter expetat: tu modò à fide & literis ne digreditor. Hæ cum fallere neminem poſſint; neque vos ea ſpes, quam vobis facio, fallet. In hanc ſententiam, fortè commodo ſuo, legant epigramma meum, modò idem diligenter conſiderent, quorum ea eſt querela. Etenim tenuiorum egeſtati talem medicinam rectè bonoque eventu fieri poſſe cenſeo. Sunt autem hi verſus:

Alas ingenio donat fortuna benignè,
Ni te luxuriæ dedas malè-ſanus inerti,
Perniciem in propriam verſo tam turpiter auro:
Illa ſed inclemens ſi te pernice volatu
Prætereat, quoſvis quæ ſtultè cenſet eodem
Ordine, ne te exſpes infractâ dejice mente:
Propterea fulcire animum ratione ſerenâ
Ne dubita: ratio ſophien & commoda vitæ
Conciliat, certo ſapiens quæ terminet uſu.
Qui ratio? Cave, ne te ſtulta & ſæva pathωn vis
Imperio vexet: ſed mens vigil imperet illis:
Cumprimis cole ſophroſynen, omnemque modeſtè
Vitam age. Quis talem & tantum non diligat ultro?
Atque ea diſce puer, claro præeunte magiſtro,
Os quibus, & mores polias & pectus amicum,
Principio ipſe tuum. Qua rarâ præditus arte
Quando eris, haud deerit, qui te quoque largiùs ornet,

In patribus princeps, in tempore prodigus æris:
Cúmque ſuis jubeat felicem vivere ňatis.
E cœlo dictum ratus, hocſequere, in tenui re
Quiſquis es, optatum tibi amicæ filum Ariadnes.

JACOBI FOCANI
De Ratione
STUDIORUM
DISSERTATIO.
AD JODOCUM
Lodenſteinium.

COgnate Lodenſteini, Quod nuper tibi pollicitus ſum, ecce nunc præſto. Accipe itaque conſilium meum de facili, & ſuccinctâ methodo, atque ordine ſtudiorum, quo breviter, & feliciter ſtudia tua abſolvere, & ad optatam metam, & frugem citò perducere poſſis. Nam hoc erat, quod Parens tuus optare, atque innuere videbatur, cùm nuper de ſtudiis tuis, te præſente, ageremus.

Satisfaciam itaque & illi, & tibi, quantum in me erit, & oſtendam nihil cauſſæ eſſe, cur ſtudia liberaliora deſeras, ad quæ naturâ non aptus ſolùm, ſed & propenſus, videbaris.

Quadriennii itaque, aut ad ſummum ſexennii res erit, ut ſtudia Academica abſolvas, ſi ea bene moderaris, & diligentiam atque induſtriam eam adhibeas, quæ ad tam præclaras res comparandas requiritur.

Primum itaque erit, ut bene noſcas Libros, & bonos Autores, quorum ope atque opera eruditionem tibi compares; nam, ut ille inquit, Magna

na pars eſt ſtudiorum, noſſe bonos Autores. lterum eſt, ut illos probè cognitos bono ordi-e, & ſedulò legas: Nam promiſcuè, & ſine ul-o ordine aut delectu quoſlibet Autores & li-ros in manus ſumere, illud non ſtudere eſt, ut roficias; ſed eſt ludere, & nugari, ut tempus & peram inutiliter perdas. Et ſi operosè nihil a-unt, (ut inquit ſapiens ille Romanus) qui lite-arum inutilium ſtudiis detinentur; certè ope-osè nihil agunt, qui temerè, & tranſcurſim o-nne genus Autorum & librorum pervolant, antùm ut tempus, imò ut ſe, fallant. Autores taq; in qualibet arte & ſcientiâ præcipuos ſelige, & lege: atque ita lege, ut in ſuccum eos & ſan-uinem convertas, & nunquam de manibus de-onas, quin probè illos pernôris. Breviter: non nulta lege, ſed multum, hoc eſt, unum eundem-que Autorem ſæpe.

Non refert igitur, quàm multos habeas libros, ed quàm bonos; (ut idem monet Seneca) Le-ctio certa prodeſt, varia delectat. Qui, quò deſti-avit, pervenire vult, unam ſequatur viam, non er multas vagetur; nam non ire illud, ſed erra-e eſt: Onerat diſcentem turba librorum, non nſtruit; multoque ſatius eſt, paucis te Autori-us tradere, quàm errare per multos. Paretur igi-ur librorum quantum ſatis eſt; nihil in appara-um: Vitioſum eſt ubique quod nimium eſt. Et dem alio loco: Primum argumentum compo-itæ mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere, & ſecum morari. Illud vide, ne iſta lectio multorum, & omnis generis voluminum habeat aliquid va-gum, & inſtabile: Certis ingeniis immorari, & nnutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod n animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui ubi-que eſt. In peregrinationibus vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas

I 7 amicitias;

amicitias; Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim, & properantes tranſmittunt. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumtus emittitur. Nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo varia medicamenta tentantur. Non coaleſcit planta, quæ ſæpe tranfertur. Nihil tam utile eſt, quod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum librorum multitudo; itaque cùm legere non poſſis, quantum habeas, ſat eſt habere, quantum legas. Probatos itaque ſemper lege, & ſi quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi; & cùm multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas.

Quæris jam, quos tibi Autores potiſſimùm legendos ſuadeam? Breviter: in qualibet Arte, & Scientiâ, optimos, doctiſſimos, & probatiſſimos. Quinam illi ſint meo judicio, paucis expediam.

Latina Lingua.

In Latinâ linguâ, quantum ad ſtylum, ante omnes legendi tibi ſunt *Cicero*, & *Cæſar*, optimi latinitatis Autores; & cum illis *Terentius*, & *Plautus*. & poſt illos *Curtius*, *Livius*, *Salluſtius*, *Quintilianus*, &, ſi placet, Cicero ille Chriſtianus, *Lactantius*; atque alii, qui à Cicerone minimum abeunt, & qui copiâ, ſuavitate, & fluxu dictionis referunt beatam illam, facilemque naturam. His antiquis ex recentioribus adde *Eraſmi Colloquia*, libellum non latiniſſimum tantùm, ſed & jucundiſſimum, & prudentiſſimum; utpote, ab ingenii præſtantiſſimi, & ſummæ eloquentiæ ac prudentiæ Viro conſcriptum; in quo mirabili quadam dexteritate, ſuaviſſimoque dicendi genere, morum ac pietatis præcepta traduntur, & juventus ad prudentiam, & vitæ civilis converſationem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nem inſtruitur: imò in quo etiam multa ad uſum Theologicum ſubminiſtrantur. Sæpius itaque hunc libellum lege, & relege, & experieris fructum in ſtylo, & ſtudiis, imò in omni vitâ tuâ optatum. Huic Colloquiorum libello ſubjunge *Mureti* orationes, & politiſſimas doctiſſimorum Virorum *Politiani, Baudii, Crucii, Lipſii,* & *Eraſmi* Epiſtolas. Et denique *Calvinum* in Inſtitutione Chriſtianæ Religionis; qui liber non ſolùm rebus abundat optimis, ſed & nitido, puro, gravi, magnifico, & latiniſſimo ſtylo conſcriptus eſt. Fac periculum, experieris in levi monito, non leve momentum. Sed ad ſtylum rectè formandum *Cicero* primus primas teneat, & teneat ſolus; hoc eſt, aliquamdiu non præcipuus tantùm, ſed ſolus legatur: ut corpus illud & contextus orationis primum ſeriò formetur uno quodam habitu, & æquabili ſermonis filo. Niſi facis, hiulca ſemper, incompoſita, & è variis varia quædam ſtyli forma gignetur, nec ſatis ſibi conſtans.

Poëtæ Latini.

Ad delectationem, ſimulque ad ſtylum, ſi non formandum, ſaltem ornandum, legendi etiam ſubinde ſunt *Poëtæ*, non omnes, ſed præcipui, atque optimi; ut *Virgilius* Poëtarum illi princeps, *Horatius, Ovidius, Seneca Tragicus, Lucanus, Claudianus*. Et ex Neotericis, *Buchananus, Baudius, Grotius, Heinſius, Barlæus*. Quorum lectione nihil ſuavius, aut utilius; nam proſunt ſimul, & delectant, juxta Horatianum illud:

Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poëtæ,
Et ſimul & jucunda, & idonea dicere vitæ.

Omnis generis ſcripta (inquit Vir quidam doctus) uſurpat Poëma: nec alii majori fruge operâve leguntur Autores, quàm Poëtæ. Ideóque Melanchthon, Nullum melius collocari tempus, ſolet dicere, quàm quod lectitandis optimis Poëtis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tis datur; omnem enim ingenuam, & liberalem eruditionem in ſe continent. Poëtica (inquit magnus ille *Eraſmus*) nihil aliud eſt, quàm ex omnium diſciplinarum deliciis ac medullis condita placenta, atque ex lectiſſimis quibuſque floſculis compoſitum mellificium.

Græca Lingua.

In Græcâ linguâ (cui etiam ſedulò, & ex profeſſo opera tibi navanda eſt) poſt *Novum Teſtamentum*, (quod quotidiè tibi legendum) & poſt *Epictetum*, Philoſophum illum Stoicum, legendus eſt *Ariſtophanes* Comicus, & cum illo facetus ille *Lucianus*, qui Eraſmo fuit in deliciis; nec non ſuavis, ac jucundus hiſtoricus *Herodotus*; & apis illa Attica, *Xenophon*; Et propter Philoſophica ſimul atque hiſtorica, *Plutarchus*, omnigenæ Eruditionis ſcriptor; Cui itidem Eraſmus noſter magnam eruditionis ſuæ partem debet.

Poëtæ Græci.

Et inter *Poëtas* primò *Anacreon*, aut *Muſæus*, deinde *Heſiodus*, aut *Theocritus* legantur. tum Parens ille, & fons ſapientiæ, & ingenuæ omnis doctrinæ, *Homerus*: & juxta illum *Sophocles*, aut ſi mavis, *Euripides*, cujus tot fere ſunt ſententiæ, quot verſus; ut ait Cicero. Huic tu linguæ feriò, & ſedulò incumbe; Nam ex inſtituto omnis fere Eruditio, ac rerum ſcientia ex Græcis Authoribus eſt petenda: quicquid enim latini habent, ſive Philoſophiam ſpectes, ſive Hiſtoriam, ſive Medicinam, ſive Matemathicam, ſive Poëſim, ſive artem Oratoriam, id omne penè à Græcis, tanquam primis Inventoribus, & fontibus, ad Latinos defluxit: Adeò ut vix Eruditi nomine dignus cenſeatur, qui non mediocrem ſaltem, ſi non perfectam, Græcæ linguæ cognitionem ſit adeptus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Philologia.

Quia autem non ſolùm acuenda, & procudenda tibi lingua eſt, ſed onerandum, complendumque pectus rerum maximarum, & plurimarum copiâ; alii Autores Philologici, & Polyhiſtores tibi legendi ſunt, qui variam & reconditam Eruditionem continent, & ex quibus uno quaſi intuitu rerum pariter omnium ſcitu digniſſimarum delibare guſtum poteris.

Hi ſunt *Plinius*, *Plutarchus*, & *Athenæus* inter Antiquos: (quibus adde *Gellium*, & *Macrobium*,) & inter Recentiores *Volaterranus*, *Cælius Rhodoginus*, *Calcagninus*, *Gyraldus*, *Alexander ab Alexandro*, *Crinitus*, & plures alii, inter quos eminent *Lipſius*, *Majoli* dies Caniculares, *Lælii Biſciolæ*, & *Camerarii* horæ ſucciſivæ; & *Alſtedii Encyclopædia*; Synopſis, & quaſi Epitome omnium Artium, & Scientiarum. His adde, ad intelligendas fabulas poëticas, *Natalis Comitis* mythologiam; & *Commentaria* in optimos Poëtas; cui rei etiam conducit *Dictionarium hiſtoricum*, *Geographicum*, & *Poëticum*.

Sed imprimis *Eraſmi Adagia* tibi commendaverim, opus eximium, & ipſo Apolline dignum, omniumque bonarum Artium theſaurum, & faſciculum pretioſiſſimum; de quo Libro rectè judicat Vir judicioſiſſimus *Ludovicus Vives*: Eraſini Adagiorum opus aſſuefacere poteſt Studioſos lectioni magnorum Autorum, ut ad eos non omninò veniant rudes ac novi.

Non omittendum etiam *Stephani*, aut *Calepini* Dictionarium Latinum: & *Scapulæ*, aut ſi mavis *Criſpini*, aut *Conſtantini* Lexicon Græcum. Item *Matthiæ Martinii* Etymologicum: *Grapaldi* onomaſticon; *Becmanni* origines. Et præcipuè magni illius polyhiſtoris *Voßii* Etymologiarum libri, qui jamdudum perfecti, ſuo tempore (ut ſpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ro) lucem videbunt. His adjunge *Langii*, & *Gruteri* Polyanthæam, opus varium & eruditum; & *Theodori Zvvingeri* Theatrum vitæ humanæ; & ſimiles Philologiæ, & Polymathiæ Autores, qui pectus & mentem tuam imbuere, atque inſtruere poterunt variâ, & omnigenâ doctrinâ, & rerum optimarum cognitione, & ad majora altioraque ſtudia præparare. Cùm autem, juxta Hieronymum, contemnenda non ſint tanquam parva, ſine quibus magna conſtare non poſſunt; aut juxta Fabium, Cùm parvi æſtimandum non ſit illud, ſine quo ad magna perveniri nequit: ideo artem Grammaticam, & Grammaticalia etiam atque etiam tibi commendo, ne illa tanquam puerilia aut inutilia vilipendas, aut deſpicias; neque enim ad ullius rei ſumma, niſi præcedentibus initiis, pervenitur. Evolve itaque diligenter Veteres Grammaticos, à Scaligero, & Gothofredo editos, ut *Varronem*, *Feſtum Pompejum*, *Verrium Flaccum*, *Nonium Marcellum*, *Fulgentium*, & præcipuè etiam *Iſidorum*, de cujus Etymologiarum libris ita Chytræus: Non ſunt contemnendi Etymologiarum libri ab Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo editi, in quibus non modò omnium ferè Latinæ linguæ verborum interpretationes, & quâ de causâ quæque ita ſunt nominata, verùm etiam plerarumque Artium ſummæ, & loci præcipui eruditè, & breviter explicantur. Hi non inutiliter, ſed magno cum fructu à te legi poſſunt. Fac periculum, & experieris conſilium meum non vanum. Si tempus & otium ſuppetit, percurre etiam Criticorum quorundam lucubrationes, ut *Politiani* miſcellanea, *Mureti* varias lectiones, *Lipſii* Electorum libros, atque alia ejuſdem Critica, *Turnebi* Adverſaria, *Iunii* Animadverſiones, denique omnes illos, qui ſub titulo *Facis Criticæ* à Grutero editi ſunt.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Sed præcipuè *Cælii Rhodigini* lectiones Antiquas; opus variæ, ac reconditæ Eruditionis.

Laus Philologiæ.

Hoc ſtudio Philologico, Cognate, ſicut nihil eſt utilius, aut fructioſius; ita nihil jucundius, aut amœnius eſt. Aliæ Artes, & ſcientiæ neque temporum ſunt neque ætatum omnium, neque locorum; Hæc verò ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium & ſolatium præbent: delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur: Nihil tam lætum, quod ſtudiis his ſit lætius; nihil tam triſte, quod non per hæc minus triſte fiat: ut meritò docti cenſeant, cum horum ſtudiorum ſuavitate nullam voluptatem eſſe comparandam, & nihil literarum humaniorum conſuetudine eſſe jucundius. Ideóque præſtantiſſimi ingenio, & judicio Viri, *Politianus*, *Budæus*, *Eraſmus*, *Vives*, *Alciatus*, *Turnebus*, *Muretus*, *Lambinus*, *Scaliger*, *Lipſius*, *Caſaubonus*, *Gruterus*, *Baudius*, *Cunæus*; & qui etiamnum vivunt, *Salmaſius*, *Grotius*, *Heinſius*, *Puteanus*, *Meurſius*, *Voßius*, *Barlæus*, *Boxhornius*, atque alii, hanc ſtudiorum partem maximè ſemper excoluere, atque in deliciis habuere. Tantis ego nominibus aſſurgo; &, ut ingenuè dicam quod res eſt, tales Philologos, atque omnem Philologiam ab ineunte ætate, & teneris unguiculis ſemper amavi, & ſuſpexi, magnoque in honore, atque exiſtimatione habui, & adhuc habeo; Virgilianum illud ſæpe ingeminans:

——— Dulces ante omnia Muſæ,
Quarum ſacra colo ingenti perculſus amore.

Nihil enim vitæ meæ dulcius & optabilius, nihil naturæ meæ congruentius Muſarum hoc contubernio ſemper duxi. Verè hoc affirmare poſſum; ſi quis mihi Deus omnes opes, omnia com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

commoda, omnem potentiam proponat, eâ lege ac conditione, ut ſemel deponam hæc ſtudia, atque has qualeſcunque literulas deſeram; nunquam id faciam, neque quicquam tanti eſſe ducam, quod mereri velim, ut à ſuaviſſimo earum amplexu, & contubernio abducar. *Trahit ſua quemque voluptas*, inquit Maro; me ſemper bonarum & ingenuarum artium voluptas ita traxit, & affecit, ut nihil ſine his in vita jucundum eſſe putarem.

——— Non cunctis dator ille bonorum
Munera cuncta dedit; pacem colit unus, at illum
Mars, & caſtra juvant: nobis ante omnia Muſæ
Tranquilluſque tenor vitæ, minimoque fluentes
Cum ſtrepitu placuere dies; me non ſacer urit
Ambitus, augendique fames. ---

Sed amor literarum me tranſverſum rapit; redeo ad inſtitutum.

Philoſophia.

Poſt philologiam ſenſim progredere ad *Philoſophiam*, Artem illam vitæ, animi medicinam, mentis culturam, benedicendi atque agendi magiſtram, & rerum divinarum juxtà, atque humanarum ſcientiam: Ad quam paratior venies Philologicis his præmiſſis. Nam ut lana, purpuram bonâ fide potura, certis priùs inficitur medicamentis: ita literis humanioribus, atque artibus ingenuis excoli animum, & ad Sapientiam excipiendam imbui, & præparari decet.

In hac Philoſophiâ primò tibi legenda ſuadeam *Cornerii Valerii* Compendia Ethicæ, Phyſicæ, & Sphæræ: brevia illa quidem, ſed facilia, perſpicua, & latiniſſima. Lectis iis, & probè intellectis, recipe te ad *Keckermanni Syſtemata philoſoſophica*, non prolixiora tantùm, ſed & doctiora, & perfectiora. Quibus adde *Alſtedii Enclyclopædiam*, ſuprà nominatam, Opus non Philologicum

ſolùm,

ſolùm, ſed & philoſophicum. Multum etiam conferent ad Philoſophiam *Vives de Anima*; & *Melanchthon* de eadem, cum Snellii, aut Magiri commentariis. Item, Iuliis Cæſari *Scaligeri* Exercitationes contra Cardanum de ſubtilitate. In *Phyſicis* præter Keckermannum lege *Iacchæum*, aut *Liebleрum*; aut, quod jam malim, *Magirum*, & *Sennertum*: quibus adde (ſi placet,) *VVendelini* Contemplationes phyſicas. In *Ethicis* habes *VValæum*, & *Sculetum*, qui Ethicam ad normam, & vitam Chriſtianam conformârunt: habes etiam *Heylandum*, *Hornejum*, *Heyderum*, & *Picolominæum*. In Metaphyſicis laudatur *Iacchæus*, & *Timplerus*, cum ejuſdem exercitationibus Metaphyſicis; qui duo ſufficient. In Rhetoricis ſufficit unus *Voßius*, qui eſt inſtar omnium. Dialectices etiam te non patiar eſſe rudem; Nolim tamen te vanis, & ludicris illis argutiis, ad oſtentationem repertis, ultra modum torqueri: Sufficient præcepta dialectices *Keckermanni*, aut *Molinæi*, aut, ſi mavis, *Crucii*; quibus in ſchola aſſueviſti: aut, *Burgerſdyckii*, quæ uti noviſſima, ita etiam cenſentur abſolutiſſima.

Hi pauci ex Neotericis ſufficient, imò nimii ſunt. Valeant itaque prolixa illa, ſpinoſa, verboſa, obſcura, tædioſa, atque intricata Ieſuitarum, & aliorum in Ariſtotelem Commentaria; quibus non ſolùm tempus (quo nihil pretioſius) inutiliter perditur, ſed & ingenium, & memoria miſerè cruciatur, & obruitur: ut ſunt, *Toletus*, *Zabarella*, *Pererius*, *Fonſeca*, *Suarez*, *Collegium Conimbricenſe*, & *Mexicanum*, & ſimiles ingeniorum cruces, & temporis fures.

Inter antiquos Philoſophos præcipui ſunt: *Plato*, *Ariſtoteles*, *Plutarchus*, *Cicero*, *Seneca*, *Plinius*, *Plotinus*, *Maximus Tyrius*, *Epictetus*, *Arrianus*, *Simplicius*, *Hierocles*, *Antoninus* Imperator, & Philoſophus; qui quidem omnes legendi ſunt, ſed cautè,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

cautè,& providè; nam multa continent non ab-ſurda tantùm, & inepta, ſed palàm falſa, & impia,atque à veritate Chriſtianâ alieniſſima; ideóque non amplectenda,ſed reſpuenda & rejicienda. Legendi tamen (dico) propter multa bona & ſalutaria, quæ malis admixta habent. Hinc rectè Auguſtinus: Philoſophi Ethnici (inquit) ſi qua fortè vera, & fidei noſtræ accommoda dixere, (maximè Platonici) non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam, tanquam injuſtis poſſeſſoribus,in uſum noſtrum vendicanda. Quis omnes veterum Philoſophorum errores, diſcrepantias, ineptias, impietates, atque abſurditates enumeret? Quis credat illis, Animam hominis non eſſe immortalem, & mundum non eſſe conditum, aſſerentibus? Quàm diverſa, imò contraria narrant de rebus maximi momenti; ut, de animâ,de ſummo hominis bono, de cœlo,de aſtris,de meteoris,& aliis,in quibus δὶς διὰ πασῶν inter ſe diſſentiunt: ut Seneca non inſcitè Philoſophos horologiis conferat, quia par utriſque conſenſus & concordia eſt. Bone Deus! quàm futilia,abſurda, & inepta ſæpe effutiunt, & garriunt de rebus naturalibus, quæ febriculoſus ſenex, vel anus delira vix auderet cogitare, nedum eloqui. *Ut Varro* non immeritò dixerit, Neminem ægrotum quicquam tam infandum ſomniare,quod non aliquis dicat Philoſophus. Quo nomine *Plinius* ante omnes malè audit,qui quæcunque audivit, aut apud Græculos mendaces legit, pro veris & compertis narrat, licet falſiſſima,& abſurdiſſima: de quo ita conqueritur doctùs Medicus *Rhodericus à Caſtro:* Nunquam (inquit) quis febriculoſus ſenex tam ſtulta, abſona, & abſurda ſomniavit, quæ non aliquis dixerit,aut ſcripſerit Philoſophus,& Plinius in ſuum opus tranſſcripſerit.Et revera ſic eſt, mi Cognate;

te;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

e; multa non ſolùm *Plinius*, ſed & *Ariſtoteles*, *Ælianus*, atque alii nobis reliquerunt, quæ non am lectione, quàm irriſione digna ſunt; ex quious ne nauſeam tibi aut tædium adferam, pauca quædam exempla delibabo. Mus caſtratus (inquit Plinius,) omnes alios mures abigit; malo cilicet ſuo illos abſterrens. Item, Glires genitoes ſuos, ſenectâ feſſos alunt, inſigni pietate. Iem, Echeneis, aut Remora (parvus ſcilicet piſciculus,) onuſtam navem in medio mari, impeu ventorum actam, ſiſtit, & curſum ejus impelit. Et plura talia multò ineptiora. Quibus alii ıddunt: Ex ovo picto avem naſci coloratam. Æthyopes habere nigrum ſemen. Ex vitello, & non ex albumine ovi naſci & provenire pullum. In quâ re diſcrepant duo maximi phyſici, *Hippocrates*, & *Ariſtoteles*. Item, Omnia animalia à rabido cane demorſa in rabiem agi, excepto homine. Item, Ex piſcibus, ſi unus fortè lineâ attractus, eâ ruptâ evaſerit, deinceps nullum eo in loco per illum diem ejuſdem generis piſcem apparere. Item, Fibros ſive caſtores ſibi ipſis dentibus in venatione teſtes amputare, ne capiantur: naturâ illis dictante, ſe propter teſtes (qui caſtorea vocantur, & ſalutarem in medicina uſum habent) à venatoribus appeti. Item, Phœnicem unicam in mundo Avem ſeipſam radiis ſolis comburere, ex cujus cineribus nova reſurgit, & naſcitur Phœnix. Et infinita talia, quæ vel Heraclito riſum excuterent. Unum addam ex *Æliano*, riſu digniſſimum, qui refert; Tarentinam Mulierem educâſſe pullum Ciconiæ, è nido delapſum, atque ei alligâſſe crus quod confregerat poſteaque dimiſiſſe: Ciconiam poſt annum rediiſſe, & in ſinum illius feminæ lapidem pretioſiſſimum evomuiſſe, in ſignum gratitudinis, pro beneficio ſibi præſtito. Mille ſimiles, imò

multò

multò magis ridiculas nugas, & φλυαρίας habet *Albertus Magnus, Rhazes, à Porta, Cardanus, VVeckerus, Baricellus, Mizaldus, Alexis Pedemontanus*, & ſimiles Philoſophi Phyſici, quas piget & tædet referre; quæ tamen à Viris doctis (ſed quibus ſanum ſinciput non eſt,) creduntur, & pro foliis Sibyllæ habentur. Tales Philoſophi σόφοι μὲν, ἀλλ' ὐ φρόνιμοι, ſapientes quidem; ſed non prudentes. Aut, ut olim quidam apud Athenæum de illis dicebat: Sermone ſolo ſunt ſapientes; cæteris in rebus eſſe novi ego ſtultiſſimos.

Sed ante omnes ſtultitiæ argui poſſunt, & debent Philoſophi tales, qui triſtes vultu vendunt ſanctimonias, & barbâ ac pallio tenus Philoſophi, multa dicunt, & ſcribunt de virtutibus, & quomodo benè vivendum ſit, cum ipſi interim peſſimè, & diſſolutiſſimè vivant. Tales profectò non opere, ſed ſermone ſolo ſunt ſapientes. In tales Philoſophos invehitur *Seneca*, ipſe ſummus & gravis Philoſophus. Plerique Philoſophorum (inquit) tales ſunt, diſerti in convitium ſuum, quos ſi audis in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, judicium profeſſos putes, adeò redundant ad ipſos maledicta in publicum miſſa; quos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Odi hominem (inquit ille) ignavâ operâ, philoſophum ſententiâ. Ille verè Philoſophus dici meretur, qui virtutem actione oſtendit. Fruſtra ſapit, qui ſibi ipſi non ſapit. Ad quid ſcientia, ſine conſcientia? quorſum verba, & doctrina ſine operâ? Qui dicunt, nec faciunt, abeſt ab iis fides, inquit *Lactantius*, & ipſi præceptis, & verbis ſuis detrahunt pondus. Cùm ex Philoſophis (inquit idem Lactantius) perrarò aliquis fuerit, qui aliquid in vitâ fecerit laude dignum,

quis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quis eſt, qui non videat, eos homines virtutis, quâ ipſi egent, non eſſe doctores? Nam ſi quis mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinoſos, arrogantes, protervos, & ſub obtentu ſapientiæ ſua vitia celantes, domi facientes ea, quæ in ſcholis ipſi arguiſſent. Quotuſquiſque (inquit *Tullius*) Philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo & vitâ conſtitutus, ut ratio poſtulat? qui diſciplinam non oſtentationem ſuæ ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis pareat ſuis? Videre licet alios tantâ levitate, & jactatione, ut his fuerit non didiciſſe melius alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum ſervos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Et *Cornelius Nepos* ad eundem Ciceronem ſic ſcribit: Tantum abeſt, ut ego magiſtram eſſe putem vitæ philoſophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris vivendi, quàm pleriſque, qui in eâ diſputandâ verſantur; video enim magnam partem eorum, qui in Scholâ de pudore, & continentia præcipiunt argutiſſimè, in omnium libidinum cupiditatibus vivere. De talibus Philoſophaſtris rectè Seneca dicit, Illos non vitæ, ſed ſcholæ diſcere; & verba illos Philoſophiæ tractare, non opera. Sed quid prodeſt ſcire, & dicere, ſi non facias? Parum prodeſt ſermo (inquit ille) cui vita contraria eſt, neque ſcientia ſine ſapientiâ proficit. Dicere facile eſt, (inquit *Lactantius*,) ſed præſtare difficile. Et *Xenophon*; In omnibus artibus difficilius eſt facere, quæ oportet, quàm ſcire. Qui docent tantùm nec faciunt, ipſi præceptis ſuis detrahunt pondus; quis enim obtemperet, cùm ipſi præceptores doceant, non obtemperare? Bonum eſt recta, & honeſta præcipere; ſed niſi & facias, mendacium eſt.

& eſt incongruens, atque ineptum, non in pectore, ſed in labiis habere bonitatem; inquit Cicero, ille Chriſtianus *Lactantius*.

Tu, ſi me audis, Cognate: non verbis tantùm, ſed re, & opere philoſophare, & cum ſcientiâ conjunge conſcientiam: hoc eſt, cura non tantùm, ut doctior, & acutior fias, ſed ut melior: non ut ſubtiliter, & philoſophicè diſputes, ſed ut philoſophicè & Chriſtianè vivas. Philoſophia enim non tam ars eſt ſciendi, & diſputandi, quàm rectè, & bene vivendi. Quod ſumus profeſſione, (inquit *Ambroſius*,) actione potiùs, quàm nomine demonſtremus, ut nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini, ne ſit nomen inane, & crimen immane. Orandus nobis Deus eſt, (inquit doctiſſimus *Vives*,) ut nobis ipſis potiſſimùm Eruditio noſtra proſit, ne nos inſtrumentum ſimus in bonum aliorum, & in perniciem noſtram; Ne idem accidat nobis, quod vel malis medicis, qui alios curant, ſe non curant; vel tibicinibus, qui alium adhortantur, ipſi non pugnant; vel candelis, quæ aliis lucent, ſed ſe-ipſas conſumunt. Maledicta ſit omnis ſcientia, & Philoſophia, quæ deſtituta eſt praxi, & actione! Nec ille ſapiens eſt, qui multa ſcit, & didicit; ſed qui utilia ſcit, & facit. ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ' ὁ πόλλ' εἰδὼς σοφὸς inquit *Æſchylus*. Tantùm ſcit homo, quantum operatur, (inquit acutiſſimus philoſophus *Mirandula*;) nam oportet philoſophiam in actionem deducere. Ad illam itaque Philoſophiam potiſſimùm te hortor, quæ vitam dirigit, & format, hoc eſt, quæ agit de vitâ & moribus philoſopho, & Chriſtiano dignis; de ſummo hominis bono (de vitiis exſtirpandis, & virtutibus inſerendis; de moderandis, & frenandis affectibus; de compeſcenda irâ, de juſtitia, & temperantiâ, de fortitudine, & conſtantia animi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

animi, de cognitione ſui; quâ quis ſe, & alios, boni-ne ſint, an mali, cognoſcit, (ad quam philoſophiam *Plato* nos hortatur.) In ſummâ, ad illam, quæ hominem adverſus omnes vel temporum, vel fortunæ, vel naturæ caſus, & inſidias munit: quæ profectò non humanum, ſed inventum donumque eſt divinum; & *Ethica* vocatur. Illa demum, meo judicio, vera Philoſophia eſt, quæ hominem tollit ſupra hominem, atque illum non ſolùm doctiorem, ſed & meliorem reddit. Cui affinis eſt illa, quæ agit de homine, & ejus corpore atque Animâ, de Animalibus, de Cœlo, de Aſtris, de Elementis, de Meteoris, de Metallis, & cæteris rebus naturalibus, quæ *Phyſica* nuncupatur. Illas Philoſophiæ partes perſequere, atque in iis te præcipuè exerce. Verùm illam, quæ tantùm diſputat, quæ ſolummodo conſiſtit in vanis & ludicris argutiis, in nudis ſpeculationibus, & contemplationibus; in meris verbis, & rixis; quæ homines non doctos, aut ſapientes, ſed tantùm moroſos, verboſos, & contentioſos reddit; quæ ſimplicitatem credendi convertit in curioſitatem, & ſubtilitatem diſputandi, & quotidie novas, & inutiles quæſtiones excogitat: Illam Philoſophiam (dico) minùs excole, imò tanquam peſtem ſtudiorum, & temporis perditionem fuge.

Talium Philoſophorum nunc paſſim omnes Academiæ, & Scholæ plenæ ſunt; de quibus Vir illuſtris *Ioſephus Scaliger* ita ludit:

Quo te ambulando cunque vertas gentium,
Vitare non eſt diſputatorum genus
Procax, protervum, faſtuoſum, garrulum,
Quos pacis hoſtes ultima hæc ætas tulit:
Qui nocte lucem, nigra vertunt candidis,
Et quæſtionum triſtitate condiunt
Natas in uſum ſobrii riſus dapes.

Hos nec decorum eſt, nec tuum refellere.
Tali hoſte victo quis triumphus te manet?
Luctante eodem pugna gliſcit acrior;
Nec dignitatem fronte ferreâ pudor
Expreſſus auget; claritatem nec dabit
Extorta rixis veritas. In jurgiis
Viciſſe nolle, quem queas, victoria eſt.

De hac Philoſophiæ parte, nempe de *Logica*, meritò dixerim, quod ille olim de tota Philoſophiâ: Philoſophare, ſed paucis.

Idem judico de *Metaphyſicâ*; quam quidam nunc tanti faciunt, ut omnes Artes, & Scientias prę illâ deſpiciant, & contemnant, & ſolam pænè philoſophiam vocare auſint, imò Chriſtianæ Religionis quaſi columnam quandam, & baſin eſſe dicant. An non paſſim hoc obtinet in omnibus pænè Academiis & Scholis, ut nemo Philoſophus cenſeatur, qui non omnes metaphyſicas, imò ipſum Suarezium totum, devoraverit? quaſi verò nemo bonus Theologus eſſe poſſit, qui non idem ſit inſignis Metaphyſicus. Sed tales meritò ridet ſummus ſimul Philoſophus, & Theologus *Guilielmus Ameſius*, in diſputatione ſua Theologicâ, quam ſcripſit adverſus metaphyſicam; in qua oſtendit, & probat, Ariſtotelis metaphyſicam prorſus eſſe impiam, & rerum humanarum non tantum providentiam, ſed & ſcientiam Deo auferre; & fundamentum Religionis noſtræ penitus evertere. Similiter *Petrus Ramus*, Vir doctus, & perſpicacis in philoſophia judicii, (licet Ariſtotelici contra ſentiant) Theologiam illam, quam Ariſtoteles in metaphyſicâ docet, impietatem omnium impietatum maximè exſecrabilem & deteſtabilem eſſe confirmat: adeóque ex Academiis exterminandam; ut à multis factitatum eſt: & uti Rex Sueciæ *Guſtavus Adolphus* omnes metaphyſicas ex regno ſuo expulit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

pulit, & exſulare juſſit. *Nicolaus Beraldus* loquens de metaphyſicâ Theologiâ diſertè dicit, Illos, qui ſophiſticis iſtis nugis & frivolis argutiis dediti ſunt, non rebus ipſis, ſed rerum umbris, falſiſque imaginibus inhærere; & longè falli, totaque viâ errare. Non enim (inquit,) ſtudioſorum ingenia exacuunt captiunculæ iſtæ, & tricæ ſpinoſæ, (ut pleriſque perſuaſum eſt;) ſed mentis ſuccum omnem exhauriunt, adeóque à pietatis ſtudio multos abducunt. De conſumendis aliquot annis in Ariſtotelicis metaphyſicis (inquit Hyperius noſter) adoleſcenti Theologicis ſtudiis deſtinato in mentem non veniat: ſed iis omiſſis, cogitet vera abſolutaque metaphyſica in ſacris literis ſibi eſſe propoſita.

Profectò Patres antiqui, Viri pii, & docti, & magni Theologi, huic ſtudio Metaphyſico atque Ariſtotelicæ Theologiæ non ita indulſerunt. Imò à Viris doctis obſervatum eſt, quò quis magis Ariſtotelicus eſſet, eò minus Chriſtianum fuiſſe: ut non vanè Melanchthon dixerit; Non ſapere Chriſtum tali palato, quod Ariſtotelicis argutiis infectum eſt. Adde, quòd olim multi Viri docti, *Origenes, Clemens Alexandrinus, Iuſtinus, Auguſtinus*, & alii, ex Platonis Schola ad Eccleſiam Chriſtianam tranſierint; ſed nulli, aut certè pauci ex Schola Ariſtotelis, qui Metaphyſicis ejus ſpeculationibus, & argutiis infecti erant. De hac fortè *Paullus* Coloſſenſes ſuos monet: *Nemo vos deprædetur per Philoſophiam*. Atque hanc innuens Tertullianus, Philoſophos Patriarchas vocat hæreticorum. Et quis dubitat, in Papatu ante aliquot ſecula per Scholaſticos Doctores *Thomam, Scotum, Bonaventuram*, & alios, Ariſtoteli, & ejus philoſophicis tricis, & nugis nimis addictos, Theologiam non ſolum contaminatam, & profanatam; ſed penitùs corruptam &

exſtinctam eſſe? De quo ſic conqueritur Abbas Trithemius: Hoc tempore philoſophia ſecularis Sacram Theologiam ſuâ curioſitate inutili fœdare cœpit. Sic eſt profectò: Per hos Scholaſticos S. Theologia, id eſt, ſimplex divinæ ſcripturæ tractatio (quæ tota ad Dei gloriam, & conſcientiarum conſolationem comparata eſt (in matæologiam quandam, & affectatam Sorbonicarum quæſtionum, & Summarum imitationem, id eſt, ad inanem tantùm, & curioſam animorum crucem, & ad ipſorum docentium oſtentationem omnis pænè jam detorta, & converſa eſt.

Sed plus ſatis de Philoſophiâ. Deſino plura addere, ne Ariſtoteli, & metaphyſicæ ejus bellum indixiſſe videar: hoc tantùm dico de eâ, quod *Eraſmus* olim de medicis, & medicinâ: Medicis uti laudo; ſed indulgere non laudo: ita ego de hac Philoſophiæ parte; Metaphyſicâ uti laudo, ſed indulgere non laudo, Hoc eſt, parcè, & ſobriè metaphyſico huic ſtudio incumbendum tibi ſuadeo: & plus temporis, & induſtriæ impendendum *Ethico*, & *Phyſico*; quæ, meo judicio, majorem fructum non ſolùm ad Theologiam, ſed ad omnem vitam tibi ſint allatura. De iis etenim Philoſophiæ partibus meritò cum *Tullio* exclamare liceat. ô Vitæ philoſophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modò nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocâſti: tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde conjugiis; tu literarum, & vocum communione junxiſti: tu inventrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti: Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis ſuſtuliſti. De aliis autem (cum Platone, ni fallor, in Gorgia) Philoſophia

gratioſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

gratioſa quidem res eſt, & venuſta, ſi quis illam moderate, & in adoleſcentia attingat; ſin autem ſupra modum tempus in eâ contriverit, hominum eſt corruptela. Quamvis enim quis amœno, bono, acrique ingenio ſit præditus; tamen, ſi diutius & ultra ætatem philoſophetur, neceſſariò omnium rerum imperitus evadet. Philoſophare igitur, ſed paucis.

Medicina.

Sed interim, dum Philoſophiæ operam das, aliquid etiam delibandum eſt ex *Medicinâ*, cujus facultatis tantum addetur, quantum tuendæ valetudini tuæ ſat erit. Legatur itaque *Beverovicius* de tuendâ valetudine, Ejuſdemque *Idea Medicinæ veteris*. Item, diæteticon polyhiſtoricum *Quercetani*. *Lemnius* de occultis naturæ miraculis. *Langii* Epiſtolæ medicinales. Et *Andreæ Laurentii* Anatomia, & *Dodonæi* Herbarium. Si quis verò ex profeſſo huic facultati operam navare volet, legat ille, præter nominatos, *Riolanum*, *Fernelium*, *Hollerium*, *Heurnium*: & *Quercetani* pleraque. Item, *Foreſti*, *Schenkii*, *Monardi*, *Valleſii*, & ſimilium obſervationes, Epiſtolas, & Conſilia medicinalia. & inter Veteres, *Hippocratem*, *Galenum*; & *Dioſcoridem*, cum commentariis *Mathioli*. Sed ante omnes *Sennerti* medicinam, tam Theoreticam, quàm practicam: in quibus penè omnia continentur, quæ ad medicinam pertinent; ut inſtar omnium librorum medicorum eſſe poſſint.

Hiſtoricum ſtudium.

Studiis Philoſophicis jam abſolutis, aut ſaltem mediocriter perceptis, (nam omnia exactè diſcere infiniti temporis, & laboris eſſet,) confer te ad Theologiam: Cui tamen divinæ facultati antequam totum te tradas, paucis prius *Hiſtorias* delibâſſe, proderit; delibâſſe, dico. Nam te to-

tum ei ſtudio dedere, & immenſo, atque inexhauſto illi Oceano immergere, nec è re ſtudiorum tuorum eſſet, nec tam brevis, & anguſti temporis. Succiſivis interdum horis, (ad recreandum animum mole ſeriorum ſtudiorum gravatum, & fatigatum,) hic aut ille hiſtoricus in manus ſumendus, dum ex profeſſo ſtudium illud aggredi, & perficere non liceat: Aut ſaltem breve aliquod compendium hiſtoricum, ſive *Sleydani*, ſive *Ionſtoni*, ſive *Glaſeri*, ſive *Carionis*, ſive *Pezelii*, aut *Cluveri* legendum; de quo infrà pluribus. Poſtea ſtudiis ad perfectionem perductis, te totum huic jucundiſſimo juxta atque utiliſſimo ſtudio tradas, quod totum hominem, & quidem vacuum, & judicio pollentem (quod nunc tibi per ætatem nondum contigit,) deſiderat.

Chronologia & Geographia.

Sed antequam ad Hiſtoriam venias, duo præmittenda ſunt, *Chronologia* & *Geographia*; duo quaſi hiſtoriæ Oculi: Illa ad temporum, quibus quæque res geſtæ; hæc ad locorum, regionum, urbium, populorumque notitiam tibi conciliandam: quibus maxime opus in hiſtoriâ: Sine his enim omnis hiſtoria cæca, manca, & mutila eſt. Inter Chronologias optimæ, & maximè ſuccinctæ ſunt, *Bucholzeri*, & *Alſtedii*, Accuratior, & prolixior eſt *Ubbo Emmius*, *Sethus Calviſius*, & *Merula*. *Ioſephus Scaliger* etiam in *Euſebii* Chronicon, & ejuſdem libri de *Emendatione temporum* huic rei non parum conducunt.

Inter *Geographos* brevis & facilis eſt *Philippus Cluverus*: in Epitome ſive introductione ſuâ Geographicâ. Sed accuratior, & ſolidior eſt *Vadianus* de tribus orbis partibus, qui inprimis prodeſt ad intelligendam veterem Geographiam. Quibus adde *Maginum*, & *Munſterum*; Item, *Bertii*

Bertii, & *Mercatoris* Tabulas contractas cum ſuis deſcriptionibus: Et *Abrahami Ortelii* Theſaurum Geographicum, qui liber inſtar Dictionarii Geographici eſt, & veluti Clavis ad aperiendum & intelligendum omnes veteres, & novos tam Geographos, quàm Hiſtoricos, & Poëtas, ubi agunt de ſitu Orbis, atque ejus incolis, & populis. Sed præcipuè tibi commendo antiquas, & novas Tabulas Geographicas ab *Ortelio*, *Mercatore*, *Bertio*, & *Janſonio* cum doctis, & luculentis deſcriptionibus in ampliſſimâ formâ editas. Quibus conjungi ex Antiquis poſſunt *Mela*, *Solinus*, *Plinius*, *Strabo*, , & princeps Geographorum *Ptolemæus*, à Bertio editus. Geographica etiam ſcripſit *Volaterranus*, *Marius Niger*, *Stephanus* de urbibus, *Martianus Capella*, *Iſidorus*, & plures alii.

Geographiæ Laus.

Sed nimis multos (inquis) recenſes Geographos. Hoc facio, mi Cognate, ut tibi ſuadeam, & perſuadeam hanc doctrinæ partem ſtudiis tuis eſſe utiliſſimam, accuratéque à te perdiſcendam, utpote non hiſtorico, aut Poëtæ tantùm, ſed & Theologo perneceſſariam. Nam quid ille ſine Geographia? Quis expeditionem & bella Alexandri Magni per Aſiam geſta, ab *Arriano*, & *Curtio* deſcripta; quis *Livium*, bella Romana paſſim per orbem terrarum geſta narrantem, intelligat, ſine cognitione Geographiæ? Quis *Homerum*, & *Virgilium*, Ulyſſis, & Æneæ errores per mare mediterraneum deſcribentes; quis itidem *Ovidium*, *Senecam Tragicum*, *Lucanum*, alioſque tam Græcos, quàm Romanos Poëtas (qui multi ſæpe ſunt in deſcriptionibus locorum:) quis denique *Abrahami Patriarchæ*; quis *Pauli Apoſtoli* peregrinationes rectè percipiat, ſine *Geographia?* ut non immeritò Vir doctiſſimus *Iſaacus Caſaubonus* tam magnificè de hoc ſtudii genere in præfa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tione ad *Strabonem* locutus ſit: Primum mihi inter illa, (inquit,) quæ ad hiſtoriæ cognitionem præſidium aliquod, & adjumentum adferre poſſunt, locum meritò ſibi videtur vindicare ea, quę à Græcis Sapientibus, quod Orbis deſcriptionem pollicetur, *Geographia* eſt appellata. Neque hæc ſententia noſtra magis eſt, quàm veterum omnium Doctorum hominum, qui ad ſcribendam hiſtoriam animum appulerunt; quorum nullus eſt, (eorum quidem certè, qui hodie exſtant) qui non plurimis locis Geographi partes in ſuis ſcriptis ſuſcipiat. Putârunt enim doctiſſimi Viri non poſſe Hiſtorias, quas narrarent, rectè prius intelligi, quàm fuiſſet lectorum animus rudi ſaltem eorum locorum, ubi res geſtæ fuiſſent, cognitione informatus. Et meritò quidem ita illis viſum eſt. Nam ſicut Imperatori locorum, in quibus verſatur, imperito, difficile fuerit præclarum quicquam & memorabile præſtare: ita iis, qui res ab aliis geſtas legunt, difficile eſt de iis ſincerè judicare, & rectè ſtatuere, abſque aliquâ eorum locorum, ubi res geſtæ fuerint, notitiâ.

Ac quanquam alias quoque plurimas, eaſque maximas ſecum Geographiæ ſtudium & cognitio utilitates adfert; tamen hæc mihi præcipua fuiſſe cauſa videtur, cur clariſſimi quique veteres Philoſophi hoc argumentum ſtudioſiſſimè perſecuti ſint. In hac ſiquidem ſe exercuere palæſtrâ antiquiſſimi illi Philoſophi, *Anaximander Mileſius, Hecatæus, Democritus, Dicæarchus*, & qui hos ſecuti ſunt, *Eratoſthenes, Hipparchus, Poſidonius*, aliique multi, quorum hoc loco nomina recenſere longum ſit. Ipſe quoque *Marcus Tullius* opus Geographicum ſe aliquando meditatum eſſe, in iis, quas ad Pomponium Atticum ſcripſit, Epiſtolis teſtatur. Vide quàm honorificè Vir ille

doctiſſi-

doctiſſimus de Geographia ſentiat, & ſcribat! Sanè *Homerus*, (ut etiam aliquid de meo in laudem Geographiæ, quam ſemper amavi, adjungam;) Ipſe *Homerus* (inquam) antiquiſſimus & ſapientiſſimus, idemque diſertiſſimus Gentilium Scriptor, adeóque fons quaſi omnis ſapientiæ, prudentiæ, atque eloquentiæ priſcæ; hujus ſcientiæ Geographicæ (id quod monumenta ejus paſſim loquuntur;) callentiſſimus, & peritiſſimus fuit. Ut *Strabo* copiosè in Geographiæ ſuæ libro primo demonſtrat. Non ignaros etiam hujus ſcientiæ excellentiſſimos poëtas Latinos fuiſſe, *Virgilium, Ovidium, Senecam, Lucanum*, vel ex eorum poëmatis conſtat. Hanc excoluerunt etiam alii viri docti, & ſapientiæ cultores plurimi, tam in Græcia, quàm in Latio; ut, *Ptolemæus, Strabo, Pauſanias, Dionyſius Alexandrinus*, & in eum *Euſtathius, Stephanus*, & ipſe *Ariſtoteles*, aut quiſquis Author libelli de mundo: & alii Græci. Latini item, *Pomponius Mela, Plinius, Solinus. Æthicus, Vibius Sequeſter, Antoninus, Capella, Iſidorus*, & plures alii. Et inter recentiores: *Volaterranus, Munſterus, Æneas Sylvius, Vadianus, Marius Niger, Camdenus, Eirenicus, Sophianus, Gerbelius, Maginus, Neander, Pirckheymerus, Melanchthon*, &, quos priore loco nominare oportuit, *Ortelius, Mercator, Cluverus, Bertius*, & infiniti alii, quos enumerare longum foret; qui omnes hoc ſtudii genus magnâ diligentiâ excoluerunt, & exornârunt.

Hæc profectò *Geographia* eſt, quæ omnis generis Scriptoribus copioſam lucem face ſuâ infert; Nam quicquid eſt Poëtarum, Oratorum, Philoſophorum, Medicorum, Theologorum, & præſertim Hiſtoricorum, ſine Geographiâ, in altra nocte & denſis tenebris ſepultum, & demerſum jaceret. Dico etiam Theologia; nam *Sa-*

cræ Literæ abſque hac intelligi ſatis, aut memoriâ comprehendi non poſſunt. Nam quotieſcunque eæ mentionem faciunt Regionis, urbis, montis, maris, fluminis, (quod certè ſæpe faciunt) toties hæſitare, & tanquam ignota in regione vagari cogitatione neceſſe eſt, & ſæpe errare, & labi, quando hæc diſciplina facem non præfert, & viam oſtendit.

Sed præcipuè utilis & neceſſaria eſt ad hiſtoriam profanam: nam quis Monarchias, & ſummorum Imperiorum ſedes; quis amplas urbes; quis bella in diverſis orbis partibus geſta; quis populos, qui bonis legibus, moribus, atque inſtitutis uſi, aut non uſi fuerint; quis denique maria, flumina, lacus, ſinus, montes, fontes, portus, promontoria, atque alia, quæ in hiſtoricis ſæpe obvia, quæque ad Geographiam pertinent, probè intelligat ſine hac doctrinâ?

Iam præter utilitatem, quæ, obſecro, voluptas cum hac comparanda? Nam ſedendo in Muſæo, aut horto, per totum terrarum Orbem ſine ullo labore, ſine ſumtu, ſine periculo, peregrinamur: hoc eſt, ingenio, & mentis oculis quaslibet orbis regiones perluſtramus, quaſvis urbes adimus, maria & flumina tranſmittimus, montes tranſſcendimus, denique, quacunque in parte terrarum aut maris viſum fuerit, ibi cogitatione nos & velociſſimâ mentis alâ ſiſtimus. Cum *Homero*, & Græcis pugnamus contra Trojanos in Aſia. Cum *Iaſone*, & *Argonautis* Pontum Euxinum navigamus ad Colchida, & vellus aureum. Cum *Vlyſſe*, & *Æneâ* per decennium in mari Ægæo, & mediterraneo erramus. Cum *Alexandro Magno* contra Perſarum Regem Darium confligimus ad Iſſicum ſinum; & poſt victoriam cum eodem expeditionem ſuſcipimus per totam Aſiam, in Indiam uſque. Cum *Xerxe* navibus Europam

opam Aſiæ jungimus, atque exercitum decem militum Myriadibus, per totum quinquennium contractis, in Græciam effundimus; & cum eodem, re malè geſtâ, ex Græciâ turpiter fugimus, & trans Helleſpontum in Aſiam naviculâ piſcatoriâ transfretamus. Cum *Leandro* amatore ex Abydo ad Seſtiam puellam Heronem, mare impetuoſum intempeſtâ nocte tranſnatamus. Cum *Themiſtocle* Xerxis claſſem ad Salamina vincimus & delemus. Cum *Leonida*, *Pauſania*, *Epaminunda*, *Miltiade*, & aliis viris bellicoſiſſimis in Græciâ magna prælia conficimus, atque hoſtes profligamus. Cum *Mario Romano* Conſule Teutonocum, & Cimbros ad Aquas Sextias in Gallia ad internecionem uſque delemus. Cum *Hannibale* Carthaginenſi per Hiſpaniam, Galliam, & montes Alpinos magno exercitu in Italiam penetramus, & varios Romanorum duces, & exercitus profligamus. Cum *Fabio Maximo* cunctando rem Romanam reſtituimus, atque in Campania Hannibalem ad incitas redigimus. Cum *Scipione Africano* in Africa Carthaginem (Romani Imperii æmulam) vincimus, & delemus. Cum *Cæſare*, & *Pompejo*, bellum civile exercemus, & de ſumma rei campis Pharſalicis pugnamus. Cum *Octaviano Auguſto* Antonium, & Cleopatram bello navali ad Actium promontorium Epiri ſuperamus. In ſumma; quicquid legimus aut in Hiſtoricis, aut in Poëtis, paſſim regnat Geographia.

Per hanc Geographiam etiam diſcimus; quæ ſingularum regionum ſit natura; quæ dotes, & munera peculiaria; quæ mala, aut incommoda; quæ fructuum ubertas, & varietas; quid herbarum, plantarum, arborum, radicum, aromatum, & metallorum ubique ſit; Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet. Quæ ingenia

incolarum, artes, mores, habitus; quæ figura, color, atque indoles hominum, atque animalium; Et plura talia cognitione digniſſima, quæ profectò non exiguam voluptatem hominibus non planè barbaris, & ruſticis adferre ſolent. Ut jam ſileam, quàm ſuave, & jucundum ſit cognoſcere atque oculis mentis contemplari vetera illa ſplendida, & magnifica opera, atque ædificia, quæ paſſim in his, aut illis regionibus, in Ægypto, Italiâ, Græciâ, Iudæâ; aut in his, aut illis urbibus Româ, Carthagine, Conſtantinopoli, Alexandriâ, Memphi, Babylone, Hieroſolymâ, Corintho, Athenis, Thebis, Lacedæmone, Neapoli, Syracuſis, Venetiis, & aliis viſuntur: ſive à natura, ſive artificio, & induſtriâ hominum excitata, ut ſunt pyramides, labyrinthi, theatra, pontes, fontes, portus, coloſſi, obeliſci, ſtatuæ, templa, arces, turres atque aliæ antiquæ ſtructuræ, aut ruinæ, & ſimilia; quæ certè adſpectu jucundiſſima ſunt, & quæ ingenuum hominem ignorare minimè decet. Nam, ut rectè *Marcus Tullius* judicat, ut equus, vehendi cauſsâ; arandi, bos; venandi & cuſtodiendi, Canis; ita homo ortus eſt ad mundum contemplandum.

In ſumma: plenum ingenuæ voluptatis, atque utilitatis hoc ſcientiæ, ac ſtudii genus eſt: quod non tantùm facit ad Eruditionem, ſcientiam, prudentiam, & ad voluptatem; verùm etiam ad magnitudinem animi, & deſpectum, contemtumque rerum humanarum. Nam quid ei poteſt videri magnum, (inquit idem Cicero,) cui æternitas totiuſque mundi nota ſit magnitudo? Et certè, qui Terram, & mundum hunc habitabilem non aliquo ſaltem modo cognitum habet, domicilium prope ſuum, ac ſedem ignorat, & in patriâ quaſi hoſpes, & peregrinus eſt. Sed de Geographia ſatis.

Aſtrono-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Aſtronomia, & Geometria.

Huic ſtudio Geographico, ſi etiam *Aſtronomiam* adjungere velis, non improbabo; nam ab eo ſtudio te non abhorrere, videor mihi in te obſervâſſe. Hanc facillimè, & compendioſiſſimè hauries ex *Kekermanno, Petro Appiano, Metio,* & præcipuè ex *Sphæra Iohannis de Sacroboſco* cum commentariis *Clavii.* Si etiam delibare quædam jubet ex *Geometriâ*, lege *Euclidem* ejuſdem *Clavii*, & *Savilium* in VIII. priores propoſitiones *Euclidis* : & *Rami* Geometriam. Sed de hoc ſtudio Mathematico conſule *M. Hortenſii* diſſertationem Epiſtolicam, in qua ex profeſſo de eo agit.

Hiſtoria.

Hiſce jam præmiſſis, & hoc fundamento poſito, ſuperſtruatur ædificium *Hiſtoricum*. Et primo quidem legatur *Sleydanus* de quatuor Imperiis. Item, *Ionſtoni* hiſtoria univerſalis Civilis, & Eccleſiaſtica: aut *Neandri* Chronicon, ſive Synopſis hiſtoriarum; ut *Philippi Paræi* medulla hiſtoriarum; aut *Glaſeri* hiſtoriæ univerſalis Synopſis Theoricica, & practica. Poſtea *Carionis* Chronicon: & *Iohannis Cluveri* Epitome totius Orbis Hiſtoriarum; Et Mellificium hiſtoricum *Pezelii*; Et *Matthiæ Dreſſeri* millenarii mundi, ſive Iſagoge hiſtorica. Omnes probæ notæ libri, & ad hoc ſtudium hiſtoricum valde utiles. Hæc compendia ſufficient, niſi mavis addere *Sabellicum*, & *Nauclerum*, qui aliquantulum prolixiores ſunt. Sed ante omnia legatur *Bodini* methodus hiſtorica, ad formandum judicium; & *Voſſius*, ſummâ Vir eruditione & judicio, de hiſtoricis Græcis & Latinis.

Ad Hiſtoriam Græcam brevi tempore perdiſcendam, plurimum conducit *Vbbonis Emmii* Græcia, quam tibi valdè commendo; nam Au-

thor

thor ille breviter, & ſolidè exiguo libro complexus, eſt, quicquid penè omnes Græci hiſtorici magnis voluminibus nobis reliquerunt. Inter veteres, qui compendioſi ſcripſerunt, ſunt præcipui: *Iuſtinus*, Trogi abbreviator in hiſtoriâ externâ; & *Florus*, atque *Eutropius*, in Romanâ; quibus adde *Oroſium*; &, ſi lubet, *Zonaram*, annalium Scriptorem. Medulla hiſtoriarum tam Græcarum, quàm Romanarum, eſt *Plutarchus*, in vitis clarorum Virorum, qui aſſiduè legendus eſt. Copioſus, eloquens, & elegans eſt *Livius* in deſcribendis Romanorum bellis, & rebus per totum penè terrarum Orbem feliciter geſtis. Sacra ſcripſit *Ioſephus*, Hiſtoricus nobiliſſimus.

Hi, ſi tempus & otium ſuppetunt, legendi; ſin minus, provectiori ætati, & majori otio reſervandi: ut & reliqui tam antiqui quàm recentiores hiſtorici, quorum numerus penè eſt infinitus. Præcipui ſunt: *Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus Siculus, Arrianus, Polybius, Dionyſius Halicarnaſſæus, Appianus, Dion Caſſius, Xiphilinus, Herodianus, Agathias, Procopius* & alii inter Græcos; *Cæſar, Salluſtius, Paterculus, Curtius, Æmylius Probus, Tacitus, Suetonius, Ammianus Marcellinus, Capitolinus*, & reliqui hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, inter Latinos.

Quos bono ordine ſequentur Neoterici: *Blondus, Cuſpinianus, Sigonius, Bizarus, Paulus Æmilius, Aventinus, Polydorus Vergilius, Bonvinius, Saxo Grammaticus, Crommerus, Iovius, Guicciardinus, Crantzius, Dubravius, Cœlius Curio, Camerarius, Lonicerus, Leunclavius, Comminæus, Sleydanus, Buchananus, Petrus Iuſtinianus, Mariana, Camdenus, Collenutius, Oſorius, Maphæus, Ioſephus à Coſtâ, Latius*: Et qui primo loco nominandus erat, atque inſtar omnium eſſe poteſt, *Iacobus Auguſtus Thuanus*, Princeps hujus ævi hiſtoricorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Sed interim non negligenda, aut omittenda eſt *Patriæ Hiſtoria*, cujus breve compendium habes in *Mauritiados* libris *Caſparis Enſii*: Sed Præcipuè in hiſtoria Belgica *Everhardi Rheydani*, Belgice ab Auctore conſcripta, & ab erudititiſſimo, & maximæ ſpei Iuvene *Dionyſio Voſſio* ſtylo politiſſimo Latinitate donata. His adde *Meteranum*, & *Borrhæum*. & ſi placet, *Nicolaum Burgundum* & *Stradam*, utrumque pontificium; qui cautè, & circumſpectè legendi, utpote addictiores parti adverſæ, & adfectibus nimis indulgentes. Utinam doctiſſimus *Grotius* ſuam Hiſtoriam Belgicam, jamdudum perfectam, & ob turbas & ſimultates Belgicas hactenus ſuppreſſam, nobis non invideret!

Politica.

Sed ſatis de Hiſtoricis: Quibus ſubjungi, aut potiùs conjungi poſſunt *Politici*, & tales Scriptores, qui varia ſcripſerunt, partim philologica, partim polyhiſtorica; ut *Bodinus*, & *Tholoſanus* de Republicà. *Lipſii*, *Chokierii*, & *Heyderi* politica. *Patricius* de Regno, & Regis inſtitutione. *Hereſbachius* de Inſtitutione Principum. *Grotius* de jure belli, & pacis. *Marſelarius* de Legato. *Reuſneri* ſymbola Heroica Imperatorum, & Regum. *Tipotii* Symbola divina & humana Pontificum, Imperatorum, & Regum. *Richteri* axiomata, & exempla hiſtorica & politica. *Thomæ Lanſii* Conſultatio de principatu inter Provincias Europæ. *Tuldeni* diſſertationes Ethicæ & Politicæ. *Roſini* Antiquitates Romanæ. *Valturius* de re militari Veterum. *Camerarii* meditationes hiſtoricæ. *Dinothi* adverſaria hiſtorica. *Alexander Sardus* de ritibus Gentium. Et ſimiles Polyhiſtores.

Laus Hiſtoriæ.

Hoc ſtudium Hiſtoricum conjunctum cum

Politico

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Politico, inprimis tibi commendaverim; nam nihil eo aut utilius, aut jucundius.

Hoc tibi virtutum ſtimulos; hoc ſemina laudum;
Hoc exempla dabit. ———

Certè (inquit Vir quidam doctus,) ad omnes diſciplinas utilis eſt hiſtoria. De hac infinita ſunt tam veterum, quàm recentiorum Encomia. Hanc princeps ille Oratorum, teſtem temporum, nunciam vetuſtatis, lucem veritatis, vitam memoriæ, &, quod præcipuum eſt, Magiſtram vitæ vocat. Nam hiſtoria præteritorum exemplis oſtendit, quid in vitâ nobis expetendum; quid fugiendum ſit. Eſt hoc præcipuè in cognitione Hiſtoriarum frugiferum (inquit *Livius*,) ut ex aliis diſcas, tibi quod ex uſu fiet: ex aliis documentum & exemplum capias, quod imitere, ſi honeſtum & utile ſit; aut ſi fœdum inceptu & exitu, quod vites. Hinc rectè vocatur Philoſophia exemplis conſtans. Nam in hiſtoria proponuntur nobis varia exempla, non modò ad intuendum, ſed etiam ad imitandum, & exprimendum utilia: ita ut ad vitæ inſtitutionem, reſque præclarè gerendas utiliſſima omninò cenſenda ſit; quod hominem inſtruat prudenter, & circumſpectè agere, atque omnia ſua conſilia, dicta, & facta, ad rationis normam dirigere. Unde *Themiſtocles* prudentiſſimus apud Græcos habitus eſt, quia hiſtoriam, ſuæ vitæ magiſtram ſtatuerit. Et meritò quidem; ex Hiſtoria enim vitam noſtram & mores, alienis malis edocti, corrigere atque emendare diſcimus: unde διδασκαλία ἄπειρος, hoc eſt, doctrina extra periculum conſtituta à Diodoro Siculo nuncupatur. Inde tot Virorum illuſtrium Virtutes, ut pietatem, juſtitiam, fortitudinem, magnanimitatem, clementiam, conſtantiam, moderationem, temperantiam, atque alias, nobis ad imitandum proponimus.

ponimus. Quocirca *Cyrus* ille Perſarum ſapientiſſimus Rex, apud Xenophontem, filiis ſuis, jam moriturus, præcepit, ut hiſtorias & res anteactas legerent, ἐκ τῶν προγεγενημένων (inquit) μανθάνετε, ἄυτη γὰρ ἀρίστη διδασκαλία, hoc eſt, ex iis, quæ ante-acta ſunt, diſcite; hæc enim eſt optima diſcendi ratio. Hæc facit, ne ſemper pueri ſimus; nam neſcire, quid, antequam natus ſis, geſtum ſit, hoc eſt ſemper eſſe puerum. Hæc ab *Halicarnaſſæo* vocatur Ἀρχὴ φρονήσεως, καὶ σοφίας & à *Nazianzeno* συμφέρτη σοφία. Eſt enim initium, & fons omnis ſapientiæ, & mater prudentiæ. Hoc non ſolùm bella, & urbium, populorumque direptiones continet, aut gentium migrationes, regnorum & rerumpublicarum ortus, incrementa, converſiones, & interitus; religionis propagatæ, conſervatæ, & labefactatæ momenta: (quæ omnia hominem liberum neſcire turpe eſt:) ſed etiam hominum mores, ingenia, dicta, facta, conſiliorum proſperos & adverſos eventus, rerum humanarum viciſſitudines, variaque vitæ humanæ exempla & præcepta ob oculos ponit, mirificéque prudentiam auget, judiciumque acuit. Ut *Cicero* non immerito hiſtoriam Philoſophiæ præferat, & plus laboris, & temporis conferendum ſuadeat hiſtoriis, quæ exemplis abundant, quàm Philoſophorum diſputationibus legendis. Imò nuſquam facilius aut bellica res, aut omnis Reipublicæ diſciplina cognoſcitur, quàm ex hiſtoria; ut idem *Cicero* teſtatur. Verè itaque dicitur, nihil eâ eſſe aut jucundius, aut utilius. Nam Hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat, inquit *Plinius*. Et *Quintilianus:* Hiſtoria per ſe tenet Lectores; & nullius aut facultatis, aut diſciplinæ tanta utilitas exſiſtit, quanta hiſtoriæ. Sed methodum ſtudiorum, non Elogium hiſtoriarum,

ſcribere

ſcribere inſtitueram. Redeo itaque unde digreſſus ſum.

Poſt abſoluta præambulatoria hæc ſtudia; reſtat jam tandem *Theologia*, Artium & facultatum illa Regina, & Scientiarum omnium apex: cui te Parentes dicârunt; & ad quam ſponte te inclinare, & propenſum eſſe animadverti.

Ebræa Lingua.

In hac ut cum fruge verſeris, & cum fructu proficias, etiam atque etiam tibi commendo *Linguam Ebræam*: in qua excellit doctiſſimus Præceptor tuus *Iacobus Crucius*, quem adire, atque eâ de re conſulere poteris; qui diſcipulo ſuo methodum præſcribere, & conſilium dare (quæ ejus eſt humanitas) non renuet. Et quis poſſit melius? Nam in Sancta illa linguâ non exercitatiſſimus modò eſt, ſed vix ſibi parem habet inter hujus ævi doctos. Hoc ego tantùm dico & moneo, ut *Druſii* ſcripta diligenter legas, & evolvas; nam quod ille olim de *Cicerone*, hoc ego de *Druſii* Lucubrationibus pronunciare non verebor: Nempe, Illum aliquando in Ebræa lingua, & Theologia fore magnum, cui *Druſii* ſcripta placere cœperint. Reliqua Præceptor tuus tibi ſuggeret, qui etiam hoc meum judicium, & conſilium (ſat ſcio) non improbabit.

Theologia.

Venio ad ipſam *Theologiam*. In qua hos tibi ante omnes legendos cenſeo. Primò, ipſam S. *Scripturam*: hoc eſt, ipſum *Biblicum Textum*, quem tibi quàm familiariſſimum reddere ſtude, aſſiduè legendo, & relegendo. nam,

Textus non fallit; multos ſpecioſa fefellit
Gloſſa: Dei *verbo nitere, tutus eris.*

Deinde paucos, eoſque optimos, Theologorum libros tibi compares, atque eos non oſcitanter, & aut perfunctoriè, ſed ſedulò, & ſum-

mâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nâ cum cura & attentione legas, & relegas, ut
unt: *Piſcatoris* Aphoriſmi, cum explicationibus
ejuſdem. *Urſini* Catecheſis. *Cuchlini* Theſes Cat-
cheticæ. *VVendelini* Chriſtiana Theologia: *Bu-
ani* loci Communes Theologici. *Scarpii* curſus
Theologicus. *Aretii* Problemata. *Paræi*, *Tileni*,
c *Profeſſorum Leydenſium* Theſes Theologicæ.
ed præcipuè *Calvini Religionis Chriſtianæ Inſtitu-
io*; Liber incomparabilis, tam quoad ſtylum,
uàm quoad rem, & materiam, de quo Poëta
quidam verè ſic cecinit:

Præter Apoſtolicas, Chriſti poſt tempora, chartas,
Huic peperere Libro ſecula nulla parem.

Deinde addatur Theſaurus ille Theologiæ
nexhauſtus, *Petri Martyris* Loci Communes
Theologici: quem utrumque Librum de melio-
e notâ tibi commendo. In controverſiis Papi-
ticis, lege primò *Feſti Hommii* theſes Antibel-
arminianas; & *Platzii* lucum ſucciſum erro-
um pontificiorum; & *Chemnicii* examen Con-
ilii Tridentini. & poſt illos ipſum *Bellarminum*,
c contra eum *Ameſii* Bellarminum enervatum:
Vorſtii Antibellarminum contractum; & Pan-
tratian Catholicam *Chamierii*. His adde *Riveti*
Catholicum orthodoxum: *Perkinſi* Catholicum
eformatum: *Voëtii* deſperatam Papatûs cauſ-
am; & præcipuè Opera omnia *VVithakeri*. nec
non *Rainoldi*, *Molinæi*, & *Mornæi* pleraque. Item,
Marnixii Apiarium, librum utilem ſimul, & ju-
undum; qui non tam ſeriò, quàm joco Ponti-
icios refutat, & religionem eorum (puerilem
anè, & ridiculam,) naſo ſuſpendit adunco. Con-
ra Remonſtrantes habes Collationem Hagien-
em; Acta Synodalia Dordracena; & Cenſu-
am Profeſſorum Leydenſium in Confeſſionem
Remonſtrantium, Contra Anabaptiſtas habes
Bullin-

Bullingerum, Fokelium, Udemannum, &, qui nuper Belgicè prodiit, Doreſlarium.

Patres.

Iam de antiquis Theologis (qui *Patres* vocantur) & de *Scholaſticis Doctoribus*, quid ſentiam, paucis ſic habe. *Patres*, & Patrum eruditionem ſuſpicio, & maximi facio: ſed tamen tibi Autor non ſim, ut illos, hac quidem ætate, legas, ſed differas, uſque dum provectioris ætatis, & maturioris judicii fueris. Nam multa habent non ſolum fluxa, ambigua, futilia, & ſuperſtitioſa, ſed etiam quædam non uſquequaque proba, & ſana; quæ ſubactum judicium, exercitatum ingenium, & plurimam lectionem deſiderant, per quæ vera à falſis, adulterina & ſuppoſititia à genuinis diſcernantur: cui rei apprimè conducit *Specimen Critici Sacri*, judicioſſimi Viri *Andreæ Riveti*. Multa (inquit *Vives* papiſta) in Patribus à plagiariis Monachis mutata & adulterata ſunt: Adde quòd à Patribus non pauca, dicta & ſcripta ſunt, quæ per omnia non ſapiunt Orthodoxam, Apoſtolicam, & Catholicam veritatem. Legendi tamen aliqui propter pietatem, & ſalutaria ad virtutem & devotionem monita: nec non propter Antiquitates Eccleſiaſticas, & Hiſtoriam illorum temporum; ut, *Lactantius*, *Minutius Felix*, *Cyprianus*, *Arnobius*, *Salvianus*, *Sulpicius Severus*, *Hieronymi Epiſtolæ*, *Auguſtinus de Civitate Dei*, *Clemens Alexandrinus*, *Euſebius*, & ſimiles.

Antiquitates Eccleſiaſticæ.

Quos legendos dico, inter alia, propter hiſtoriam illorum temporum, & propter *Antiquitates Eccleſiaſticas*; quorum cognitio Theologo non ſolùm utilis, & jucunda, ſed & neceſſaria eſt. Nam quid jucundius, imò quid utilius Theologo, quàm ſcire quo modo gentes ad religionem Chriſtianam converſæ ſint; quantis perſecutionibus

nibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nibus Eccleſia Chriſtiano ſubjecta fuerit; quan-
o illa ſanguine initio cœperit, & ſuccreverit?
qui martyres, qui Patres, quo tempore vixerint;
quibus Eccleſiis inſervierint ; quos Libros ſcri-
ſerint? qui Hæretici,ubi,& quando exorti;quid
radiderint ? quæ Concilia , & quando habita;
quid in illis, & quibus auſpiciis decretum?quan-
lo , & quibus viis tyrannis ſimul , & ſuperſtitio
Eccleſiam invaſerit? quo tempore,& quibus gra-
libus Antichriſtus venerit? quæ origines Mo-
nachorum, Monialium, Eremitarum, feſtorum,
ejuniorum, quadrageſimarum,indulgentiarum,
peregrinationum religionis ergo , jubilæorum,
purgatorii , adorationum & venerationum San-
ctorum , imaginum & reliquiarum , Miſſarum,
Annatarum , Encæniorum , & mille cerimo-
niarum & ſuperſtitionum in Papatu , aliaque
nnumera? Quæ omnia ſparſim legere licet in Pa-
ribus. & præcipuè in *Euſebio* , & reliquis hiſto-
iæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus : nec non in *Cen-
turiis* Magdeburgenſibus ; in *Hoſpiniano* de tem-
plis , de Monachis , & de feſtis ; in *Illyrici* Cata-
logo Teſtium veritatis: in Mornæi myſterio ini-
quitatis: & in *Caſauboni* exercitationibus contra
Baronium , quas inprinis tibi commendo. In iis
enim Papatus Romanus, detractâ larvâ Antiqui-
tatis, nudè detegitur, & totum *Baronium* ex me-
ris figmentis, falſis miraculis , ſuppoſiticiis do-
ctrinis , & vanis cerimoniis ac ſuperſtitionibus,
quibus cæci & miſeri homines in Papatu deci-
piuntur ,) confutum eſſe oſtenditur. His adde
Epitomen Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Iohannis Pappi*;
in qua quàm breviſſimè agit de converſionibus
Gentium, de perſecutionibus Eccleſiæ,de hære-
ibus,& de Conciliis.

Scholaſtici Doctores.

Quod attinet ad *Scriptores Scholaſticos*; prorſus
ab iis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ab iis manus, & mentem abſtine. Nam quorſum ſcientiam haurias ex turbulentis, & feculentis ciſternis, cùm limpidos S. Scripturæ fonte adire liceat? Unus *Auguſtinus* inter antiquos & unus *Calvinus* (in inſtitutionibus Chriſtiana religionis) inter neotericos, (abſit dicto invidia!) plus ſolidæ Theologiæ tibi ſuppeditabunt, quàm omnes Romano-pontificiæ Eccleſiæ *Scholaſtici* doctores, cum omnibus ſuis vanis diſputationibus, jejunis diſtinctionibus, ſophiſticis argutiis quodlibeticis quæſtionibus, contortis & intricatis ſyllogiſmis, ſtultis & deliris ſpeculationibus, moroſis denique atque inutilibus rixis altercationibus & jurgiis: quorum *Thomas Scotus*, *Lombardus*, *Bonaventura*, *Gregorius de Valentiâ*, *Molina*, *Vaſquez*, *Suarez*, *à Soto*, *Bellarminus*, & alii Romanæ Eccleſiæ doctores, & magiſtri noſtri ad nauſeam, & faſtidium uſque pleni ſunt.

Quid Theologia hæc Scholaſtica aliud eſt, quàm ignorantia veritatis, & inanis fallacia? ut Vir quidam doctus de eâ non malè judicat. Imò quid aliud eſt, quàm immenſum inanium & nihili ſpeculationum Chaos? Theologia hæc Scholaſtica, quanta quanta eſt, magis Ethnica, quàm Chriſtiana eſt; non ex S. Literis hauſta; ſed tota ex *Ariſtotelis* Metaphyſicâ conſuta, & conflata; quæ multò plus habet rixarum philoſophicarum, quàm Chriſtianæ pietatis; imò quæ Chriſtianam pietatem argutiis ſuis profanavit, & veram Theologiam paſſim in Academiis & Scholis, vanis ſuis doctrinis, & philoſophicis terminis contaminavit, & corrupit. Hoc fatetur ipſe Abbas *Trithemius*; homo Pontificius. Hoc tempore (inquit,) Philoſophia ſecularis ſacram Theologiam ſuâ curioſitate inutili fœdare cœpit. Hinc etiam Vir doctiſſimus inter ipſos pontificios, *Ludovicus Vives*, conqueritur:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quòd ad probanda fidei Chriſtianæ myſteria pontificii doctores plura argumenta adferant ex Ariſtotele, & ejus Metaphyſicâ, quàm ex ipſis Sacris Literis, aut ſcriptis Apoſtolorum; ut putes, (inquit,) eos eſſe Athenis Ethnicis, non Pariſiis Chriſtianis. Et *Eraſmus* noſter, qui Scholaſticos & eorum Theologiam (ſi quis alius) probè noverat, dicit: Theologiam illorum eſſe meras nugas, curioſas ſpinoſaſque argutias, & jejunas quæſtionum anxietates; Adeóque ſe malle eſſe Theologum pium, cum Chryſoſtomo, quàm cum Thomâ invictum. Et ut meum etiam de iis proferam judicium, dico breviter: ut Philoſophi gentium in ratiocinationibus ſuis evanuerunt; (Roman. 1. cap) Sic Scholaſtici Papiſtarum doctores ſophiſticâ ſuâ ſeſe, & mundum totum excæcarunt.

Reſtant *Commentatores*, & *Commentaria*, ex quibus, meo judicio, optima ſunt: *Marlorati*, *Calvini*, *Martyris*, *Lavateri*, *Muſculi*, *Zanchii*, *Paræi*, & *Riveti*. Hi Theologi pro tempore ſufficient, aut etiam pauciores: quibus per occaſionem addi poterunt alii Theologorum inſignium libri & tractatus; ex quibus perfectior eruditio, & reconditarum rerum ſcientia ſuo tempore hauriri poterit: ut ſunt, *Calvini*, *Perkinſi*, *Zanchii*, *Urſini*, *Ivelli*, & aliorum opuſcula Theologica. *Iohannis Gerardi* loci Communes Theologici *Chemnicii*, *Leyſeri*, & *Ioh. Gerardi* harmonia Evangelica. *Flacii Illyrici* Clavis S. ſcripturæ. *Cameronis* Prælectiones de Eccleſiâ. *Wolphii* Memorabilia. *Zepperi* pleraque. *Fulleri* Miſcellanea Sacra. *Iacobi Capelli* Hiſtoria Sacra, & Exotica. *Voßius* de Origine & progreſſu idololatriæ. *Franzii* Hiſtoria animalium Sacra. *Mornæus* de veritate Religionis Chriſtianæ. *Stella* de Vanitate mundi. *Melchioris Adami* Vitæ Theologorum. *Eraſmi*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Vivis,Rivii, & ſimilium opuſcula pleraque. & alii non pauci,quos,datâ occaſione,emere & legere poteris. Quibus adde *Practicos Theologos*, quorum numerus infinitus eſt. præcipui ſunt inter noſtros, & Lutheranos: *Ameſius, Alſtedius, Caſmanus, Chytræus, Iohannes Gerardi, Spinæus, Taffinus, Molinæus, Voëtius, Udemannus, Teylingius.* Inter Anglos: *Perkinſus, Couperus, Draxus, Dycke, Baille, Dounam, Linacker, Abrenethi.* & inter Pontificios *Thomas à Kempis, Drexelius, Stella, Pelecyus, Buſæus, Corenus,* & infiniti alii.

Sed hui, (inquies) tam multos libros in tanta temporis inopiâ! & non multos tantùm, ſed varios, & de rebus, & artibus variis. Reſpondeo; Artes omnes inter ſeſe indiſſolubili quodam vinculo quaſi connexas, & concatenatas eſſe, ut una ſine alterâ ſubſiſtere nequeat. Et ſi unam noſſe velis, omnes pænè perdiſcere neceſſe ſit. Omnes Artes (inquit *Cicero*) quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Sed objicias forſan: Paria ſunt, omnia complecti velle; & nihil. Item: Impar homo efficitur ad ſingula, cùm confusâ mente dividitur ad multa. Item, *Omnibus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.* Sed vana ſunt hæc omnia, cognate; uti & hoc proverbium, quod vulgo jactatur, *in omnibus aliquid, in toto nihil:* Nam qui non eſt in omnibus aliquid, in ſingulis eſt nihil. Omnes enim artes, & ſcientiæ (ut dixi) cognatione quadam inter ſe continentur. Hoc etiam judicium fuit ſummorum Theologorum, non antiquorum tantùm, ſed & recentiorum, qui in omni humaniori literaturâ, in omnibus ingenuis ſcientiis & artibus, in omni Philoſophia, & hiſtoriâ fuerunt exercitatiſſimi. Nec te moveant voces eorum, qui contrarium tibi perſuadere conantur.

Profectò

Profectò veræ Philoſophiæ (addo etiam Theologiæ) divina ſoboles , abſque orbe illo ſcientiarum abortiva eſt; inquit magnus ille *Cæſar Scaliger*. Fateor equidem magnam partem humanæ ſapientiæ eſſe , quædam æquo animo ignorare velle. Et cum Stoico Philoſopho , habendam doctrinam cum modo; plus enim ſcire quàm ſatis, intemperantiæ genus eſſe. Et cum eodem, Cupiditatem diſcendi dirigendam eſſe , ne ipſa ſe impediat ; neque enim paſſim carpenda , neque avidè invadenda eſſe univerſa : Per partes perveniri ad totum ; aptari onus viribus debere, nec plus occupari, quàm cui ſufficere poſſumus. Sed cum eodem, Si bonum habeamus animum, capiemus, & hauriemus tantum Eruditionis, quantum volemus; modò adſit dicendi pertinax voluntas, & indefeſſus labor. Nam labor omnia vincit improbus. & juxta Horatium:

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit, & alſit,
Abſtinuit Venere , & vino. ———

Nihil tam altè natura poſuit, (inquit ille) quò virtus pervenire non queat. Quodcunque imperavit animus, obtinuit. Nunquam itaque deſpera, ſed ſemper ad ſumma contende. Etiamſi ſucceſſus ſemper non reſpondeant votis ; perge tamen,& obdura : tandem voto potieris, & victor evades. Ne te malè habeat , quod non protinus incrementum doctrinæ percipis : proficere fortè primò te non ſenties , ſed tamen profeciſſe. Sicuti enim horologii umbram progreſſam ſentimus, progredientem non cernimus ; & fruticem , aut herbam creviſſe apparet , non apparet creſcere : ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis conſtat auctibus , ex intervallo ſentitur.

Ad ſumma itaque, quantum potes, enitere, & omnes artes & diſciplinas , ſi non exactè perdi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſcere & tenere; ſaltem generalem quandam earum cognitionem habere ſtude. Ad hoc volvendum tibi omne genus Scriptorum,(ut inquit *Fabius*) ſed optimis inſiſtendum. Legendi *Philoſophi*, cognoſcendi *Hiſtorici*, non negligendi *Poëtæ*: omnium denique bonarum Artium Scriptores, & Autores pervolutandi, ſi Vir eruditus eſſe, & haberi velis. Nam ut ille, quiſquis eſt, veriſſimè dixit, Nemini contigerit unquam ullius doctrinæ laude excellere, qui non ea delibaverit, quæ ad omnium notiones pertinent; Hoc ſtudium ſummis illis, & maximis Viris *Pythagoræ*, *Platoni*, *Ariſtoteli* fuit, quos nullius Artis, aut doctrinæ ignaros fuiſſe conſpicimus: Et quò brevior hominum vita eſt,eò diligentiùs rectis Artibus incumbendum; & quò major rerum difficultas,eò acrius ſtudium eſſe debet. Et ſi tempus illud, quod ſine ulla fructuoſa operâ jocis,ludis, cantilenis, compotationibus,& ambulationibus datur, in bonarum artium ſtudiis impenderetur, nec anguſtias vitæ, nec obſcuritates rerum incuſaremus.Idem pænè dicit *Ludovicus Vives:* Exclamet hic aliquis (inquit) cùm tam multa recenſeri, & tam multos in omnibus artibus Auctores legendos audit: Ecquando tandem omnia hæc legentur? Reſpondet: à Viris confirmatâ jam ætate, tum etiam in ſenibus eo tempore, quo vel ludendum, vel nugandum: Nam ſi quis, quantum in luſionibus, quantum in colloquiis inanibus, ſæpè etiam noxiis;quantum in torpenti otio conſumatur temporis, expendat in bonis literis, comperiet planè his omnibus, quæ dixi, percurrendis,atque aliis pluribus affatim ſupereſſe. Abundamus (inquit) tempore, ſi prudenter diſpenſetur,quod malè impendendo fit arctiſſimum.

Ita eſt, mi Cognate; optimam vitæ partem otio, & nugis conſumimus: imò, quod magis dolen-

dolendum eſt, optima pars ævi perit vitiis, quibus infecti minimam temporis portionem impendimus ſtudiis; maximam amoribus, conviviis, compotationibus, & luſibus. Hæc peſtis, & pernicies eſt ſtudiorum! Hoc ſtudioſos, ſed cum ſerum eſt, exclamare facit:

O mihi præteritos referat ſi Iupiter annos!

Et profectò nullus dolor exſiſtit major, quàm qui fit recordatione jacturæ temporis. Tu, mi Cognate, aliter facias; aliter vitam tuam inſtituas; aliter tempus impendas:

Poſcas ante diem librum cum lumine, ſemperque
Intendas animum ſtudiis, & rebus honeſtis.
Atque omnia illa vita, *quæ ſpem*
Conſiliumque morantur agendi gnaviter id, quod
Æquè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè
Æquè neglectum pueris, ſenibuſque nocebit.

Hoc eſt, diligenter & continenter ſtudiis invigila, & cum *Plinio*, omne illud tempus periiſſe puta, quod ſtudiis non impenditur. Cogita, ad comparandam variam & inſignem eruditionem, & ad excellendum & eminendum ſuprà alios, magnâ curâ, ſedulitate & contentione opus eſſe, Η μελέτη (inquiunt Græci) πάντα δύναται. quo innuunt, nihil eſſe tam arduum, aut difficile, quod curâ, induſtriâ, labore, contentione, aſſiduitate, & ſedulitate non ſuperetur. Hæc *Platonem* & *Ariſtotelem* tantos *Philoſophos*; *Demoſthenem*, & *Ciceronem* tantos *Oratores*; *Homerum*, & *Virgilium* tantos *Poëtas*; *Herodotum*, & *Livium* tantos *Hiſtoricos*; *Archimedem*, & *Euclidem* tantos *Mathematicos*; *Hippocratem*, & *Galenum* tantos *Medicos*; *Auguſtinum* denique & *Chryſoſtomum* tantos *Theologos* effecit. Ita profecto eſt, mi cognate, Ad comparandam Eruditionem diligentiâ opus eſt; nam nihil eſt, quod ſedulitate, & diligentiâ non ſuperetur: Nihil, quod non expugnet pertinax

opera, & intenta ac diligens cura: Nihil, quod amore & ſtudio effici non poſſit. Qui laborem recuſat (inquit *Muſonius* apud Stobæum) ſeipſum condemnat, tanquam bonis omnibus indignum; quicquid enim eſt ubique boni, Labore comparatur.

Sed ſufflamino calamum, ne in infinitum excurrat Epiſtola. Habes, cognate, conſilium meum de ſtudiis tuis rectè, & ordine inſtituendis, & dirigendis, & quos Auctores tibi ſuadeam legendos, ut brevi, hoc eſt, minimo cum temporis & ſumtûs diſpendio, Vir doctus evadas, & in omnibus ſcientiis, & artibus, ſi non plenè & perfectè inſtructus, ſaltem mediocriter verſatus, atque inſtitutus eſſe poſſis: ut tandem cum laude, & fructu, bonum Theologum, & Concionatorem agas.

Ad quem finem tibi præſcripſi *Bibliothecam*, parvam quidem, ſed ſelectam, hoc eſt, non multis illam inſtructam libris, ſed exquiſitis: Quos etſi quadriennii, aut quinquennii ſpatio omnes evolvere, aut legere non poſſis, poſtmodum tamen iis cum fructu uti poteris, cùm ſtudiorum tuorum curſum in Academiâ abſolveris.

Bibliotheca contracta.

Sed ſi & hi fortè tibi nimis multi; ecce pauciores, & Bibliothecam contractiorem: *Eraſmi* Colloquia, *Baudii*, & *Crucii* Epiſtolas, *Baudii* poëmata, *Mureti* orationes: & inter antiquos, *Ciceronem*, *Cæſarem*, *Terentium*, *Ovidium*, *Virgilium*, *Curtium*, *Salluſtium*, *Livium*, *Senecam* utrumque, *Lactantium*: hos quidem propter ſtylum, & Latinitatem; ſed, propter res, *Plinius* legendus. In Græca linguâ, *Lucianus*, *Euripides*, *Homerus*; & propter variam eruditionem, *Ariſtoteles* & *Plutarchus*. In Philologiâ, Philoſophiâ, & Hiſtoriâ, *Eraſmi Adagia*, *Volaterranus*, *Cælius Rhodiginus*, *Camerarii*

merarii meditationes hiſtoricæ; *Alſtedii* Encyclopædia; *Keckermanni* Syſtemata philoſophica; *Alſtedii* Chronologia; *Vadianus* de tribus orbis partibus; *Munſterus*, *Magini Ptolemæus*; *Melanchthonis* Chronicon: *Iohannis Cluveri* Epitome hiſtoriarum: *Pezelii* mellificium hiſtoricum: *Sabellici* Enneades: *Thuanus*: & ex antiquis *Iuſtinus*, & *Florus*. In Theologia, *Wendelini* Theologia Chriſtiana: *Urſini* Catecheſis: *Paræi*, & *Tileni* Theſes Theologicæ: CALVINI INSTITUTIO: *Martyris* loci communes: *Chemnicii* examen Concilii Tridentini: *Vorſtii* Antibellarminus contractus: *Marlorati*, *Martyris*, *Calvini*, *Paræi*, & *Riveti* commentaria. *Vetus Teſtamentum* Ebraïcè: & *Novum* Græcè: *Biblia* Latina *Iunii*; & *Belgica* poſtremæ verſionis.

Compendioſam hanc Bibliothecam, hoc eſt, paucos hos, ſed optimos libros non leviter, aut perfunctoriè; ſed ſedulò, & cum ſumma attentione legas & relegas, volvas & revolvas: & non priùs dimittas, aut è manibus deponas, quàm ad finem uſque perlegeris, & in ſuccum & ſanguinem tuum converteris. Et ſenties te plus profeciſſe ex paucis, & certis, quàm ex multis, & variis Autoribus.

Sed priuſquam finiam, non poſſum non de meliore notâ tibi commendare lectionem duorum antiquorum, & doctiſſimorum Autorum, SENECAE, nempe, & PLUTARCHI; quos Viri doctiſſimi, & judicioſiſſimi, *Eraſmus*, *Lipſius*, *Calvinus*, atque alii, maximi ſemper fecerunt. De *Seneca* ſic *Lipſius*: Senecam amare te ſuadeam, ut ipſam Sapientiam; quia revera ille, judice me, pulcherrimus Autor Naturæ, verique. Acer in ſcriptis eſt, & verba ex animo, non ex ſummis labris profundit; ſtimuli, & ſubiti ictus ſententiarum, quibus qui non excitetur, non inter fri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

gidos, ſed mortuos à me habeatur. Enim-verò alta illa, & Providentiam; item, vitiorum odium, & rerum externarum contemtum nemo magis infuderit: Nemo, inquam, ex omni gente aut ævo, cujus ſcripta quidem exſtent. Idem: Qui Senecam diligenter legerit, & præcepta ejus imbiberit, tollere caput ſupra omnia humana poterit. Ille non ſuadet, ſed ingerit optima; & impellit ad ea, non ducit. Et *Chytraus* de eodem: Seneca acres, & efficaces ad virtutem colendam, & vitia toto pectore fugienda cohortationes habet; nec docere tantùm Virtutem, ſed inſerere animis & inculcare videtur. Autor terſus, purus, & elegans eſt in ſtylo; & doctus, copioſus, & ſapiens in rebus.

Iam de *Plutarcho* ſic judicat Vir doctiſſimus *Theodorus Gaza*: Plutarchus Bibliotheca eſt omnigenæ ſcientiæ, doctrinæ, & ſapientiæ. Non Ethica enim tantùm, & Politica; non Oeconomica, & Gamica, ſed Phyſica etiam, & medica; Mathematica, & Muſica; Aſtrologica, & Geographica; Philoſophica, & Philologica; Hiſtorica etiam, & omnis generis alia (ut ſunt ritus reconditiſſimæ antiquitatis, exempla, ſimilitudines, proverbia, apophthegmata; aliaque illuſtria orationum lumina) divinis ejus libris continentur. Et *Iohannes Beurerus*, *Plutarchi* opera (inquit) qui ſibi comparare, & legere volet, (quod omnes ſtudioſos ut faciant, hortor,) ii habebunt, quo ſe per omnem ætatem & vitam ſuam honeſtè, doctè & liberaliter oblectent in omni genere rerum, ſcientiarum & artium.

His adjunge duos excellentiſſimos Poëtas, HOMERUM & VIRGILIUM, quos ſemper in ſinu & deliciis habeas. *Homerum* dico, primum illum doctrinarum & antiquitatis Parentem, ut merito *Plinius* eum vocat;

-- *A quo*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

— A quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

In verbis, ſententiis, figuris (inquit Vir acris judicii *Fabius*) humani ingenii modum excedit *Homerus*; ut magni Viri ſit, virtutes ejus non æmulatione, (quod fieri non poteſt) ſed intellectu ſequi. Et profectò ita eſt; Omnium rerum, omnium artium, omnis non prudentiæ ſolùm, ſed ſapientiæ veſtigia aut expreſſa, aut recondita ſunt in illo. Quem haud temere *Themiſtius* dixit προπάτορα καὶ ἀρχέγονον τῶν Πλάτωνος, καὶ Ἀριστοτέλους λόγων, Primum parentem, autoremque Platonis, & Ariſtotelis ſermonum. De quo etiam ſic *Vellejus* Hiſtoricus: Clariſſimum deinde *Homeri* illuxit ingenium, ſine exemplo maximum; qui magnitudine operum & fulgore carminum, ſolus appellari Poëta meruit; In quo hoc maximum eſt, quod neque ante illum, quem ille imitaretur; neque poſt illum, qui qui eum imitari poſſet, inventus eſt. Hunc eloquentiæ, & ſapientiæ parentem aſſiduò legas; & cum illo alterum illum Poëtarum principem, *Virgilium*, de quo præſtat tacere, quàm pauca dicere, (ut *Salluſtius* olim dicebat de Carthagine) ne jejunâ atque inope meâ oratione laudes ejus deteram. Sed evectus ſum ultrà quàm putaveram. Deſino itaque, ſi priùs pauca hæc monita in aurem tibi inſuſurravero. Primò, ut libros legas animo non oſcitanti, aut vagabundo, aut aliis rebus, aut curis diſtracto; ſed libero & attento. Secundò; ut inter legendum annotes, & excerpas, quæ rara & notatu digna tibi videntur. Tertiò, ut in lectione Autorum tria hæc præcipuè obſerves: *verba, phraſes & ſenſus.* Quartò; ut quotidie exerceas *memoriam* & *ſtylum*. *Memoriam* dico: nam illa optimus eruditionis Theſaurus eſt, &, ut *Seneca* rectè judicat,

inter humanæ naturæ commoda, primum locum occupat. Nam tantum quiſque novit, quantum memoriâ tenet, & cùm res, tempus atque uſus poſtulat, promtum & expoſitum habet.

Stylum etiam quotidie exerceas; nam optimus ille eſt dicendi artifex. Scribendi exercitatio (inquit Vir quidam doctus) eſt velut anima ſtudiorum, ideóque ſæpe adhibenda, intermittenda nunquam: Nam quid prodeſt ſcire, ſi non poſſis eloqui? per eloquentiam vim ſuam exſerit ſapientia. Ideo *Cicero*, eloquentiſſimus ille Oratorum, judicabat, meliùs eſſe eloqui copiosè, modò prudenter, quàm vel acutiſſimè ſine Eloquentia cogitare. Et profectò nihil homini, & præſertim Theologo, eloquentiâ & ſtyli exercitio utilius, aut præſtantius. Certè qui ſtyli exercitia in juvenili ætate neglexerunt, (inquit aliquis non inſcitè) hi poſtea ad functiones publicas adhibiti, cùm in cœtu hominum frequentiore habenda eſt oratio, vel planè obmuteſcunt, vel deformi trepidatione perturbati, ſubinde hærent, actitubant; vel ineptè, & geſticulanter, vel alioqui ruſticâ, obſcurâ, indiſtinctâ, & præcipitanter verba effutiunt. Sed ſatis de Studiis.

De vita, & moribus paucis etiam ſic habe: Optimam vitæ rationem elige, eam jucundam reddet conſuetudo. Cum his verſare, qui te non modò doctiorem, ſed & meliorem facere poſſunt. Ebrietates, commeſſationes, atque omnem exceſſum, aut intemperantiam in cibo & potu, tanquam peſtem & perniciem animi & corporis, fuge. Cave tibi à philautia, atque animi elatione, aut præſumtione; nam οἴησις ἐγκοπὴ προκοπῆς perſuaſio profectûs, ejus interruptio & impedimentum eſt. Multi ad ſapientiam pervenire potuiſſent, (inquit *Seneca*) niſi ſe jam

perve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

perveniſſe putâſſent. Cogita, nihil ſapientiâ pulchrius, nihil virtute amabilius eſſe. Cogita, radices ſtudiorum amaras eſſe, ſed fructus dulces: & quæ laborioſa ſunt juventuti ſtudia, ea jucunda eſſe ſenectuti otia. Cogita, divitiarum & formæ gloriam fluxam & fragilem eſſe; virtutem verò & eruditionem claram æternamque haberi. Cogita, magnam eſſe partem profectûs, velle proficere; & ex adverſo, nihil eſſe, quod ſtudioſo tantopere noceat, & à diſcendo retrahat, quàm ad ſummam eruditionem pervadendi deſperatio, & diffidentia. Cogita, quòd diligentiâ, & exercitatione longè plures, quàm naturâ, præſtantes & docti evadunt. Cogita denique, nihil tam arduum, nihil tam difficile eſſe, quod humani ingenii vis penetrare non poſſit; & neminem ſine labore, ſine vigiliis poſſe pervenire ad ea, quæ nos à vulgo ſeparant. Hæc, & ſimilia animo tuo volvens & revolvens, ad laborem & diligentiam tete excita, reputans, non eſſe ingenui juvenis, timere ſudorem; nec ulli ſapere caſu obtigiſſe: ſed Deos (ut habet Græcum proverbium) bona ſua laboribus vendere. Quibus Sapientum dictis finio, & te plurimùm ſalvere, & valere jubeo In Muſeo meo, Sylvæducis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANDOVERPIANI

De

RATIONE STUDII LIBER.

Cui additus eſt ERASMI ROTERODAMI tractatus ejuſdem argumenti,

Ante omnia certum præfigi ſcopum debere.

SI quis frugem aliquam conſequi velit, nec temere, quocunque impetus rapit, vagarier: is initio conſtituat oportet, quouſque progredi in literis cupiat, quidve deſideret adipiſci. Sic namque in iis duntaxat rebas elaborabit, quæ ad ſcopum conferunt. Atqui varium iſtiuſmodi eſſe inſtitutum liquet. Pulchrum eſt enim, mediocrem autorum æquare doctrinam. Pulchrius, ad ſummorum virorum excellentiam contendere. Pulcherrimum longè, ſuperare majores omneis, atque eum tenere montis tractum, quo nec aliquis perveniſſet unquam, nec fortaſſe quiſquam eſſet perventurus. Primum prorſus facile. Medium arduum. Poſtremum tale, ut nefas videatur, ſi mente ejuſmodi quicquam agitaris. Cæterùm, quoniam fuiſſe homines conſtat, queis primas hactenus conſenſus mortalium parteis conceſſit: in hominum eſſe manu reor, altiùs paullò, quàm illi tot annis conſedere, aſcendere. Sed, per deos immortales, quàm humilis, quàm pavidi, quàm abjecti denique animi eſt, mediocrem eſſe velle! Contrà, quanta mentis dignitas, quæ ſupe-

ratis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ratis hoſtibus arcem occupabit: unde clarior ſole, univerſo orbi conſpicua ad finem uſque ævi erit! Quam tot hominum millia, quot arenas oceani litora continent, perpetuò celebrabunt. Iccirco omneis, quos dulces Muſæ numine afflârunt ſuo, hortamur, uti illic Scopum figant, quò fortiſſimus quiſque ſeſe cuperet perveniſſe. Certè ego, ſi me aut comitem, aut ſocium, aut ducem quærant, ſpem omnem planè abjicere cogor. Sic namque interim meditantem calculi premunt, ut gravi ipſa dolore mœreat mens, ut plerumque noctes abducat inſomnes angor. Veruntamen, ſpe ſopitâ, labor non antè quieſcet, quàm ſævitia mortis, atque extremus vitæ dies, lumina noſtra condat. Laborabimus ſemper, etiam ſi fructum nullum, gloriam nullam, nullam laudem conſequamur. Metam contingat alius, alius caſtrum expugnârit; conatus tamen noſter nunquam eſt defuturus. In hoc animus arma ſum ſit ſplendidiora auro, operoſa magis, quàm ſtrenuus unquam induit Achilles. Stricto manus ferro tremit, munitum galeâ caput eſt, corpus totum nunquam non ære reſplendebit. Tubarum clangor implebit cœlum, campos pavor ipſos invadet, ingruentibus undique copiis. Flammam concepit, quicquid in membris materiæ latet. Tacere non poſſum, quod ingens ardor, aut vis, quæ in corpore ſpirat, ut ſcriberem imperavit. Nec arrogantis eſſe arbitror, laborem duntaxat, victoriæ ſpe relictâ, profiteri: ingredique viam, quâ tot viri ad virtutem contenderunt. Equidem me in mille diſcerpi parteis malim, (diſpeream, ſi ſecus loquor ac ſentio!) quàm remittere animum ad ſumma evadendi. Vincere velle veteres illos eloquentiæ principes, non ſuperbiæ modò, ſed furoris cenſeatur. In iis etenim omnia prope elaborata adeò, adeò abſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

luta apparent, ut verbum vix ullum aut addere, aut detrahere, aut immutare vel tranſponere poſſis. At ego nil eſſe tam arduum, tamque admirabile in rebus humanis exiſtimo, quod hominum non poſſit induſtriâ comparari. Itaque (ut ſemel finiam; ut eloquar quid velim,) ſi quis inter mortales ſit, quem hæc victoria, hæc laus, hic triumphus, hæc tropæa moveant, immenſum pectore robur trahat, dicatque cum Marone:

-- Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum (modò vita ſuperſit)
Aonio rediens deducam vertice Muſas.
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.

Adſpirantem ad alteriora, quàm majores pervenere, nemo compos mentis improbabit. Nec dubito, quin pleriſque inferioris doctrinæ viris, quos ſecula ſuperiora vidêre, idem fuerit inſtitutum, licet eventus fefellerit. Quorum conditio nobis non aſpernanda. etenim in magnis rebus vel conatus laudari ſolet. Cenſent complures, ſtudendum eſſe, ut vivamus molliter, non tanto furore ſæviendum, illi qui plus corporis, quàm animi bonis conſulunt: qui non perpendunt, quàm ſpecioſa, quàm cœleſtis, quàm divina quædam res ſit, mens ornata diſciplinis variis. Ego ſanè non video, quid hæc hominum monſtra, quæ corpus grande circumferunt, vel ægrè trahunt potiùs, à bobus diſtent, niſi quod loquantur, non mugiant. Facies ſtupida, aſpectus hebes, craſſa labra: ſemper terram & pabula ſpectant: venter ingens, quem quater aut quinquies quotidie replent. Iſthæc animalia generoſos ſpiritus ad alta natos trahunt ad quietem: aliqua diſcenda arbitrantur, quæ more ſuo apud imperitos inter convivandum queas oſtentare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Agite ergo, nobilior propago juventutis, quibus corpus omne ardore tremit; (reliquæ turbæ non magis loquor, quàm ſtupidis animantibus,) agite; inquam, animi noſtri pulchritudinem quæramus, hujus decore gloriemur, atque contra brevitatem ævi, memoriam noſtri quàm maximè longam efficere conemur! Cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi: illò pergamus igitur, unde nobis origo eſt. Quemadmodum radios ſolis contingere quidem terram videmus, ſed ibi ſunt unde mittuntur: ſic animus ſacer converſetur nobiſcum, ſed hæreat origini ſuæ, illinc pendeat, illuc ſpectet ac nitatur. Leonis ſequamur ingenium, quod animal ſolitarium eſt, experſque ſocietatis. Nemo majorem agnoſcere debet in orbe, niſi illum ſolum, qui ſolus orbem condidit. Nihil placeat, niſi quod ſummum eſt. Hoc enim plus ſapies in rebus æternis, quò magis ſtupes ad humilia. Utinam è tot millibus unus animoſo pectore, quo diximus, penetraret! Quem ſtudioſis omnibus eſſe ſcopum optârim, hactenus dictum.

Amari ſemper labores, & contemni luxum debere.

AH libri leges excedere cogar: gravioreque dicendi formâ, quàm conſuetudo poſtulat, animantes ſtupidiſſimas ad æternam gloriam excitare. Qui ſub ſignis noſtris merere ſtudet, in primis amplecti vigilias ac labores debet: fugere luxum, delicias, & quicquid effeminatum reddit animum. Dormire malit ſubjectis corpori aut ſaxis aut lignis, quàm plumis pellibuſve. Veſci alimentis aſſueſcat, quæ minimè placere ſentit palato: averſetur ea, quæ voluptatem ullam adferunt.

Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemque decuſque parabit:
At qui deſidiam luxumque ſequetur inertem,

Turpit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Turpis inopſque ſimul, miſerabile tranſiget ævum.

Corporis tamen valetudinem curet: namque ſine ipſa nihil efficere animus poteſt. Stare malit quàm ſedere; currere, quàm ire: nunquam arma deponat è manibus. Hæc omnia & & corpori robur adferunt, & menti vigorem. Ut enim arborum robuſtiores ſunt partes Aquiloni oppoſitæ, quàm quæ Auſtrum aut Zephyrum ſpectant: ita fortiores ac firmiores ſumus in iis rebus, in quibus nos aut adverſa Fortuna, aut labor magnus exercuit. In labore viget virtus. Nec poteſt eſſe magnum, quod ſine pulvere & ſudore contingit. Ita namque naturæ parenti placuit, ut præſtantiſſima quæq; non niſi ſummis vigiliis conſequamur. Res verò viliſſimæ ſicut laborem non requirunt, ita finem habent inglorium: & facilè parta facillimè dilabuntur. Si quis aliud meditetur, aut facturum ſeſe putet, is noſtris ſe copiis ne audeat adjungere. In militia hac majorem à milite poſcimus curam, quàm haberi conſuevit in principum exercitu aliorum. Nec injuriâ. Illi enim exiguam ſolùm orbis partem, nempe urbem aliquam: univerſum nos mundum petimus. Illi ad annos aliquot rerum futuri domini ſunt: nos gloriam noſtram non niſi orbis temporumve fine metimur. Proinde ſi quiſquam non alium hîc fore laborem ſperârit, quàm apud Imperatores, qui urbem aliquam milite cingunt, is hinc faceſſat pondus inutile ad mediocrem turbam, ubi ſeſe rem pulchrè videntur geſſiſſe, atque mirè ſibi applaudere in rebus etiam viliſſimis conſuevêre. Socrates ille non hominum modò, verum etiam Apollinis oraculo ſapientiſſimus judicatus, & perennis philoſophiæ fons, dicere ſolebat: *Radicem quidem eruditionis peramaram eſſe, ſed fructum habere jucundiſſimum: initioque magnos adferre labores,*

ſed honeſtiſſimum ſudantibus præmium reponere. Ergo, ô tu quiſquis es, cui ignea vis in pectore exarſit, cui flamma in præcordiis micat: procul, procul abſint mollia, lenia, facilia, blanda, quæ animi impetum exſtinguere ſolent! Dura petamus, dura, inquam: feramur per ſaxa, per rupes, per ignes. Fatigare juvet Scyllas, Syrtes, Charybdas, ac reliqua monſtra aquarum. Si quicquam in mundo ſit arduum, ſi uſquam pericula, eò contendamus. Exhauſtum ſudorem ingens comitatur gloria. Si magnum aliquid in orbe apparet, noſtrum id eſt. adde momentum temporis. Summo ardore, impetu, vi, ociùs fulmine illuc ſpiritus celer tranſvolet, ubi propior aliquis victoriæ eſſe locus poſſit. Multa exſilia patent fugienti. Patria eſt, ubicunque virtus ſedem ſibi elegerit. Audendum eſt, audendum fortibus viris. Fortuna ipſa aperit viam, invita etiam, velit nolit. Vis nulla ſit, quæ vim iſtam poſſit coërcere. Huc omnes conatus advolent: nihil hoc inſtitutum mutare queat, niſi mors, quæ rerum omnium finis eſt. Dura aliquis præcepta vocet mea: dura fatemur eſſe; ſed ut valeas, multa ferenda tibi. Secundæ res felicem; magnum verò faciunt adverſæ. Alexander tot vigilias, tot labores pertulit, quo neminem in orbe relinqueret, qui non ſuo ſubeſſet imperio: & nihil nos tentabimus? ſic ſine honore, ſine memoria exſtinguemur? Ἀνδρῶδες ὀυδὲν ἐπιδεδειγμένοι; Plinius (opinor) uſpiam refert, Pompejum Magnum inter Alpes & Hiſpaniam exteriorem octingentas urbes populo Romano ſubjugâſſe: quur nos in re tam facili adeò ſumus deſides? Verùm medius fidius proverbium vulgi, Literatos omnes ignavos eſſe. Satis diu, heu nimium diu collegimus robur; aper-

* *Virile nihil operati?* Vel, *Quum virile nihil oſtenderimus?* Vide annotationes Autoris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

to Marte agendum eſt. Abeant, qui verba iſt. hæc ſapere clament arrogantiam. Abunde relata nobis gratia erit: nec laborem nos hunc fruſtra putabimus inſumſiſſe, ſi illorum conſequi favorem poſſimus, quibus ipſa profuerint, quorumve mentem ad altiora paullò, quàm erant ituri, incitârint. Si redamant aquilæ, redamant delphines amantem: quis pectore adeò duro, imò quis tam barbarus, tam ab omni humanitate alienus fuerit, qui non mutuo amore complectatur eum, cujus conſilio vel labore profecerit? Ego ſemper excelſi eſſe animi duxi, quicquid vulgare eſt, faſtidire: atque monumentum ſui immortale inter mortales relinquere. Cæterùm nos maleſani, dum florem terimus ætatis, vanis blandiſque ducimur illecebris: poſt ſenio confecti, in corporis morbos, in vitæ finem pellimur.

Nunquam deſperandum eſſe.

Si nos interim ſucceſſus deſtituat, deterreatve labor; non continuò deſiſtendum cenſeo. Si fortè nos, in ſublime tendentes ad montis verticem, decies præcipites devolvamur, imò centies, millies; toties ardentiùs, ac inflammatiore ſpiritu iter idem arripiemus, ad eundem verticem advolabimus. Rex Alexander, generoſi homo ſpiritûs, domiturus orbem, ad rupem venit ita ſublimem, ut aditum militibus nullum reperiret. Eò principes aliquot confugerant, advecto commeatu in biennium, ſperantes fore, ut interea homo aut moreretur, aut minus ſæviret cupidine imperandi. Hi ridentes, num Alexander volare poſſit, exploratores illuc miſſos interrogabant. Nunciatum hoc Regi eſt. Qui graviter id ferens, volenſque ſuos ad victoriam incitare, ajebat: Nihil tam altè poſuiſſe naturam, quò virtus pervenire non queat. Nec multò pòſt petram occupavit, pollicitus antè decem talenta illi, qui primus

ad

ad verticem evaderet: novem ſecundo: ſequenti octo: quarto ſeptem: ſic uſque ad decimum decreſcente numero. Quâ de cauſa non malè habere quenquam debet, ſi non protinus incrementa doctrinæ ſentiat. Sicuti enim horologii umbram progreſſam ſentimus, progredientem non cernimus: & fruticem aut herbam creviſſe apparet, non apparet creſcere: ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis conſtat auctibus, ex intervallo ſentitur. Leonis catuli informes naſcuntur, vix ingrediuntur ſemeſtres, non moventur niſi bimeſtres: ſic aliquando egregia futura, tardè ſolent provenire. Contra, quæ ſpectatiſſimè florent, celerrimè marceſcunt. Bene actum ſecum putat mercator, ſi poſt decennem navigationem, poſt mille incommoda, mille vitæ diſcrimina, rem ſibi comparaverit paullò uberiorem: & nos pavidæ animantes primo impetu ſpem omnem abjiciemus? Quodcunque imperavit animus, obtinuit.

Opes debere contemni.

Falsò queruntur, obeſſe literis egeſtatem: neque facilè emergere, quibus res anguſtior ſit. Contrà nihil videtur accommodatius, nihil magis neceſſarium penuriâ: cujus beneficio artes omnes inventæ ſunt; ut ſcitè Theocritus de Penia perſcripſit. Nam quemadmodum corpora habentibus pinguia & valida, nullum erit valetudinis emolumentum, ſi animus ſegnis fuerit, ac dejectus: ſic & illis, qui humili conditione ſunt, nullum ex hac re nocumentum, ſi animus nobilis ac generoſus fuerit. Corporis & fortunæ dotes evaneſcunt ociſſimè: virtutis laus æterna eſt. Vidimus, multos honore conſpicuos celſarum dignitatum inſediſſe faſtigiis, & diffuſo uſquequaque cenſu per orbem patrimonia propagâſſe, quorum ampliſſimæ opes abierunt; tranſierunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

runt & ipſi tantarum opum domini. Quamobrem non omnino diſplicet ſententia illorum, qui magnam auri vim conjecerunt in mare, niſi quodid ipſum non dederint egentibus. Equidem eo ingenio ſum, ſemper fui, & ſemper ero, ut ſummam inopiam, quàm ſummas opes, malim. Metuerem enim, ne pernicioſa eſca mentem occuparet meam: neve tam vilis metalli cura ſtudia dulciſſima impediret. Mediocrem tamen modum ad vitam tuendam neceſſarium eſſe non pernego. Nec aurum contemno, nec magnas opes, quæ mentem à literis abducere queant. Ferè fit, ut bona animi, corporis mala: rurſus corporis bona, animi mala ſint. Nihil ſanè rarius, nihilque magis arduum puto, quàm hominem eſſe & eruditum, & divitem. Quapropter certum habeant illi, qui genere & opibus clari ſunt, ſeſe nunquam aliquid memoratu dignum effecturos. Fieri poteſt, ut opuſculum non ſine laude prodeat in lucem, ſed ad ſummam illam gloriam perveniet nemo. Vidi complures nobili ortos genere, qui amplâ mercede conductis præceptoribus, optimas quaſque diſciplinas breviſſimo tempore perdiſcebant. Verùm eoſdem haud multò pòſt inveni duxiſſe uxorem, alere familiam, ſervos, equos, canes. Id fecerat cupido pernicioſa opum. Adde quod parentes facilius tolerabunt, te Deum pejerare ipſum, homini vitam adimere, quàm ut auri amor decreſcere videatur. Et mihi ſæpenumero objectum eſt, in iis me ſudare rebus, quæ ad farinam non ita multum facerent.

Adfectandas eſſe ſtudioſo laudes.

Magnum futuræ victoriæ ſignum eſt excitari laude, ſi pulchrè geſſeris quicquam: atque ſi ab aliis vel reprehendi te, vel ſuperari videris, dolere, incendique ad altiora. Siquidem, ut Ovidius ait,

ſit, non parvas animo gloria dat vires, & fecunda facit pectora laudis amor. Igitur gloriæ ſtudioſiſſimum eſſe adoleſcentem oportet, qui ad ſumma conabitur. Nihil enim video, quid poſſit eruditio ſine laudum cupiditate; laudum cupiditas ſine eruditione. Ita alterum alterius præſidio ſemper innititur.

Quibus rebus facilè ſumma peritia poßit comparari.

Quæ prima eſſe debeant adoleſcentis officia, dictum: nimirum ut ſumma petat, ut amet labores, deſperet nuſquam, contemnat opes, ut ſit avidus laudis. Reliquum eſt uti doceamus, quâ ipſe viâ literis incumbere feliciter queat, atque ſine negotio ad ſumma brevi pervenire. Quemadmodum in Chao admonui, tres potiſſimùm in ſtudendi modo gradus ſunt, *audire, docere, ſcribere.* Quoque magis pavida mœreat multitudo, quæ ad celſiora nuſquam auſa adſpirare, vitam omnem inani metu perdidit: bonum & facile eſt audire: melius ac facilius docere: optimum & facillimum ſcribere. Partem primam eò eſſe difficillimam judicamus, quod nihil magis arduum ſit, quàm attentè audire unâ horâ profeſſorem. Quum aliorum ego intereſſe lectioni ſolebam, ſingulas horas ſingulos fore dies arbitrabar. Quoniam tædioſum, cogitationem liberam ad vocem legentis cohibere. Verùm quando aut docemus, aut ſcribimus, exercitatio ipſa omne aufert tædium. Hac re perterriti adoleſcentes, quia & labores immenſos in ludo pertulerunt, & operam in ſequentibus; hoc eſt, in docendo ac ſcribendo, longè fore graviorem opinantur, literas ſæpe deſerunt. Ad præceptores itaque pertinet, pueros admonere, nihil eſſe moleſtius, quàm id, in quo verſantur; reliqua omnia futura leviora. De partibus his tribus nonnulla deinceps

ceps eloquemur, ſi priùs aliquid de lectione ſolitariâ tradiderimus.

De ſolitaria lectione.

Solitaria lectio, quâ omnes pænè domi tabeſcunt, minimè placet. Ea ſiquidem ut maximum faſtidium; ita nullum prope fructum adfert, & vehementer obtundit ingenii vires. Porrò ſi quandoque legere autorem libeat, id cum alio fieri velim. Mirabile enim ex alterius præſentiâ oritur judicium. Adeò ut, ſi adſit quiſquam, tanquam apertis oculis res ipſas introſpicere te; ſi nemo, ſomniare duntaxat exiſtimes. Ad hæc, quum proferenda ſunt ſtudia, caligant in luce, & omnia nova offendunt, ut qui ſoli didicerint, quod inter multos faciendum eſt.

De audiendi forma.

Sunt qui dicant, ſatis eſſe, ſi quotidie horis duabus alios audieris, atque eadem domi diligenter repetas. Verùm hi omnes expertes rationis ſunt: hi mente carent. Duabus horis oſcitanter audient profeſſorem, audita vix domi inſpicient: diem totum auferent luxus, ſomnus, tædium, fabulæ. Quid hoc aliud eſt, quàm hortari imperatorem orbis Alexandrum, uti, domitâ uſpiam urbe, ibi hæreat, eâ fruatur, eam colat, deſideat illic perpetuò? Abſit! Aliâ viâ rem aggrediemur. Non urbem enim, ſed Europam, Africam, Aſiam: non portum maris, ſed Oceanum ipſum: non terræ portiunculam, ſed mundum belli jure poſtulamus. Copiæ noſtræ omnibus ordine civitatibus per orbem totum impetu ſummo ingruent; nec diſcedemus, niſi victores. Ignavia jaceat in tenebris domi, fugiat laborem, fugiat pericula, fugiat lucem, fugiat gloriam, fugiat imperium. Sed ô pigrum animal, cui nihil ineſt cerebri, cujus omnia conſilia ad deſidiam tendunt, remedium aliud accipe. Quicquid

quid didiceris, id confeſtim doceas. Sic & tua firmare, & prodeſſe aliis potes.

In dicendo famam vanam debere contemni.

Plerique quum dubitant uſquam, accedere ad profeſſorem verentur, retinenturque pudore. Cogitant, quâ fronte illius pulſare fores auderent, cum quo nulla exſtitiſſet neceſſitudo. Sic ſecum deliberant per dies multos. Illis non momentum, non hora, non dies; ſed vita ipſa, & ſpes omnis defluit ſuperſtitione. Tales igitur, quamprimum dubitaverint, ad profeſſorem accedant, interrogent liberè. Sed paucis quæſtionem abſolvant: nam mora viris doctis ſemper infeſta eſt. Si is dedignabitur reſpondere, currendum ad alios. Nihil refert, quiſnam ille ſit, cujus ope opes noſtræ augeantur. Nec cogites, deceſſurum quid exiſtimationi, ſi aliorum egere videaris auxilio. Memineris potiùs, nullam ſpectandam gloriam eſſe, ni ad finem laborum perveneris. Ne in præmiis humanis ſpem poſueris rerum tuarum: ſuis te illecebris oportet ipſa virtus trahat ad verum decus.

Cujuſmodi diſcendæ ſint artes.

Summo oratori, aut poëtæ futuro, cumprimis neceſſariæ formæ loquendi, diſſerendi, dicendi. *Grammatice* aditum præbet ad alias arteis: quo ſi careamus, cæci per omnes diſciplinas aberrabimus, nullam nunquam optimarum pulcherrimarumque rerum cognitionem conſecuturi. *Dialectice* docendi modum exprimit: *Rhetorice* eloquendi. Ad hanc memoriæ artificium pertinet. *Græca lingua* adeò neceſſaria, ut vix quenquam dixerim eruditum, qui eam ignoraverit. Nec omittendæ *hiſtoriæ*: præſtant enim & copiam orationis, & rerum experientiam. *Mathematicæ* artes ſimul dignitate quadam pollent ſuâ: tractant enim rerum ſublimium deſcriptiones: ſimul

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

mul ad varietatem orationis faciunt. *Aſtronomia* legem naturamque docet eorum, quæ ab extremo circuitu mundi uſque ad elementa ſunt, hoc eſt, pænè orbem univerſum. In cœlo ſitum monſtrat Helices, Cynoſuræ, Βοώτȣ, Erichthonii, Capræ, Vergiliarum, Hyadum, Argus, Canopi, Syrii: quorum ortu obituque tempora omnia deſcribuntur. Velut apud Vergilium:

——— Sub ipſum
Arcturum tenui ſat erit ſuſpendere ſulco.

Item:

Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Debita quàm ſulcis committas ſemina.

Et:

Multi ante occaſum Majæ cœpere.

Nec pauca hujuſmodi exempla paſſim obvia ſunt, apud Ovidium, præſertim in Faſtis. Infra cœlum vagorum ſiderum progreſſus, regreſſus, ſtationes, defectioneſque. Solem eſſe Principem, eumque ſuperiora trigonis fere radiis convertere: inferiora, intervallo breviore.

Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primùm,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Sic petitur cœlum, non ut ferat Oſſan Olympus,
Summaque Peliacus ſidera tangat apex.

O quanta voluptas animi, non terras & maria ſolùm, ſed ſidera ipſa cognatoſque cœlos pererrare, per tenuiſſima quæque aëris ſpatia celeri impetu volatuque ferri, ac penetrare cuncta? Quo tandem gaudio adfici neceſſe eſt cum his habitantem pernoctantemque curis? Contueamur ergo candentem illum igneumque æthera, cœleſtium ignium flammas immotis oculis admiremur. Omnia enim, quæ mundi circumflexus continet, non alii uſui, quàm ſpectaculo & admirationi ſacrarum mentium fabricator orbis

videtur

videtur deſtinâſſe: idque voluiſſe, ut tantarum varietate rerum in medio operis ſui ſpatio rationis capaces oblectaremur. Mens hiſce dedita ſtudiis, non ea concupiſcit quæ vilia ſunt, non illicitis diſtringitur notis: tantùm id quod pulchrum eſt, quod purum eſt, quod divinum eſt, nihil mortale ſapiens, dulci ardore amplectitur. Pridem, abhinc luce, opinor, ſeptimâ, circa ſecundam vigiliam noctis, ſolus eram in horto quodam haud procul à meo cubiculo. In cœna fuerat mentio facta de ratione ſtellarum ejuſmodi. Mirum eſſe ſic prædici defectiones: Solem eſſe majorem terra, idque ex umbra deprehendi: incredibilem eſſe diſtantiam, quæ ſidus facit tam parvum videri: ad hæc, miram celeritatem, quod horis quatuor & viginti nos non ſuper terram, ſed tanto circuitu ambiat. Tali ſermone ultro citroque habito, peractâque cœnâ, ſub Iove ſtabam erecto ſurſum vultu, placidâ nocte, quum jam omnia ſilerent, quum in proximis ædibus lumina nulla cernerentur. Principio Lunam diu fixis oculis aſpiciebam, quæ tum plena circumfuſo rubore circulum ſuum deſcribebat. Spectabam deinde Helicen, Cynoſuram, Vergilias, Syrium, Oriona. Pòſt ſumtis in manum tabellis, carmine nonnihil hiſce de rebus conſcribere cœpi:

Oceani rurſus, mundique ruentis imago.

Mox abjecto ſtylo varias rerum vices altiore intellectu percurrebam, adeò ut & mei, & loci in quo eram, planè oblitus fuerim. Tandem cum gemitu ſic cogitabam: Quur natura parens rerum tam breve tempus homini largita es? Quur nobiles ſpiritus è medio tollis, prius quàm orbem perſpexerint? Quur cœli pulchritudinem, gratiam ſolis, ita repentè oculis noſtris ſubtrahis? Tua vis varia vim animorum ſuperat: te

admirabimur, dum vita manebit. O quám triſte erit orbari vitâ, in tanta videndi cupidine! O me felicem, Lacheſis, ſi vel ſemel ante mortem tot ſpecies animantium, tot fructuum, quos terra profert, genera, denique tot artium formas in orbe ſucceſſu ętatum proditas, cognoſcere daretur! Heu me miſerum! celerrimè volant Oceanus, Sol ac ſidera cœli: & mihi tempus perit per ignaviam, etiam tum, quum diligentiſſimus videor. Quis enim unquam adeò in peragendis rebus vehemens fuit, qui non multò eſſe poſſit vehementior, ſi extremas vires cogeretur experiri? Paucos annos Parcæ donant, iiſque negligenter utimur. Brevi aderit dies, quum communi rerum lege ad finem ſuum hujus viciſſitudo corporis deveniet. Verùm quando quibuſve exactis ſeculis rediturus ſum? Quo ævo eandem Lunam, Plejades illas, Arctos ibi, hîc Syrium iterum videbit Ioachimus? Utinam poſt annos mille ea, quæ tum naturæ, tum hominum induſtria converſa erunt, exiguo momento temporis liceat intueri. Miſer, de reditu verba facis? Quin lachrymas mitte, gravem mœrorem è pectore move, miſſa fac inania vota, ac horis potiùs fruere præſentibus. Quid te toties fatorum memoria cruciat? O ſi puerilibus annis uſus eſſem, quibus illi negotiis imprudenti defluxere! Sed quid ago? rurſus dolor recrudeſcit: quanquam fletus ratio non minus dulcis quàm juſta apparet. Quid feminarum more lachrymas fundo? En unicum remedium, vigilantiùs omnia peragenda: hoc ociùs properandum, quo tempus dabitur brevius: horis pro diebus utar, ſingulos menſes annos putabo. De cœleſti illa cognitione dictum ſatis arbitror. Næ ſenſu prorſus omni vacare judico eum, quem non delectat tam jucunda contemplatio, quem nulla rerum miracu-
la

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

la movent. Ex ea, de qua nunc loquuti ſumus arte, proficiſcitur Aſtrologia, *Medicis* magis, præcipuè ad venas ſcindendas, & decretorios dies quàm ſtudiis noſtris neceſſaria: niſi quod ſtylum varietatis luce commendet, uti abunde apparet in Lucani primo libro. Hanc falsò vulgus incertam vocat, propter errores non arti, ſed indoctiſſimorum hominum inſcitiæ & temeritati imputandos, qui citra delectum omnia effutiunt. Quæ ex hac diſciplinâ ad literas magis conferunt, quæque diſcenti fuerint jucundiſſima, hæc ſunt: Quæ duodecim mundi domus: quæ vis radii hexagoni, tetragoni, trigoni, adverſi: quid Fortunæ gradus efficiat, & qua viâ reperiatur: atque alia complura, quæ longum eſſet recenſere. Neceſſaria & *Coſmographia.* Hęc enim demonſtrat zonas, climata, παραλλήλυς antœcos, periœcos, ἀντίχθονας amphiſcios, periſcios, heteroſcios, longitudinem urbium latitudinemque, hoc eſt, quot ipſæ horis abſint ab occaſu; quot cœli partibus ab æquatore. De ea libellum emiſimus.

Gographia cognitu facilior: conſtat enim ſolâ locorum commemoratione. Id duntaxat indicat, ubi Tanais, Nilus, Tigris, Euphrates, Andros, Scythæ, Perſæ, Arabes; ſine ulla mentione cœli; ſine circulorum, latitudinis, longitudinis, umbrarum, zonarumque deſcriptione. *Geometria* terrarum menſuras tradit, hoc modo. Si quadrata forma oram habeat viginti pedum, intus eſſe viginti quinque. Si cuneatus ager longus fuerit pedes quinquaginta, latus ex una parte pedes triginta ſeptem, ex altera novem, aream eſſe pedum mille centum quinquaginta: idque deprehendi quæſito ex imparibus numeris medio, ductoque in longitudinem. In collibus vallibuſque plus ſoli eſſe quàm cœli. De his libellum conſcripſimus, cui titulus, Chaos Mathemati-

cum. Quantum hæc omnia ad ſtyli proſint ornamentum, videre licet quum in locis permultis, tum in Ciceronis operibus de univerſitate, de natura Deorum, de Divinatione, in Somnio Scipionis: in Quintiliani capite de agrorum menſurâ: in Vergilii Georgicis: Ovidii Faſtis, & Metamorphoſi: denique in Lucano. *Arithmeticam* primus Pythagoras in artem fertur redegiſſe. Hinc Pythagorei per numerum jurabant quaternarium, quo nihil apud eos videtur eſſe perfectius. Eteniam quatuor elementa, ignis, aër, aqua, terra. Quatuor anni tempora, ver, autumnus, æſtas, hyems. Quatuor qualitates rerum omnium, calidum, frigidum, humidum, ſiccum. Quatuor cœli plagæ, ortus, occaſus, meridies, ſeptentrio. *Muſice* mentem labore feſſam reficit: verùm inter diſcendum non parum aufert temporis: qua de cauſa præclarius reor frui concentu aliorum, quàm canendi artem diſcere. Ejus inventorem quoque fuiſſe Pythagoram putant. Hic primus dicitur ex malleorum ictibus vocum diverſarum numeros, modos, inflexioneſque perpendendo, Muſicam artem divinâ quadam induſtriâ confeciſſe. Citharam tradunt inveniſſe Orpheum: qui, ſi poëtis credimus, non ſolùm homines rudes atque agreſtes, ſed leones etiam ac tigres, & inferos manes lyræ ſuavitate demulſit. Fiſtulam Pan Arcadius primus inflavit. Nunc, qui in his potiſſimùm legendi ſint autores. In Grammatica Diomedes, Perottus, Valla: in Dialectica, Ariſtoteles: in Rhetorica, Cicero & Fabius præcipui. In Aſtronomia legendi Proculus & Aratus: nam apud Latinos pauci de ea doctè ſcripſere. Si altiora ſpectes, adjungere potes Ptolemæum. In Aſtrologia Iulius Firmicus, qui cæteris elegantius & verius artem tradidit. Is tamen nihil profuerit,

niſi compoſita prius ex Ephemeridum libris pictura domorum, & niſi habitis rudimentis è barbaris ſcriptoribus; quorum Alcabitius princeps. In Coſmographia Ptolomæum: in Geographia Pomponium Melam: in Geometria Euclidem cenſeo perdiſcendos. Feliciter ſtudia inſtituent, qui ante omnia è doctis autoribus artium cognitionem, hoc eſt, materiam ſeu inſtrumenta ſcribendi ſibi comparaverint. Alioqui nihil ſapiet ſtylus præter inanem loquacitatem. Summus non erit, qui non ex unaquaque diſciplina decerpſerit, quod ad ſcopum ſuum conferat. Id citra laborem effeceris, ſi nihil attigeris niſi locos communes; de quibus, quum dabitur occaſio, libellum conſcribemus.

Eloquentiæ laus.

De oratoria facultate, luce omnium diſciplinarum, plura prodentur. Non ſatis eſt tam leviter doctrinarum principem deſcribere. Iſthæc haud dubiè cæteris, quod Sol mundo, quod animis Deus. Sine hac non modò artes reliquæ, ſed res omnes, in tenebris verſarentur. Quid eſſent Romani, ſi non fuiſſet eloquentia? Quid Camillus? quid Cæſar? quid Scipio? quid maximi viri, qui nunc mortui, eloquentiæ viribus vivunt? Nemo ſanè aliquod præclarum facinus tentaret, ſi certum eſſet à morte ſui nullam fore memoriam. Denique quid Demoſtheni; quid Ciceroni; quid L. Craſſo tantam laudem pep erit, niſi eloquentia? Hæc ſiderum meatus, ventorum fragores & impetus, crepitus flammarum, undarum murmura, montium celſitudines, nemorum umbras, fluminum diſcurſus, ſic depingit, ut ea ipſa te oculis contueri exiſtimes. Hac irritare torpentes, deſides animare, temerarios retrahere, ſontes damnare, bonos extollere poſſumus. Sed quid in re immensâ laboro? Plenum inſolentiæ videtur, ſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quis hujus laudes vel conetur commendare, quæ per ſe ſunt ampliſſimæ: vel recenſere, quæ ſunt innumeræ: vel quovis modo demonſtrare, quarum lumen & ſplendor omnium oculos jam mentesque perſtringit. Prode te ipſam, eloquentia. Sentiat fulgorem, ſol lucidiſſime, tenebris immerſum mortalium genus. Nemo te niſi tu exprimere valet. Caligant in luce tantâ oculi contuentium. Tu in excelſo ſolio ſedens, mundum illuſtras univerſum. Te colentes ſimiles tui, hoc eſt, immortales, atque orbi toti per omne tempus reddis admirabiles. Quid me, Forti, niteris ex tollere, cujus gloriam olim jam agnoſcunt omnes, cujus tot exſtant monumenta, nullo ævo, nulla injuria interitura? Via quæ ad me perducit, primo ingreſſu eſt ardua, confragoſa, ſaxis aſpera, obducta ſentibus: ἐπεὶ δ'εἰς ἄκρον ἵκηται, *id eſt, poſtquam verò ad ſummum ventum erit*, lucida, plana & amœna. Quare multi initio laborem immenſum proſpicientes, abjiciunt ſpem. Complures in medio deficiunt. Ad ſummum perveniunt pauciſſimi. Hanc omnes pænè, perterriti malis, fugiunt. Verùm tanto major gloria victori, quanto victori rarior. Pulchrum, ſi intra annos mille vel unus ad verticem evaſerit. Si quis ergo plenum iſtud ſudoris iter ingredi velit, componat ſeſe ad tolerandum quicquid durum eſt. Evitanda mollia, quæque ad corporis gratiam faciunt, quo magis vigeat animus. Dum alii conviviis ac fabulis fruentur, impalleſcere chartis oportebit. Nonnulli ſe ſimul & voluptatibus & literis dedunt: verùm hi nihil aliud efficiunt, niſi, dum utrumque captant, neutro potiantur. Sine ſudore, ſine vigiliis, ſine curis perpetuis huc perveniet nemo. Ferendi æſtius, algores, calamitates. Sæpenumerò lachrimæ feſſo obortæ excident. Sæpe ſedebit mœrens, cogitanſque,

tanſque cœptis ne deſiſtere, an perficere velit quod cœperit. Tum ſurgens veluti furore quodam incitus, præceps feretur in labores, donec laſſus victuſque humi proſtratus jaceat, advolaturus iterum, ſimul atque vel minimæ vires anhelum & ſudore perfuſum accenderint. Hic noctes plerunque inſomnes ducet, cæteris dormientibus. Hunc ſæpe labore multo feſſum Phœbus admirabitur. Tu perge quo cœpiſti.

De legum ſtudio.

Divini origo juris altiùs repetenda. Principio civitates non erant: per campos, per ſylvas, per montes paſſim homines ſine veſte, ſine legibus, ſub dio vagabantur. Nondum erant domus aut ædificia: frondibus, ac pellibus à pluvia, nive, grandine ſeſe defendebant. Neque vini uſum neque frumenti noverant: ſed pomis agreſtibus veſcebantur. A poſteris urbes exſtructæ, terræque cultura inventa eſt. Cererem primam leges dediſſe hominibus, exiſtimant. Digna ſanè res, quæ divinitati adſcribatur. Quippe quæ dea fruges nobis alimentaque dederit, leges quoque dare voluit, ut vitam corpuſque non ſolùm ſuſtentaremus cibo, ſed legum etiam defenſione tueremur. Athenienſibus poſteà Solon novas leges inſtituit. Primam, ut, qui parentes ſuos non alerent, patrimoniumve diſſiparent, ii perpetuò obſcuri atque ignobiles haberentur. Alteram, qui otium ſectarentur, & inertiæ dediti eſſent, eos jure ab omnibus tanquam nocentiſſimos accuſari poſſe. Et qui in prælio pro patria cecidiſſent, eorum filios publicè nutriendos erudiendoſque præcepit. Item curatorem unà cum matre pupillorum nequaquam habitare. Eum præterea curatorem eſſe non poſſe, ad quem eſſet hæreditas pupillorum morte perventura. Poſtremò ſtatuit, temulentum principem non pecuniis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

mulctandum eſſe, ſed duriſſimâ atque ignominioſiſſimâ morte puniendum. Lycurgus quoque ſuis Lacedæmoniis leges condidit. E quarum numero hæc eſt: Pueros inopes non in urbe fovendos eſſe, ſed in agros ad uſum rei ruſticæ deducendos: ut ab ineunte ætate laboribus adſuefacti, paratiores ad tolerandam inopiam per reliquum tempus efficerentur. Principatum obtinere videntur Romanorum jura, quæ Iuſtinianus prodidit. Sine legum præſidio vita humana conſtare non poſſet. Eæ ſiquidem nemini inferri vim, nemini injuriam fieri patiuntur. Unumquemque in ſuo gradu, ſuâque dignitate tuentur. Virtutem non quærunt ſolùm, ſed præmiis exornant; non modò vitia reprimunt, ſed ulciſcuntur ſuppliciis. Quòd ſtamus, quòd incedimus, quòd dormimus, quòd ſecurè vitam agimus, id totum harum defenſioni tribuendum. Quæ niſi hominum libidines atque avaritiam compeſcerent, non uxores pudicas, non agros, non domos, non vitam tutam haberemus. Virgines è parentum amplexibus eriperentur. Paſſim per vicos à ſicariis, à latronibus, à parricidis crudeliſſimè necaremur. Omnia denique in viliſſimorum hominum eſſent poteſtate. Poſſunt imperatores leges pervertere, ſed ſuum unà cum legibus imperium pervertetur. Quamobrem? Quia nullum imperium, nulla Reſp. ſine legibus poteſt eſſe diuturna. Quâ de cauſa harum cognitionem ſummè eſſe frugiferam nemo dubitaverit. Ea enim, quo pacto inter homines verſari homo debeat, edocet. Verùm hîc diſcendum duntaxat, quantum ad ſtylum, ſeu oratoriam artem (ſi ſtudia noſtra ſectari velint) conferat. Pulchrum fuerit ſervare modum Ciceronis, hoc eſt, attingere quantum ſatis eſt. Minùs placent illi, qui ſeſe ita huic ſtudio dedunt, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nihil niſi barbariem ament, ut omnia præ legibus faſtidiant.

De Medicina.

Medendi facultas valetudinem tuetur corporis. De hac in libro de homine habemus, quantum ſatis fuerit ad lectionem Poëtarum Oratorumque, atque, ſi horum ſequi ſtylum libet, qui ſemper & elegantiſſimus fuit, & rerum artiumque varietate mirâ nobilis, ad ſcribendum.

De Theologia.

In Theologiæ ſtudio plura ne diſcat pietatis opera, quàm velit exercere. Faciliùs quippe rudem vulgum vitæ exemplo, quàm verbis, aut vano clamore, in ſententiam tuam pertraxeris. Atqui contra evenit, ut vigilantior quiſque ſit in ſcrutando modo colendi Deum, quàm in ſervando. Alii alias precandi formas anxiè præſcripſere, omnes tamen eïdem obnoxii vitio ſunt. Ore verba proferuntur; mens opes, honores, gloriam quærit. Optimè hic officio fungi ſuo videtur, qui ſtudet bene vivere.

Quædam de locis communibus.

In auctorum lectione loci communes ſignandi, hoc modo. Principio Homericæ ὀδυσσείας in margine ſcribendum PRUDENTIA, ubi ait: Ἄνδρα μοὶ ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον. Ulyſſem poëta cõmendat, quòd multa viderit à bello Trojano. Hæc ad Ethica, & laudes perſonarum, ſpectant. Paullum infrà, ÆTHIOPIA, è regione, Ἀλλ᾽ ὁ μὲν Αἰθίοπας. Æthiopes procul abeſſe à Græcia ſcribit, & in Oriente alios, alios in Occidente reperiri, quæ ad terræ deſcriptionem conferunt. In hunc modum utile fuerit communes locos, in Homero atque autoribus aliis, depingere. Ad docendi formam tranſeamus.

De ratione docendi.

Heic etiam præcipiunt, horas ſolùm debere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

dua, impendi, aut unam potiùs, quo rem accuratiùs queas explicare. At hæc præcepta ſocordiæ ſunt, hæc fugienda, heic ſpectanda inertia vulgi. Aliud nos ſentimus. Simul atque in literarum judicio promoveris nonnihil, enitere, ut per diem totum, ſi fieri poſſit, doceas. Si non ita in diſciplinis omnibus verſatus ſis, ſi non tantùm opum congeſſerit ſedulitas, ut per multas id horas queas præſtare: ea doce, quæ noveris, eaque diverſis horis, aliis atque aliis conveniet inculcare, juxta vulgarem ſententiam: Multum legendum, non multa. Ita nihil erit difficile, ſi perpetuò ſine præmeditatione poteris profiteri. Satis ſit ſi quiſpiam te audiat. Interea exercitio miram rerum copiam tibi comparaveris. Ubi decies rem eandem docueris, plus te ſenties profeciſſe, quàm ſi fugiens lucem magno te domi labore confeciſſes. Per ſingulos dies duodecim docere horis ſolebam. Præterque ipſas ſemel interim declamare, vel de Deo, vel de mundo, aut thematibus aliis, exercitationis cauſa. Nonnulli inſanire me vociferabantur, ſed utinam ſic ab ineunte ætate contigiſſet inſanire! Tanti ego facultatem iſtam facio, ut malim judicium adoleſcentis, qui perpetuo docuiſſet, etiam res humillimas, quàm ejus, qui ſolitariâ domi lectione autores optimos perlegiſſet. Multa ſæpe legi, ſed menſis unius intercapedo memoriam ita deleverat omnem, ut vix dum ſcirem quos legiſſem. At quæ alios docui, ea tam mihi perſpecta ſunt, quam corporis membra ipſa. Ea non aliter ac Solis ſplendorem ante oculos hærere ſentio. Horum cognitionem firmam eſſe, certam eſſe, frugemque proferre ampliſſimam, experimento comperi. Horum memoriam vix morte credam exſtingui poſſe. Cæterùm nolumus indoctos protinus autorem publicè profiteri: id enim furori

rori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rori eſſet ſimile: ſed domi doceant, aut puerum unum aut duos, aut tres, donec majore digni theatro fuerint. Quod ſi mihi filius eſſet, huic ita ſtudium inſtituerem. Quamprimum etiam in ipſis ſermonis Latini ſeu Græci elementis verbum unum à præceptore didiciſſet, id exemplò alios doceret. Profeſſorem agricolæ haud incommodè poſſe conferri opinor. Illi namque munus prælegendi, quod alteri ſementis eſt. Illi judicium, & cognitio rerum, quod alteri meſſis. Duo ſunt quibus ad exercitium maxime incitamur; ingens copia auditorum, & ſpes cujuſpiam magni lucri.

Qua ratione captari debeat occaſio docendi.

Fit plerunque, ut auſpicanti exercitium non ſemper præſto ſint qui audiant. Quare ſedulò curandum, ut vel precibus, vel pretio habeas unum, cui ea quæ voles, poſſis recitare. Si pro horis ſingulis exiguam pecuniam dederis auditori, atque hoc modo quatuor aut quinque aureos expenderis, tantum comperies te profeciſſe tum in literis, tum in forma docendi, ut vel palàm eadem audeas profiteri. Sed quis iſtuc, inquies, faciet? Nemo opinor. Ideo dico, quòd pauci ad magna pervenient. Vulgus enim inertiſſimum, pecuniæ parvæ ſtudio, cupidine oſtentandi, pudore vano, rebuſque frivolis, præpeditur. Quocirca quando univerſam cohortem inermem videmus, & ejuſmodi curâ, hoc eſt, metu parvi ſumptus, detineri, non ad ſumma evademus? Ubi tam facilis victoria? Certum eſt, certiſſimum eſt, ex tali plebe ſequuturum neminem. An poſteritas forte pectus aliquod nobile parturiet? Minimè, hæc ipſa doctrinæ impedimenta cum ſeculis creſcunt. Quid tu cogitas, ô Sol, qui cuncta intueris ac luſtras, cui nulla unquam ab ortu mundi contingit quies; Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

mens tibi, quum ociſſimè per cœlum ruis, videſque oculis tuis tam ſomnolentos homines? Lege naturæ odiſſe ſolemus gnavi ignavos, docti inertes. Quur itaque tu longo curſu laſſus, juſtiſſimam ſemper indignationem cohibes? Quin protinus perdis ignavam multitudinem? Hi ſunt, qui turpi otio tranſigunt vitam, nati fruges conſumere. Cæterùm quum res cunctas terra produxerint in communem uſum, quam iniquum videtur, quid ſolus homo omnia ſibi rapiat, & reliqua animalia paſſim per vicos, per campos, per ſylvas longâ fame intereant? præſertim quum apud nos ſint tam nullius pretii, nec digni, ut vel ſemel pulcherrimâ ſolis luce fruantur. Ego medius fidius hæc aliquando cum tanta indignatione perpendo, ut velim cæteras animantes omneis in horum exitium conſpiraſſe. Sed redeamus, unde inertiæ mentio nos deduxit. In profectione Germanica contigit mihi, ut à media nocte non dormiverim. Animadverti milites quoſdam, qui nobiſcum in navi erant, itidem vigilantes. Cogitabam pulchrum fore, ſi horam unam ejus noctis mihi lucrifacerem. Docui illos Germanico ſermone circuitum mundi, Solis, Lunæ, ſiderum reliquorum. Quid orbes, circuli, axes, poli. Terram mundi centrum eſſe, & nullam in cœlo ſtellam cerni, quæ non multo major ſit quàm terra. Quid annus, menſis, dies, hora; & è quibus motibus profluerint. Hæc ita perſpicuè illis delineabam, redditâ omnium ratione ac uſu, ut jam totam ſeſe faciem mundi tenere exiſtimârint. Iſthæc eo ſcripſi, quod cenſeam, omni momento temporis quærendam eſſe occaſionem aliquid docendi.

Docendi munus ob levem cauſam non debere intermitti.

Inter docendum non raro uſuveniet, ut minùs te-

te aptum ad futuram lectionem ſentias. Id fit ob varias cogitationes & ſtudia diverſa, quibus domi fueris deditus. Plerique id præſentientes, ſignificare ſolent ſe non eſſe lecturos. Verùm hi in docendo famam magis & gloriam ſpectant, quàm eruditionem, quæ paratur exercitio. Proinde relictâ oſtentandi libidine, quoquo modo adfectum te eſſe ſenſeris, ſive per noctem totam vigilâris, ſive altior cogitatio in perquirendis naturæ arcanis mentem impedierit tuam, ad exercitium veluti ad meſſem currito. Præſtantius eſt enim, è profeſſione judicium ſolum, atque fructum quærere; Laudem verò ſpectare nuſquam, niſi in ſtyli gloria, quæ æterna eſſe debet. Nam quæ prælegeris, audient pauci: quæ ſcripſeris, ſecula cuncta intuebuntur. Duo tamen remedia ſunt, quibus μελαγχολίαν ex animo pellas. Alterum, ut bene nutrias corpus, ambules, ludas, conviveris, corpus vino impleas, ac aliis modis recrees mentem. Iccirco nonnulli ante concionem integros vini cantharos ſpiritu uno exhauriunt. Alterum, ut multum dormias. Incredibile enim, quantum lucis, quantum alacritatis res ea adferat animo. Somnum conciliari binis præcipue modis poſſe, nemo eſt qui ignoret: magna corporis fatigatione, ac uſu pharmacorum, inter quæ primas tribuunt papaveri. Corporis robur ac valetudinem conferre ad oſtentationem, hoc modo diſcas. Nam ut videmus, ii, quibus craſſum & pingue corpus eſt, vel magna caloris copia, facundiores ſunt, & aptiores ad docendum, etiam ſi non admodum ſint eruditi, quàm alii qui perpetuo chartis inhærent. Illi namque membra, vel organa, quibus utuntur in ſermone, robuſta ac bene nutrita habent: hi contra imbecilla, & exiguos in pectore ſpiritus. Quippe quanto magis animus, tanto minus cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

pus valet. Verùm in altero genere aliquid eſt diſcriminis. Quibus enim craſſum corpus eſt ſermonem tardum cum gravitate: quibus gracile, & calidum, celerem habent. Cæterùm in univerſum id præcipio, ut fugias ea quæ mollia ſunt: ut manibus pedibuſque ad ſcopum, hoc eſt, formam bene ſcribendi, perferaris. Cave corpus alas, & impleas potu, quo majore cum gratia pronuncies ea, quæ per horam unam dictabis audientibus. Ne talenta tria abjicias, ut referas unum. Alioqui ſatius fuerit nihil dicere.

In prælegendo vitari ſuperſtitionem debere.

Ubi auctor erravit, hoc eſt, obſcurè ſcripſit, ibì lectores maximè laborant in eruendo ſenſu. Ut hoc fortaſſe malum non ſit, malim tamen interea diſci, quod magis eſſet frugiferum. Præſtaret igitur locum eum intactum relinquere, & admonere obſcurum eſſe: quod ſæpenumero fit inſcitiâ ſcriptoris. Etenim non autorum ſcripta, aut verba, ſed artes quas tradunt, perdiſcendæ. Eſt alia quædam obſcuritas artificioſa, ut in Perſii Satyris, & epiſtolis aliquot Ciceronis, de qua hîc non diſputo. Mea ſententia nuſquam laborandum, ubi major labor, quàm honos ſeu commoditas. Itaque è prælectione fructum magis quàm gloriam quære.

In docendo nihil celandum eſſe.

Plerique libentiùs imperitos docere, quàm doctos ſolent. Verentur enim, ſi ſuo ſic omnibus tradiderint, ne non ſint aliis ſuperiores. Cæterùm tales aſtu ſolùm, feminarum modo: non vi, non aperte ſtudent vincere. Quapropter ſi literatus quiſpiam me inviſat, non occultabo ea, quæ aſſidua peperit conſuetudo. turpe enim id eſſe judicarem. Verùm ultro ipſa prodam, tradamque alteri ferrum, quo me ſuperare poſſit, ſi velit. Sic etenim aliis indicando ſæpe ſtudii modum

dum, ipſe meliorem ſemper inveniam quem exercitatio illa ſuggeret docenti. Hoc pacto apertâ vi evadere victores poſſumus. Præſtat per virtutem in pugna belli fortunam experiri. Inertis eſt, venari dolo, quod ſanguine parari poſſit. Nec, ſi ad ſumma niti velim, adverſus unum aut altetum arma ſumam, ſed adverſus regiones omnes, adverſus tot ſecula poſt me ventura. Si magno igitur animo ſimus, conabimur efficere, ut non unus ſolum vincatur à nobis: verùm ut nationes univerſæ ſuccumbant: ut ſecula nulla alere poſſint aliquem, qui eodem ſit perventurus. Itaque nemo exiſtimet, me quicquam alios celare velle. Quin potiùs perſuadeat ſibi, quicquid domi habemus, obviis omnibus patere ſponte. Quicunque nobiſcum iter facient, eandem habeant mentem oportet.

De docendi forma apud Peripateticos.

Priùs, quàm ad alia tranſeamus, de Peripateticis ſcholis nonnihil diſcendum. Heic tria mihi conſilia occurrunt, non admodum iis infrugifera. *Primum* eſt, ut cavillationes, vel ſophiſmata, hoc eſt, ſuppoſitionum conjecturas, atque id genus deliramenta, penitùs abjiciant, ut quæ nihil ad communem loquendi morem conferant. Nec aliud illorum eſſe argumentationes video, quàm chartarum luſus in quibus omnia ficta ſunt. Fingunt enim in primæ formæ ſyllogiſmis themata converſa, ſive præpoſteras orationes, quæ nuſquam reperiuntur. Fingunt, longè aliud eſſe, homo animal non eſt, quàm, homo non eſt animal: hanc falſam eſſe, illam veram: quæ tamen differentia nuſquam obſervatur. Iucundum fortè videtur, omnem verborum ſeu contextus vim perſpicere. Atqui optabilius erat, iis, quorum nullus uſus eſt, relictis, meliora perſequi, ſervareque Poëtæ dictum: Ne quid nimis.

Vitam

Vitam quippe mortalibus brevem, ac arteis innumeras natura conceſſit. *Alterum* eſt, ut illa, quæ ex Ariſtotele prælegunt adoleſcentibus, ociùs paullò abſolvant, addito ſemper rerum, quas produnt, uſu. Meminerint, pueris longum ſupereſſe iter, antequam ad metam pervenerint. *Poſtremum*, ut non modò Dialecticen, & Phyſicen, queis duos treſve annos tribuunt, doceant: verùm alia quoque non minùs neceſſaria, elementa Græcæ linguæ, Rhetoricen, ac rationem ſcribendi. Ut pueri (quemadmodum Fabius monet,) nonnunquam declament, propoſito ſingulis menſibus, aut præmio, aut honore aliquo illi, qui viciſſet. Si hunc docendi modum haberent, & uberiorem fortaſſe referrent fructum, & juventuti rectiùs conſulerent.

Ad ſcribendum labores omnes, atque adeò ſtudia reliqua referri debere.

Sequitur id, in quo curam omnem, omnem ſpem, omnem voluptatem ponere debes, ſcribere ipſum. Hunc ſcopum ſemper habere in pectore ſtude. Huc cogitationes, colloquia, labores, ſomnia, vigilias, mentem, valetudinem corporis, opes, denique quicquid egeris, quicquid audieris, quicquid videris, referas neceſſe eſt. Ubi perveneris ad provectiora, puta te tantum profeciſſe, quantum quotidie ſcripſeris. Etiam ſi naturâ facundus es, deditâ operâ loquaris incompoſitè. Nam ferè fit, ut qui loquuntur accuratè, minus eruditè ſcribant. Dum enim rerum illarum voluptate afficiuntur, imperfectiores oportet ſint in altero. Nemo pari curâ res duas unquam tractaverit. Nulla prælectio mihi tanti eſt, ut cogitationis aliquid illi velim tribuere. Id namque me à ſcopo meo averteret, Ea ſolùm profero, quæ primum veniunt in mentem, quæ exercitatio longa mihi comparavit. Et ſi lo-

quendum eſſet cum viris ſummis, etiam in cœtu maximo, ne verbum quidem unum præmeditarer, tam libens ineptè, quàm aptè ſententiam exprimerem. Quòd ſi res majorem curam poſtularet, talem rem, talem cœtum, veluti peſtem fugerem, ac ſtyli amorem continerem in pectore. Venuſtè loqui, per ſe eſt bonum. Sed quia plerumque facundiam conſequuti, ea tantopere capiuntur, ut paſſim in vicis colloquendi oſtentandique captent occaſionem, arteis verò pulcherrimas, quas neceſſe erat ſcire, negligant, eò mihi minùs probatur facundia. Quo pacto id genus homines, qui tanto plauſu in tanta nugatorum corona nugari poſſunt, accuratè quicquam ſcripſerint? Certè neminem unquam vidi (niſi me memoria fallat) doctè ſcribentem, cui valde in promtu fuit colloquendi diſſerendique ratio. Ergo quicunque gaudere ſe ſentit, quum magnificè quenquam ſalutârit, quum recitârit eleganter eventum belli, is fruſtra è noſtro certamine laudem exſpectabit. Non paucos Thraſones reperias, qui quum aut ſalsè, aut ſcitè aliquid dixerint, id plus millies apud quoſvis referant. Hujuſmodi rebus vani homines occupantur. Accitus ad convivium, ubi fore putabis eos, quorum audire nugas deberes, ne accedas. Satius eſſet corporis membrum amittere, quàm cogitationem per horas duas tam inanibus fabulis impediri: quippe quum omnem corporis uſum in gloriam hanc rear expendendum. Contra ſicut hoc frugiferum: ita utilius nihil exiſtimo, quàm ut inter prandendum unus adſit, quem vel formam ſtudendi, vel ſcribendi modum doceas: atque poſtea mediteris, quâ ratione eundem & graphicè depingere, & cum laude tradere poſteris queas. Cave itaque, ne, aut ſermonis gratiâ, aut fabulæ otioſæ, ſcribendi cupiditatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ditatem ullo pacto diminuat. Memineris, non ſemper æſtatem fore. Οὐκ ἀεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς. *Æſtas non ſemper fuerit, componite nidos.* Vitæ ſumma brevis ſpem non vetat inchorare longam. Famam puerilem aſpernemur, vulgo inertes videamur. Verſetur ante oculos leonis habitus: qui cum jacet, aut ab humilibus rebus infeſtatur, apparet ignaviſſimus. at in corporibus magnis ſternendis, miro pollet impetu. Pulchrum, æternam laudem quærere ſtylo, & in fabulis quotidianis, è quibus tenuis gloria manat, exquiſitum ſermonem fugere. Verùm heus tu, tametſi vana colloquia damno, non tamen cenſeo, fugiendum conſpectum hominum, ne μισάνθρωπον id eſt *Oſorem hominem*, quempiam probare me putes, imò nil inutilius reor ſtudio ſolitario: ſed orationem virilem eſſe, non adfectatam: & è ſermone vel exercitio non plauſum vulgarem aut paucorum hominum gratiam, quæ momento interit: ſed veram atque æternam frugem, quæ ad poſteros pertinet, quæ cum ætate augebitur, quærendam eſſe arbitor. Fabulæ, non homines vitandi ſunt.

Quibus ſignis cognoſcantur illi, qui ad magnam in ſcribendo gloriam pervenient.

Amoris iſtiuſmodi certa ſunt indicia. Quæ manifeſta abunde erunt, ubi tres ardoris gradus expoſuero. *Nonnulli* quicquam perdiſcere apud me ſtudentes, eas ſtatui horas volunt, quas vel prandio vel cœnæ nihil putent offecturas. Hos ego ad rem propenſos vocari poſſe reor: hos in infimo ordine colloco, niſi forſitan vis alia excreverit. *Alii* & cœnas & prandia contemnunt: hos propenſiores nomino. *Tertium* genus rarum eſt. Tales eſſent, qui contemnentes & longam viam & horrorem tenebrarum, etiam mediâ

nocte

nocte ad me vigilantem accedere non vereren-tur. Hos non propenſos, non mediocres, ſed violentos appellaverim. Si talis exſiſteret quiſquam, huic fortaſſe cederem, hunc putarem ſine morâ ad ſumma velle penetrare. E medio genere multos reperio, è primo plures, è tertio nullum. Ergo eventum ex vi animorum colligo: quod me Græcorum ſententia perdocuit, Τῷ πόνῳ ἀποκρίνεται τύχη, *par eſt fortuna labori*. Nam tanto quiſque majora in quavis diſciplina conſequetur, quanto majores tulerit labores: nihil paratur ignaviâ.

Quâ ratione vitare poßis in ſcribendo tædium.

Si tædium mentem à ſcribendo averterit, hoc utere remedio. Statue ac vove voluntate firmâ, te eo die non cœnaturum, quo non tot paginas, non tot verſus, ut decreveras, ſcripſeris. Quod ſi acciderit delinquere, tu tibi ignoſcere noli, volo cœnâ careas. Abſtinere à cibo, non parum quandoque ad corporis valetudinem facit, & alacriorem reddit animum. Vel ſi mavis, alia tibi interdicere potes, quorum voluptate plus ſenſeris te adfici. Quia difficile ſcribere eſt, quia tædioſum, quia paucis datum: eo rem debes expetere. Si facile eſſet, ſi obvium omnibus, quam hac induſtriâ laudem poſſes conſequi? Certè nullam. Eâ utique ſum naturâ, (non id gloriandi cauſsâ, ſed excitandi alios dico) ut petam nihil, quod non videtur arduum. Si ſine negotio id fieret, nunquam mehercule ſcriberem. Mihi rem principio moleſtam fuiſſe judicabit, qui viderit, quando in ipſa cœperim elaborare. Nam ante paucos annos nihil ſcripſeram unquam, niſi forte quatuor aut quinque paginas, ſi colligas omnia, quæ exercendi cauſsâ cogebar in ludo componere. Intra annos duos vix unam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Latinè epiſtolam ſcribebam, tractabam nugas alias, quæ nihil ad ſtylum conferunt, ut obiter exponam. Circa decimum ſeptimum ætatis annum regiam deſerui. Didici Lovanii Latinæ linguæ rudimenta. Inde Ariſtotelis Dialecticen, ac Phyſicen. In quibus pædagogum habui Petrum Curtium, in omni literarum genere apprimè eruditum. Atqui dum diſciplinis hiſce operam darem, ad res inanes mentem abduxi. Initio modum ſcribendi aulicum profitebar, quem habent in aula imperatoris. Tantopere me tum delectabant characteres apte compoſiti, pulchri, & varii, ut quindecim diverſas ſcribendi formas collegrim. poſtea relictis iis, in pingendi arte graſſari cœpi. Literas deſcripſi majuſculas, non ſimplici ductu linearum, ut vulgaris typorum ſpecies eſt, ſed è frondium, arborum, rerumque aliarum, qua litera patet, protractione. Sic apud me litera A eſt magnitudine palmorum trium aut quatuor, quam ad hunc compoſui modum. In dextera typi parte frondes ducuntur coloribus diſtinctæ. In ſiniſtra arbor eſt, è cujus ſpecu paullùm infra verticem puer feram jacentem humi nititur configere. Sic pingebam mala, pira, flores, ac res alias. Poſt hæc ſum aggreſſus artificium cælandi picturas in ære levigato, converſa imaginis formâ, ut appoſito atramento eadem in chartis multis premi poſſit. Inde apud me eſt ſpecies puellæ regiæ ornatæ gemmis, atque veſtitu eximio, quam in ærea tabulâ ſculpſeram. Poſtea per annos aliquot didici & publicè profeſſus ſum Arithmeticen, Aſtronomiam, & Græcam linguam. Poſtremò animum adjunxi ad curam Latinè ac politè ſcribendi, cujus gloria inter humanos conatus omneis ſummum tenere locum videtur. In hac finire vitam decrevi. Quæ ſi dabitur mediocriter longa, in animo

eſt

eſt opuſcula millena (idque ſummâ, quantum in nobis fuerit, adhibitâ curâ Latini ſermonis) ante mortem conſcribere: quorum corpori universo inde titulus erit, Chilias. Nec prius deſiſtere certum eſt, quàm iſtæc, quæ dixi, perfecero, niſi mors invitum opprimat. Ex hoc numero libellos nuper undeviginti abſolvimus: ſperamuſque nos brevi ad centum, hoc eſt, decimam Chiliados partem perventuros. Hæc ideo recenſeo, ne juventa deſperet uſquam, ſciatque, homini nihil eſſe arduum, ſi labor non defuerit. Mitto diverſa Muſicorum organa, quæ tantum temporis abſtulerunt, ut interea facilè ſermonem Romanum perdiſceres. Nihil magis doleo, quàm quod hac voluptate vita mihi perierit. Scio, artem labore feſſos inſtaurare, atqui ſi bene ſtudioſorum turbam inſpicias, nimium omnes, quæ mentem reficiant, quærimus. Scilicet is, qui in rebus gerendis impetu vacat, & ſemper languet, & exiguo labore facilè opprimitur. Mala mille moleſtant affliguntque hominem, cui ſegne atque inutile corpus. Taceo lites, quæ per biennium mihi fuere in judicio, dum opera daretur artibus. Prætereo occupationes alias, quas longum eſſet hîc enarrare. Sed relictâ vanitate, ad rem eamus, unde plus ſatis digreſſa eſt oratio. Admonui, quâ ſollertiâ te ipſum ad ſcribendum incitabis. Alterum eſt, ut alios quæras, qui ad laborem te provocent, hoc modo. Dic chalcographis, parent ſeſe, librum te dare velle excudendum, etiam ſi ne paginam quidem paraveris. Tum facile totam voluminis ſpeciem animo concipere, inde ſingulas parteis leviter in comœdiarum argumenti modum deſcribere: denique quotidie, quantum illis ſatis erit, abſolvere poteris. Quum ſic inceperis aliquid, perficere debes, velis, nolis. Id ego in omnibus pæne

libris

libris feci, ac etiam in iſto. Sed quâ ratione, infrà dicam. Facillimè ſcribo pedetentim, dum quotidie typographus ſuas exigit chartas. Malim ſic quinquaginta edere libros, quàm ratione aliâ unum. Ubi Horatius inquit, *ſcripta in novum ſervari annum debere*; non tempus, ſed diligentia præſcribitur. Verùm, ne tale quicquam audeas, niſi in ea re, quam ſcribere tentabis, ſatis ſis verſatus, alioquin omnium dignus riſu eris. Porrò iſtuc conſilium eſſe, non præceptum, volo, præſertim illis, qui parva petunt, qui non terræ regnum totius, ſed urbem ſolùm unam quærunt. Non enim diſplicet, editionem premi, quo commendatior liber exeat. Mora tamen aliquid habet incommodi. Hominem facit tranquillum, deſidem, otioſum, ignavum, ſomnolentum. Et neſcio quam adferat ſuperſtitionem, dum diſſimulat quædam, dum rogari vult, ut librum emittat. Quare animus, qui graſſari velit, nuſquam patiens moræ ſit. Exſpectent ita languido pectore ac pendulâ cervice homines, quibus ſatis eſt, ſi non omnino ſint imperiti, ſi ſi ante vitæ finem quædam ediderint non minimâ cum laude. At imperator ille, cujus virtus per omne ævum eminebit, novumne exſpectet annum? Quin potiùs orbem univerſum horæ interſtitio unius ſibi conabitur ſubjugare. Adde quod nonnulli majore cum gratiâ, decore, dignitate, ſcribere quicquam citò poſſunt, quàm alii tardè. Studioſus itaque hic ſequatur, quod videbitur melius. Sua cuique ſententia. Verùm tu qui ſumma petis, ſemper fuge moram. Plerique quicquid inveniunt apud Ciceronem, Fabium, ac ſimiles autores veteres, in ore ſemper pro legibus habent. Hi & ſe ignorant homines eſſe, & judicio nullo rationis utuntur, Horatius voluit temere nihil vulgandum eſſe. Si quic-

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quam tentaris proferre in lucem mediocri ſcriptum curâ, quoſcunque videris, cantilenam eandem occinent, differri editionem debere.

Quem in edendis libris ſcribendi modum nos habeamus.

Diximus, librum à nobis perfici nullum, niſi dum à typographo excudatur. Cæterùm nolo, ideo quiſquam temere omnia & ſine cura effundi clamet. Quocirca ut vulgi opinionem hanc diluere, & ſtudioſis non parvam adferre frugem inventione noſtrâ poſſimus; exponetur, quam in operibus cudendis ſervare ſeriem conſuevimus. Ante omnia animo concipio totum corpus operis futuri. Deinde in tabula ligneâ maximæ amplitudinis, rubrica titulos ſolùm capitum delineo. Circumſpicio, num cuncta bene cohæreant. Si res videtur exigere, alios addo, aufero, muto, tranſpono. Titulorum capita, dum excogitatio recens eſt, rudi oratione leviter ſingula in ſingulis chartis depingo. Eas chartas ordine pono in tabula, ubi titulos priùs collocâram. Hos poſtremò magnis ſcribo typis, quo libri ordo univerſus aſpectu uno poſſit comprehendi. Non aliter me paro ante, quàm librum incipio emittere. Tum ſingulis diebus capita aliquod ad prelum abſolvo: ad hunc modum illis, quæ priùs leviter deſcripſeram, addo aliquid, vel adimo. Inde quum materiæ deeſſe nihil, aut redundare video, animum converto ad elocutionem. Quæ partibus quatuor conſummatur. Primum enim, ſi res tractetur magnifica, caveo, ne particula uſquam jaceat humi infra dignitatem orationis. Ea tolli ſurſum poteſt, aut περιφράσεως formâ, aut verborum contextu immutato, aut ratione quapiam aliâ. Ut ſi offendam: Homo ad omnia pervenit; Pavor invadet ipſos campos: aliter ſcribo: Hominis cura quò non aſpiravit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

vit? Campos pavor ipſos invadet. Prius in libro de homine habemus circa operis initium: poſterius in hoc. Contra ſi in ſtructura humili inflatum reperio quicquam, quod præ cæteris partibus nimium extumeſcat, id per viam eandem, per eoſdem gradus, detracto regio cultu, demitto ad humiliora. Tum etiam video, ne verbum idem, aut ſyllaba, ſi fieri poſſit, bis ponatur: niſi forte repetitionis habeat colorem, hoc eſt, niſi inſignis ſit ἀναφορά. Sed miſeri nos non voces omnes ſemper videmus, quæ ſpecioſius poſſent immutari. Ita Pomponius Mela in hac re diligentiſſimus cenſor non perſpexit, quod in præfationis ſuæ medio, bis poſuerit *autem*. Ei loco majeſtas quædam accederet, ſi vel prius, vel utrumque tolleretur. Et apud Fabium crebra ſatis conjunctio *Nam*, præſertim in capite ſeptimi libri de qualitate. Ad hæc do operam, ut numerorum gratia, ſive concentus, cohæreat, aut per omnes periodi partes, ſi terſius quicquam ſcribere coner, aut ſaltem in fine. Ubi oratio deſinet, quæro ſpondæos, trochæos, epitritos quartos, παιῶνας ſecundos, tertiosve, ſed per viciſſitudinem. Poſtrema cura eſt, ne multi ſint fines ſententiarum, qui pedes eoſdem habeant. Inſuave enim quiddam, periodos tres, ſeu quatuor, eundem habere παιῶνα epitritum, aut alium quempiam orationis exitum. In pedum concentu omnem propemodùm elegantiam pono. Sed maxima heic varietas exquiritur. Quocirca majorem multo tum laudem, tum occaſionem oſtentandæ doctrinæ conſequeris, ſi ita occulto nexu orationem vinxeris, quàm ſi ſcripſeris carmen. Illic namque varietatem, quâ ipſa inprimis natura gaudet; heic unum duntaxat florum genus proferre potes. Numeros equidem vitam vocave-

[ſcr]im orationis, quod haud obſcurè apparebit, ſi ſententiam numeroſam ſolveris, iiſdem ſervatis ac tranſpoſitis verbis. Quippe quæ ante efficax erat, ea ſoluta ridicula videbitur. Quamobrem in omni opere prima curarum eſſe debet, ut res ſive membra cohæreant: proxima, ut verba, ſeu modulatio numerorum. His tamen non ita anxiè per omnia ſerviendum. Ut enim in saporibus quædam interdum ſuaviter amara ſunt: ſic aliquando modicâ in dictione aſperitas & viciſſitudo oblectat aures, & cætera commendat. Singulas quatuor partium modis item quatuor perficio: vocum aliquarum additione, detractione, immutatione, tranſpoſitione. Quod ad eundem pænè modum non illepidè exprimunt verſus:

Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera caram.
Incipit, & dubitat, ſcribit, damnatque tabellas.
Et notat, & delet, mutat, culpatque, probatque.
Inque vicem ſumtas ponit, poſitaſque reſumit.

Hiſce limis orationem politam, ac deinde ſcriptam ordine, mitto ad chalcographum. Cæterùm id neminem latere arbitror, non omnes libros eandem diligentiam requirere. Tum à nobis plus operæ uni impendi, quàm alteri, etiam ex induſtria. Denique aliàs ad ſtylum aptiores nos eſſe, & omnia ſponte profluere; aliàs verò non, niſi labore atque longâ cogitatione, quicquam poſſe comparari. Iccirco minùs rectè colligunt, non eſſe ejuſdem auctoris, quæ non pari curâ perſcripta ſunt.

De puerorum excitatione in ſcribendo.

Scribere eſſe tædioſum, ſuprà memoravimus, & arte animos debere incitari. Proinde felices

pueros voco, qui præceptorum plagis coguntur ad ſcribendum. Attamen ipſos iidem admonere deberent, ut quicquid ſcripſerint, veluti gemmas ſervent in futurum ſtyli uſum. Ut enim in ſcriptis hiſce elegantia prorſus nulla ſit, poſtmodo tamen, quum emittere librum volent, aut verbum aptum, aut ſenſum aliquem commodum invenient, qui ad operis ſtructuram faciat. Nec ſatis eſt, flagris ad ſervandum miſeram cogere juventutem: ſed illorum indicare eſt, quas olim commoditates ex iis poſſint conſequi. Deinde quam primùm epiſtolam compoſuiſſent, demonſtrare, in quos locos communes particulæ omnes ſint dirigendæ. Ut ſi pulchrè quid de Deo, de homine, de mundo, de animalium natura ſcripſerint, id in locis iiſdem, dum memoria recens eſt, continuò eſſe reponendum. Iſthæc forte ſtudiorum ratio non niſi provectioribus conducere videatur. Quur etiam non conferat aliis, quando nihil excogitari utilius poſſit? Satius eſt, citra delectum illis temere obtrudi omnia. Servent, abjiciant quicquid velint, quid hoc ad literatores? Quam facile juventa ad maxima quæque perveniret, ſi ſupervacuum nihil traderetur. Sed fere fit, ut præceptores ipſi vix dum ſciant, quid communes loci ſint. Sic cæcos cæci ducunt.

In pueris magnam eſſe ſpem perveniendi ad ſumma.

Ad hanc victoriam, quis aptior erit, quàm ille, qui à primis annis optimis quibuſque literis imbutus eſt? cui res nullæ facinus pulcherrimum impedierint? Felix puer, cui molles articuli, rubicundæ genæ, flos ætatis, ſpes longa annorum. Vel infelix potiùs, quòd optimos dies tam imprudenter abjicit. O utinam mihi ad primos redire annos liceret! O utinam converſo rerum ordine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ordine rurſus inter pueros humi ſedere, præceptoris audire præcepta, ejuſque dulceis ferre plagas daretur! Sed fruſtra queror, fruſtra mea hæc vota fluunt, fruſtra cadunt lachrymæ. Ætas abiit, reditura nunquam, ah nunquam reditura! Tametſi annum nunc ſolùm trigeſimum ago, ſpem tamen ademit calculi morbus, qui ſollicitudine aſſiduâ ac dolore adficit mentem. Quod igitur reſtat, cum Alexandro, non annos, ſed victorias numerabo. Idem conentur, quibus melior vitæ pars ſine fructu exacta eſt. O pueri, qui grandi cœtu itis ad ludum, ſi mens vobis eſſet, quam habebitis provectiores, ſi temporis vobis eſſet cura, ſi vos in literis graſſari velletis, tantâ præſente ſpe ævi futuri, per immortales deos id certò ſcio, eò vos poſſe doctrinæ venire, ut non homines, ſed divos videretur terrra genuiſſe. Eò vos ducere tempus poſſet, unde Græci omnes Latinique literarum præſides pueri videreutur. O ſi mihi hic flos rediret! Quæ ſpes ardorem, quo pectus fervet, ad altiſſima quæque impelleret? Certè ego majora multò, quàm mundus ipſe eſt, animo agitarem. Sed tempus, dum querimur præteriiſſe, præterit. Sudorem repete, mens anhela; perge ad victoriam. Præceps in media pericula rue: vincere omnia labor improbus poteſt.

Cavendum eſſe, ne momentum temporis ſine fructu abeat.

Tradidimus modum audiendi, docendi, ſcribendi: quæ tres præcipuæ in ſtudii ratione partes ſunt. Ante eas memoriæ quædam dedimus ad triplicem illum gradum adprimè neceſſaria, & ſine quibus fruſtra quicquam tentaveris. Pari formâ præceptiones quaſdam heic ponemus, quæ ad partium perfectionem earundem adjumenti plurimùm adferent. Ad ſumma perveniet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nemo, niſi tempore, quo nihil eſſe fugacius conſtat, prudenter utatur: niſi momento omni captet, quod ad futuram gloriam nonnihil conferat emolumenti. Heic conſilia duo trademus: Noctu ad manum tabulas ceratas vel lapideas habe, aut membranas, quas oſſibus aduſtis in uſum eum praeparant. In his ſomno intermiſſo notare poteris, quæ libebit, ac luce diurnâ melioribus typis reſcribere. Eaſdem tecum circumfer ſemper, ut quum in mentem aut venuſta verborum connexio, aut rerum obſervatio ulla inciderit, ſcribere ipſam in iis queas. Bonam partem libri hujus in tenebris ſcripſi, quando ſomnus me ob calculi dolorem reliquerat, idque quum Sol adverſa nobis figeret veſtigia, nocte vagante in medio cœlo. Quur enim non utar Uraniæ verbis, quum ſeſe ſponte offerunt? quum ſtylum trahit dulcis cœleſtium rerum memoria? Ni refugis, ſubjungam plura. Vitæ domum obibat Orionis ſidus, cum Geminis, & Eridano. Opum, Sirius, Procyon, Cancer. Fratrum, Canopus, Anguis caput, os Leonis. Sol, parentum. Sobolis, Corvus, cum Centauro. Fera, morborum. Arcturus, matrimonii. Mortis, Hercules. Religionis, cadens Cynoſura, Draco, Cycnus, Telum. κηφεὺς altus, actionum. Ubi & Pegaſus hæret, æſtum fugiens Phœbi adverſi. Proxima ora Meduſæ vultum ac Capram Oleniam intuebatur. Denique Cœti,, Tauri, Plejadum atque Hœdorum ſimulachris pars mundi poſtrema ceſſerat. Nos ſpectabant Phænon, ac Gradivus: errantes reliqui ἀντίχθονας. Nimium digredimur. Quò mentem abducit imago mira rerum? Sed jure iſta commemoramus. Facies mundi eſt admiratione majore digna, ſi locus pateretur. Hic cœli ſitus erat, quum Opus auſpicabar. Horoſcopi formam tui, Roma, contemplata es, aliarum

alii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

alii rerum: quur hujus originem libri nos pigeat inquirere? Si locum veſtigas, à bruma abeſt ſextante orbis, cum ſemuncia: binis prope horis ab occaſu. Nunc ad rem. Deerat lumen, verùm tabulas habeo, quibus etiam in tenebris utor. Altera de temporis parſimonia præceptio hæc eſt. Si qui ad te acceſſerint, qui res vanas, quæ nihil ad artes facere videntur, proferant, fuge repentè ad ſtudia tua. Satius eſt, ut illi tuam mirentur impudentiam, quàm tibi pereat tempus. Illud enim unus aut alter, hoc tota ſentiet poſteritas. Quot volumina poſſent ſcribi intra horas illas, quæ per annum pereunt? Nulla tam brevis vitæ portio, in qua non magnus ad felicitatem gradus ſit. Adoleſcentibus anni ſuperſunt admodùm pauci, fortè decem, duodecim, aut viginti: verùm ipſi tamen ſic ſtudia inſtituunt, tanquam annis mille ſint victuri.

De tempore noſtro infelicitate exacto.

Lachrymare magis, quàm ſcribere nunc lubet, quum recordor, ſic tempus noſtrum abiiſſe. Quid infelix de pueris loquor? mihi miſero anni defluxerunt, mihi, inquam, cui animus demum ad alta ſurrexit. Quid igitur? deſiſtamne, quia ſerò rem aggreſſus ſum? Minimè, etiam ſi certum eſſet, intra horam me moriturum. Dulce erit, exſtingui labore literarum. Adhuc alta ſpes in pectore ſedet, quæ non niſi cum vita migrabit. O dura fata, quæ optimum tempus imprudenti eripuerunt! O fures, ô latrones, ô tyrannos crudeliſſimos, quorum conſilio mihi unquam periit hora! Quod ſaxum mecum non ploret, ſi & gemitum meum fletumque, & ordinem fatorum immutabilem videat? Miram varietatem, certam legem, impar ævum rerum cunctarum in mundo contemplamur. Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum revertitur. Idem ſidus Lunæque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

vices, ut nos videmus, ita Cicero vidit, Plato vidit, & antiquiſſima ſecula. Curſu ſeſe terramque fatigat Oceanus, nec ullam ullo tempore quietem novit. Omnes aquæ fluunt in mare, & ipſum non redundat. Eædem vapore ſurſum trahuntur, nubeque ſolutâ decidunt, ut iterum fluant. Sic tacito caſu ripas flumina prætereunt, rerumque noſtrarum exprimunt imaginem. Frigora miteſcunt Zephyris, abit æſtas, abit autumnus, nec quicquam diu infra Lunam eadem facie viſitur. Mortali corpore veluti plumbo in ima mundi valle præpotens mergitur teneturque animus, miratur naturæ miracula, nec mirationis unquam finis eſt. Brevi momento hominum vita præterit. Ubi pius Æneas? ubi Tullius dives? ubi Cæſar? ubi Alexander terræ dominus? In tenuem pulverem. in umbram inanem converſi ſunt: virtus ſola, ſi qua fuit, permanet. Duc mentem per gradus ætatum, nihil adeò ſplendidum offendes, quod non tandem conciderit. Qui ſcis, qui ſcis, formoſe puer, an craſtinam lucem hodiernæ ſuperi adjicient? Quum ſemel occideris, non genus, quo fruſtra tumes; non turba eorum, quibuſcum bonam vitæ partem abſtulerunt fabulæ, te ab Orco revocabunt. Roſa pulcra eſt, ſed citò marceſcit. Candidum lilium, at perit, quum ceciderit. Viola pulchra ἐν εἴαρι, ἀλλὰ ταχὺ γηρᾷ. Καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικὸν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ. *id eſt: in vere, ſed cito ſeneſcit. Et forma pulchra eſt in puero, ſed non diu durat.*

Quotidie ad interitum certam itineris portionem abſolvimus. Mitto quod ſæpenumero ante in ipſo curſu obruimur, quàm portum attingere liceat. Ad hæc ludibria naſcimur. Agitur humanum genus rapidâ in occaſum mortalitate, omniſque poſteritas ſuccedentium ſeculorum lege decurrit. Majores noſtri præterierunt, nos abimus,

mus, poſteri ſequentur. Quid iſtuc, quæſo, quid iſtuc eſt? Nihil ita crebro, ut mortem, vident, nihil obliviſcuntur, ut mortem. Quis inter tot vitæ diſcrimina? At, pavidum animal, quo decidis? Quid mœres, fatumque times, oblita tui mens? quid te falſæ malorum umbræ terrent? Quid queri aut lachrymare proderit? Ad inſtitutum redeat oratio.

Non curanda eſſe aliena ſtudia.

Scio, non paucos eſſe, qui ſolùm quærunt, quid agatur apud alios, quàm ſint alii vel periti, vel divites. Hi nihil agunt aliud, quàm ſi tribus aut quatuor montem conſcendentibus, unus eorum videat, quo modo ſcandant cæteri, & in medio montis flores ac frondes contempletur, dum illi volant ad ſumma cacumina: dum de gloria, de laude, de vita denique ipſa uno momento concertetur.

Ne nimio ſomno depereat tempus.

Fit quandoque, ut pluſquam ſatis eſt dormias. Hîc ſtudiosè cavendum, ne horas ſomnus auferat non neceſſarius corpori. Itaque, aut horologium habeto, quod pulſu, quum voles, te poſſit excitare. Aut, quod ſæpe ego in itinere feci ſive locis aliis, ubi inſtrumenta ejuſmodi defuere, ſaxa ſeu ligna per tranſverſum ſupponito. Ea namque principio non ſenties, & poſt horas aliquot duritie magis, quàm priùs, premente membra ſponte excitaberis. Arduum id fortaſſe videtur: arduum eſt, quicquid conducit ad virtutem.

Quod tempus aptius ſtudio ſit.

Solent à cœna horas quaſdam tribuere amicis, ambulationi, aut rebus operæ levioris. Cuique ſua natura & conſuetudo. Mihi placet omne tempus aptum eſſe ſtudio, quo animus promtus eſt ad laborem. Idcirco quum incitari me ſentio ad legendum aliquid ſcribendumve, nullâ pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tior occaſione impetum eum cohiberi, quocunque id fiat tempore, etiam ſi nocte mediâ relicto ſomno id contingeret. Pòſt, lectione ſeu ſtylo defeſſus, nihil nitor repugnante naturâ: ſed exercitii genus aliud quæro, quo tædium varietas minuat.

Accuratè notandum eſſe, ſi quid per diem profeceris.

Id quoque perutile fuerit, ante ſomnum notare, quæcunque luce ea peracta ſunt, hoc modo. Iovis die primo Martii quinquaginta in Cicerone paginas perlegi, decem in Plinio, Horis tribus alios docui. Octoginta verſus aut paginas quinque in ſtyli exercitio perſcripſi. Quanto pluris feceris exiguum proventum, tantum ad altiora doctrinæ faſtigia es evaſurus. Qui viliſſimos quoſque nummos admirantur, intuentur crebrò, & ſervant accuratè, ad ſummas ſæpenumero divitias perveniunt. Contra qui ipſos contemnunt, ac viles putant, tales ad extremam plerunque redactos egeſtatem videmus. Pari modo ſi quis optârit ſudorum metam, bene ſcribere, diſcat mirari bene ſcripta, diſcat gaudere, ſi vel nomina duo conjunxerit venuſtè.

Illa ſervet majore curâ, quàm aurum, gemmas, cæteraſve opes. Equidem in libris excudendis, cùm ſpecioſum aliquem vocum contextum, aut verba duo ornata invenio, lætitiâ exſulto majore, quàm ſi aureum reperiſſem. Tum mirus ſplendor pectus illuſtrat: hac ἀμβροσίᾳ vivimus, hoc dulci gaudio mens tranquilla fruitur. Ea mihi ſententia eſt, atque uti ſpero ad vitæ exitum permanebit, ut pro ſingulis vocibus nitidis, ſignificantibus, appoſitis, ſingulos recipere aureos nolim, etiam ſi ſumma me premeret inopia.

Malo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Malo, dictionem eſſe decoram, aut voces duas commiſſas aptè, aut ſplendidè dictum aliquid in opuſculis meis, quàm aureum in manibus. Illud namque imperatorem animum voluptate incredibili adficit: hoc vitiorum fomes eſt, hoc ad corpus ſolùm, & luxum ſpectat. Illud perpetuo meum erit: hoc ad breve tempus.

De exercitio corporis.

Longa quies enervat corpus, & calculum parit, ideò præcepere, ut ſtudioſi quandoque æreum globum manu agitent, torqueantque ad fatigationem. Verùm hoc exercitium nonnihil aufert temporis. Modum igitur alium excogitavi. In veſtibus interioribus aliquando conſuo plumbum diſſectum in minutas laminas, tanti ponderis, ut utraque manu univerſam levare molem vix poſſim. Has induo manè, has robur corporis commodè ſuſtentat. Caveo tamen, ne inferior ſpinæ pars plus æquo prematur. Id facio ad octo fere dies, donec æſtu laboris nimium membra accenduntur. Sed pondus dictum ſenſim augetur, ac minuitur. Repentina namque mutatio, lædere non parum naturam ſolet. Milonem ſequor, qui quotidie vitulum ferre ſolitus, tandem geſtavit taurum. Hac ratione tempore eodem & ſcribo, & firmo valetudinem. Sic revera ſum armatus, ut in libri exordio deſcripſimus. Nec deceret, quod tanto clamore alios ad dura excitarem, mollia quærens ipſe. Non erit poſt principia, qui primum ſe urbes expugnaturum eſſe profeſſus eſt, modò vita ſuperſit. Animum quiſque ſumat: hæc belli vis & ſumma quærit, & ſummè eſt honeſta.

Forma pellendi deſidiam.

Ubi nos deſidia invaſerit, ſententias quaſdam habebimus in promtu, quibus noſmet ipſos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

commoveamus. Quales ſunt: *μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν*, *ideſt: Laborare debent, volentes eſſe felices.* Omnis ſpes in virtute ponenda. Cōtuebimur ſubinde Solem, cogitabimuſque, quantum cœli intra horas duas aut tres tranſierit, quæ nobis perierunt fabulis. Hic horæ ſpatio quindecim cum mundo partes percurrit: quarum ſingulæ tam ſunt amplæ, ut quinquaginta terræ globine unam quidem implere poſſint. Pecuniam numeramus omnes: quam pauci temporis damna perpendunt? Si perierint opes, perpetuò dolemus: ſi ſine fruge abierint dies, æquâ mente ferimus.

Quandoque quieſcendum eſſe.

Quieſcere ſubinde, ſeu luſibus vires inſtaurare licebit. Quippe omnes in ore ſententiam habēt, quod requie alternâ caret, durare non poſſe. Cæterùm hîc etiam quærendum, quod ad victoriam conferat. Quapropter ut gnavus miles pugnat ad palum, jaculatur ad ſcopum, torquet fundam, vibrat haſtam, decertat palæſtra, concurrit lanceis, armatus in equum inſilit; denique ſic feriatur à belli muniis, ut ad ea redeat vegetior: ita adoleſcens luſum captet, quo & mentem reficere, & juvare doctrinam queat. Quale eſt, ſi inter ambulandum de literis diſceptatio ſit. Si in pratis amœnis themate propoſito, alterum alter conetur ſuperare. Sic uterque incitabitur ad laborem, vel laude vel ignominiâ. Verùm tu, qui ſpiritu generoſo & virtutibus alto præter cæteros emines, tametſi nonnunquam urget fatigatio, quietem tamen, quantum potes, fugias; quies à morte dabitur longiſſima. O dulcem lucem, nunc omni conatu, à nugis, à fabulis, à luxu arcendam! O triſtem horam, quæ poſtremam lucem adferet! Cæterùm nos, tempore fugiente, laborante Oceano, ipſo currente mundo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

do, jacemus, dormimus, atque ad umbras Stygaque horrendam celeri motu tendimus.

Mutandum eſſe ſubinde locum.

Quò vigilantiore ſpiritu, & artium diſcere præceptiones, & docere alios, & ſcribere poſſis, locum mutare interdum oportebit. Semper enim deprehendes aliquid, quod antè nuſquam videris. Plerique manere ſatis ducunt, quod non ſine periculo,& grandi ſumtu,& jacturâ temporis gravi,iter facere liceat. Verùm plus tamen ex hujuſmodi peregrinatione compendii, quàm diſpendii tibi comparaveris. Quippe animus & varietate mirè excitatur; & ſæpenumero rerum conſpectu novarum permotus efficit ea, quæ domi nunquam agitâſſet. Quantulum enim audeat ille,qui in eodem ſemper loco hæret? Iulius Cæſar, quum in inſulam Gades veniſſet, animadverſa in Herculis templo Magni Alexandri imagine,ingemuit,pertæſuſque ignaviam ſuam, quòd nihil à ſe memorabile actum eſſe eâ ætate, quâ jam ille orbem terrarum domuiſſet,miſſionem continuò efflagitavit, ad captandas majorum rerum occaſiones. Ad tantam gloriam adipiſcendam commotus forſitan non fuiſſet, ſi ſemper permanſiſſet domi. Pari formâ certum eſt, ad literas quoque novitate animos incitari.

Meâ ſententiâ ſenis fere menſibus, aut ſingulis annis, urbem quæres aliam. Curas omnes, quæ hunc impedire morem poſſint, abdicabis. Equidem infeliciſſimos voco, ſemperque vocabo, dies illos, quibus uſquam ultra menſem deſederim. Quod ſi profecturos metus inanis periculorum terreat; cum Cæſare dicant, *nunc te Fortuna ſequamur*. Peregrinatio præcipuè confert ad exercitationem.

Poſtquam enim in una urbe continuâ lectio

ne eos, qui te audiunt, fatigaveris, tranſire licebit in aliam, ubi rurſus novos habiturus ſis. Sunt præterea res complures, tum in campis quos peragramus, tum in civitatibus, ad quas venimus, quæ nos impellunt ad altiora. Quis non increpet ignaviam ſuam, quum tot Sylvas veſtitas frondibus, tot campos floribus herbiſque diſtinctos contuetur? Quis non doleat, ſe tam diu domi latuiſſe? Quis non miſeretur eos, qui jugi otio, vel (ut illorum verbo utar) tranquillitate, in urbe marceſcunt? Nec nobis tempus itineris omninò perit. Tum confeſtim arrepto ſtylo, tot miraculis exciti, aliquam naturæ induſtriam nitimur exprimere, eamque monſtrare poſteris. Tum pœnitet, ſic optimos annos defluxiſſe. Tum ſtatuimus, nos nunquam in uno loco, niſi per dies viginti, duraturos. Tum cenſemus, extremo impetu omnia peragenda. In agris, nâturæ vires: in urbe, hominum opera magis contemplamur. Ergo extemplò evolandum, omnia luſtranda, ubi Muſæ verſantur: non ſemel, ſed decies, vicies, centies. Neque id, quo πόλεων μεγέθη, καὶ λαμπρότητας, καὶ τὴν τῶν ὠνίων ἀφθονίαν *id eſt: Vrbium magnitudines, & ſplendores, & rerum venalium copiam*, ſpectemus, quæ ad inſtitutum nihil conferunt: ſed ut omnia trahamus in occaſionem eruditionis. Literas venabimur, literarum gratiâ proficiſcendum. Res quidem aliquando adverſæ in itinere accidunt: ferendi æſtus, algores, pluviæ, venti. Sed, ut ſæpenumero dixi, dura durum faciunt, mollia mollem. Magis optaverim leonis robur nuſquam cedens, quàm luxum muliebrem. Palmæ naturam ſequi jubet, neſciam ſuccumbere. Quis perpetuò ſecundam Fortunam toleret? tantum ubique varietas juvat. Nec ego ſemper proſperam expertus ſum. Quum puer eſſem, ex alto loco in medium flumen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

men incidi, ita ut omnis pænè vitæ ſpes perierit. Mox caſu advenere, qui non ſine ſuo periculo jam ferme mortuum liberârunt. Nunc ingens malorum agmen occurrit, quæ fata ſuperârunt noſtra. verùm iſthæc commemoratio huc non ſpectat. Apage ergo, ſtolida dea, quæ immeritò & bonos viros opprimis, & flagitioſos blandis afflatibus in altum vehis. Tua, Virtus, veſtigia ſequar, mille laboribus, per ſaxa, per ignes. In hac ſemitâ, nec adſcenſus arduus, nec minæ, nec diſcrimina, nec vulgi terrores properantem detinebunt. Hîc dulciores ſudores cum ſpe ſummæ victoriæ, quàm fortunæ luxus cum perenni ſolicitudine. Hîc in lachrymis ipſis eſt quędam conſolatio. Hîc gratum eſt, inter imbres, procellas, fulmina, tonitrua, per altiſſimas rupes, manibus pedibuſque niti. Quippe ardens amor nullum admittit tædium. Hîc jucundum, vulnerari ſentibus, ex alto pręcipitari, nullis non agitari incommodis, modo indies propior ſpes victoriæ fiat. Hæc alit laborantem. Hæc efficit, ut in pleno gaudio mens exſultet. An ego queam tot labores perpeti, nunc ſcribendo per decem dies, nunc docendo ab aurora ad heſperum, nunc iter faciendo æſtate per æſtus, fulmina, tonitrua, hyeme per frigora, nives, grandines, niſi ipſa aliquando fatigatio occurreret? Lateat vulgus in ædibus, ſequantur ſomnia tenebras, caveant pallentes umbræ, ne levis aura faciem lædat, ne madeant imbre, ne tegulæ caſu intereant, domi etiam non deſunt pericula; curent ſe longis conviviis, tum horis pręſcriptis deambulent, alternis diebus mentem, ſi quam habent, in tanto contemtu temporis, inſtaurent luſu, ne lentæ animantes labore nimio conſumantur. Nos in luce verſari, atque ſub dio mundum ſpectare decrevimus. Certum eſt, viſere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſere varia gentium ſtudia. Quis ſemper inter eoſdem vultus ſine tædio tranſigat vitam? Sed dicat aliquis, qui ex puerorum convictu colligit pecuniam: Quid? etiam in primis Latinæ linguæ rudimentis ſic mutandum locum cenſes? Maximè: Grammaticæ fere quatuor annos tribuunt, & plerumque in uno loco. Quanto ſatius eſſet, ſi interea octies ſcholâ & urbe commutatis, toties ſummam artis, quæ brevis eſt, puer didiciſſet: relictis omnibus præceptionibus, quæ non omnino ſunt neceſſariæ. Nunc contra, quo diu detineant adoleſcentes, ea inculcant, quæ me puderet hîc recenſere: tam ſunt humilia, tam rarò occurrunt apud auctores. Quum principio nihil docere deberent, quod non creberrimi uſus ſit. Cauſæ hujus conſilii ſunt, quod à multis plura, vel ſaltem aptiore omnia ordine diſcent, quàm ab uno. Deinde, quod eam ætatem ſicuti nos, non parum excitabit novus conſpectus eorum, inter quos verſabitur. Haud ambigo, complures fore, qui faciendum ſecus judicent: ſed his non omnino ſumma erit & temporis & victoriæ cura.

Quos ſecum libros vehere debeat ſtudioſus, qui mutabit locum.

Qui alium petere locum decrevit, & longam ingredi viam, libros ſecum conferat ſolùm, in quibus diligenter res aliquas notaverit. Quod ſi in volumine duæ tantum treſve paginæ notatæ ſint, eas è libro eximat, reliquum vendat. Nec ſit adeò ſordidus, ut exiguâ jacturâ rei conatum remoretur. Cogitet ſemper, ſi ad ſumma pervenerit, non defuturas opes. Superiori anno Baſileam profecturus, è novo opere Plinii ſecundum librum à me notatum excidebam, ut mecum ferrem. Amicus interveniens, me mentis eſſe parum ſanę, opinabatur. Sic tractavi libros com-

plures

plures, ſemperque faciam quum id poſtularit occaſio. Tametſi mihi eſſent novi codices Ciceronis, Platonis, Demoſthenis, grandi comparati ære, omnes tamen paginas erumperem, in quibus ſcitu dignum aliquid ſcripſiſſem, quando eſſet proficiſcendum. Ob duas cauſas id facio: Quòd in illis fixa memoria ſit, & quod ſcripta ea nonnihil conducere queant ad ſtylum. Qui hoc mirantur, mirentur iidem, quur in terram agricolæ abjiciant ſemen, ut cum fœnere plura recipiant. Nobis certior multò quàm ruſticis ſpes eſt rerum maximarum, ſi vixerimus. In hunc modum iter faciam ad varias hominum nationes, nova diſcendi gratiâ. Idem facient, qui mecum proficiſcentur, ſi meum ſequi conſilium velint. Librorum ingentem ubique reperiemus copiam. In itinere autem cogitatione utemur, & mentis vis novi ſemper aliquid parturiet.

Studioſos debere eſſe liberos.

Haud facilè emergunt, qui conducti ſtipendio, vel pueros privatim inſtituunt, vel publicè in Academia non omnino celebri profitentur diſciplinas ad ſpatium anni, duorumve, vel apud typographos ſcriptores emendant. Cauſæ mihi duæ occurrunt. Quod hi non magno videantur animo, nec amplius tendere ad altiora, qui hujuſmodi rebus poſſunt detineri. Meo judicio per campos apertos laxis habenis, quacunque fortuna monſtraret iter, tendendum erat ad ſcopum. Altera, quod ex ea tranquillitate ſocordia quædam exſiſtit, quæ perſuadeat nobis, deſiderari nihil, quod ad triumphi nomen faciat. Itaque, ô juventæ illuſtre robur, dehinc contemtis & ſtipendiis, & illecebris cunctis, quæ vel horæ intercapedinem unius poſſint impedire, petamus ſedem, quo nemo unquam adſpiravit. Ingentis eſt ignaviæ ſemper alios velle ſequi, ſemper

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſemper ducem quærere. Ante mori certum ſit, quàm ulli cedere mortalium. Pulchrum eſt, ſexcentos leones in pugnam ſpectaculo uno committere: pulchrum fortè, multis populis imperare: ſed pulchrius, propriâ virtute eo veræ laudis penetrare, quò nemo te ſequi poterit. Victoria in manu eſt. Magno Alexandro quis non (crebro tam animoſi pectoris meminerit?) quum nunciaretur, triginta Darium regem militum adducere myriadas, εἷς μάγειρος, ἔφη, πολλὰ πρόβατα οὐ φοβεῖ) *id eſt: Vnus, inquit, lanius non timet multas oves.* Sicuti leo citiùs ſævit in virum, quàm feminam, pueros non ſine ſumma fame coactus attingit: ita & nobis, leonum more, maxima quæque maximo arripienda ſudore ſunt. Hominis vita temporis punctum eſt, ſed quid non vincit labor ac ſedulitas? Fingat ſe quiſque nudis pedibus in medio poſitum igne, cogitetque quanta tum agilitas in membris pigris eſſet, ſolùm pro ſalute corporis: nunc multò major ſit pro ſalute animi. Hoc ſpectaculum ſemper ſit in pectore Quum ædificia quinque aut ſex ſimul flagrant incendio, tum curſitant, in flammas ruunt, ut aliquid igni eripiant; pars tecta conſcendunt, funduntque aquas; pars opes è domo rapiunt, nec ea tempeſtate magna ſomni aut ventris cura eſt: ſic noſtra tractanda ſtudia ſunt. Iſthic videas, quid humana vis efficiat, ſi vires experiatur, quid intra annum, imò breviſſimum tempus præſtare poſſit. Fulminis modo ad ea feremur quæ poſcimus. Sermones omnes non niſi tonitrui ictus erunt. Mens momento orbem totum peragrabit. Quid celerius mente? Manuum uſus corporiſque motiones globos emiſſos pulvere accenſo imitabuntur. Ociſſimè Sol in occiduas mundi plagas tendit, niſi hunc ſequamur, nihil efficimus: Vix eſſe credam cœli vola-

tum-

tum vehementiâ noſtrâ concitatiorem. Tu ignava Græcia, non perpetuum dabitur decennium Trojæ, primo impetu omnia ruent. Etiam mundo egredi facile eſt, ſi pavidum animal tentaverit, ſi ſemel tantùm fecerit periculum. Non arbitremur, deos eſſe qui ſolertiâ mediocri ſumma hactenus occupavere. Quorum admiratio ita cepit poſteros, ut vix dum quiſquam ſequi eôdem contenderit. Non priſcorum elevare decus, verùm ad majora alios impellere conamur.

Peroratio.

Ne fortè ſurdis auribus hæc, quæ diximus, præterierint, nonnulla repetemus, unde communis omnium ſalus pendet. Ante omnia ſummum tibi ſcopum præfige, niſi prorſus effeminato ſis animo. Nec te moveat, ſcripſiſſe quoſdam, nihil ſibi eſſe magis in votis, quàm ut vel umbram Ciceronis adſequantur. Ne tibi adſcripſeris vetuſta ſtemmata, aut à majoribus partam laudem: pulchrius erit decus, cujus autor ipſe, quàm cujus hæres fueris. Animadverte, nihil intereſſe inter eos, qui nunquam nati ſunt, & eos, qui nullâ re memorabili geſta obſcuri ex hac vita migrârunt. Nihil ames, niſi laborem: luxum & fabulas fugito. Semper quære occaſionem audiendi, docendi, ſcribendi. Evitanda lectio ſolitaria, tempuſque omne exercitio impendendum. Non verear adfirmare, tantò quoſque eſſe doctiores, quantò crebrius docuerint. Quapropter σοφίαν apud Poëtam dicere reor: Uſus me genuit, mater peperit memoria. Dum audimus, vigilantiſſimo ſimus animo. Quum docemus, fugienda oſtentatio, & vanitas illorum, qui horæ intervallo vix decem verba proferunt, adeò lentè rem aggrediuntur, adeò ſeſe ad laborem componunt, captantes autoritatem. Omnis ipſorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rum cogitatio eſt, ut habeantur in pretio, ut docti à vulgo cenſeantur. Illi ad ſumma pervenient unquam? Impetus, impetus mihi placet, cùm in rebus omnibus, tum in docendo. Quod enim agricolis meſſis eſt; hoc tempus iſtud, ſi fructum ſpectes, eruditis: ubi obſecro quis non moram damnaverit? Noſtris potiùs viribus nitamur: ac horas illas, quæ infeliciter aliis pereunt aſſentatione, ſeu conciliando favore hominum, impendamus literis. Sapiens animi magnitudo veram laudem in factis poſitam, non in vaga famâ judicat: principemque ſe eſſe mavult, quàm videri. Tametſi nonnunquam inter legendum animus laſſus aut labore aut cogitatione perpetuâ langueſcit, laborandum tamen, quoad ſpiritus ullus in corpore fuerit reliquus: à morte licebit quieſcere. Nuſquam umbra, ſemper lux & hominum cœtus placeant. Dii boni, quantus intra breviſſimum tempus evaderet ille, qui nullam diei intermitteret horam, quâ non aliquid vel audiret, vel doceret, vel ſcriberet. Si fieri poteſt, docendi magis, quàm audiendi occaſionem captabimus. Quippe non paucos videas, qui aliud nihil, quàm audiunt, in hoc ſeneſcunt, nec apti ſunt, vel autorem profiteri, vel quicquam politè ſcribere queant. Si mentem exornare ſtudes, quâ ſolâ diſtamus à cæteris animantibus, perdiſcenda omnia è toto diſciplinarum orbe, quæ ſcitu digna judicas: Illi, quorum major eſt cura corporis quàm animi, ajunt, pulchrum eſſe in una arte excellere: at pulchrius multô, excellere in pluribus. Nullæ ſunt feminæ tam à Muſis alienæ, quæ non unam diſcere queant: imò picas id efficere poſſe intra annos viginti, quos hæc hominum monſtra uni ſtudio impendunt, arbitror. Ut Fabii verbis utar, hi non perſpiciunt, quantum natura humani ingenii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

genii valeat, quæ ita eſt agilis ac velox, ut ne poſſit quidem aliquid agere tantùm unum. Poſtremum eſt, ut mutes locum: alioquin & ſomnolentus, & imperitus ſemper permanebis. Nunquam me pœnituit (nec quenquam pœnituiſſe puto,) quod literarum gratia in Academiam aliam tranſierim. Contra ſemper magno & ſero dolore deprehendi, me nimium diu in urbe unâ deſediſſe. Haud abjiciendus animus, licet non continuò ex ſententia omnia ſucceſſerint. Nihil enim videmus, niſi ex parvis principiis, ad ſumma rerum faſtigia emergere. Habent omnia doctrinarum genera amari nonnihil, quod initio ingruentium pectus deterreat. Verùm ipſum illud comes penſat utilitas. Proinde levi incommodo offenſi non protinus reſiliemus. Olim principes Græciæ vellus aureum, per tot maria & pericula petitum, virtute duce, comite Fortunâ, urgentibus acrioribus gloriæ ſtimulis, vexerunt: ſpirantes ignes, indomitos & rebelles tauros domuere: ſopitum draconem occîdere: fatiſq; dantibus, obortam ſegetem illam militũ, ut rueret in mutua vulnera, coëgere. Amazones dexteram mammam exurebant, quo plus alimenti ad manum vicinam perveniret. Democritus quum videret animi faciem impediri adſpectu oculorum, ipſos ſibi eruit, ut commodiùs rerum naturas mente comprehenderet. Hæc nos nonnihil accendere debent. Demus itaque operam omnes, ut aliorum exemplis exciti, dehinc ſummo labore ad majora enitamur. Luxus, fabulæ inanes, & muliebres animi linquãtur mulieribus. τἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. id eſt; *Virtuti ſudorem Dii præpoſuerunt.* Fingamus, reliquum tempus abſtuliſſe ſomnum, abſtuliſſe pericula, abſtuliſſe morbos. Sed tamen dolendum, hactenus florem ætatis ſine fructu periiſſe, tempora nunquam reditura. Memoria quiſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

que repetat omnia malorum genera ab ipſo vitæ exordio: ſubeat recordatio, quot dies quam frigidis rebus abſumſerit, ut indignans, dolenſque tot annos ſine fruge abiiſſe, tanto majore furore graſſetur. Valeat ignavia, valeat cum eâ iniqua fatorum ſeries, quam nemo ſapiens metuit: animus ubi ad gloriam virtutis via ſævit, abunde potens eſt, neque Fortunæ indiget. Verè etenim nobiles exiſtimo, non qui funes âureos collo circumferunt, quique parietes & veſtibula pictis majorum magiſtratibus ornant: ſed qui veris ac ſuis bonis, hoc eſt, eruditione, moribus, eloquentia, ſe ſuoſque illuſtrare conantur. Pauci noverunt, quàm certa ipſos ſolidaque maneat felicitas, qui ad hanc æternam ſedem penetrare ſtatuerunt. Fortunæ munera, ut regna, & urbes, & decor formæ, pereunt: parta virtute ac labore fixa ſunt. Hęc poſſeſſio non ferro, non flammis, non rapinis, non tempeſtatibus ullis obnoxia eſt. Sed finem facio. Breve ſpatium vitæ noſtræ, per horas id dilabitur, ociſſimè perit hora, (utinam iſthæc ô formoſa juventa perſpiceres! in te ſpes longè maxima eſt) citò dies, citò menſis, celeriter etiam annus, quum tamen parvus annorum numerus ſit: ad hæc dimidium ævi aufert ſomnus, magnam partem convivia, luſus, morbi, præpoſteri conatus: quodque duriſſimum, incertâ morte Lacheſis atrox omni momento imminet. Niſi ſummo ſtudio temporis fructum quæramus, ſine gloria pecudum more ſumus morituri.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANDOVERPIANI

In librum ſuum De RATIONE STUDII ANNOTATIONES.

AIunt nonnulli, concitatam plus æquo eſſe orationem. Sed hi non vident, quod Horatius jubet, talem eſſe debere aut Poëtam aut oratorem, cujus modi eſſe auditores cupit. Si dolere me vis, inquit, dolendum tibi prius eſt. Si incitare velis alios, id nunquam efficies ſedato ſermone. Etenim, quemadmodum Fabius ait, non incendit, niſi ignis; nec madeſcimus, niſi humore: nec res ulla dat alteri colorem, quem ipſa non habet. Citiùs quiſquam manu cœlum attingeret, quàm animos moveret, ipſe tranquillus & immotus.

Pulchrum eſt enim, mediocrem.] Triplex ſtudioſorum inſtitutum ſive ſcopus eſt. Infimus, quum eſſe volunt mediocres. Medius, quando pares eſſe ſtudent illis, qui primas hactenus partes tenuere. Summus, quum evadere conantur ſupra ſummos.

Quam tot hominum millia.] Adhuc perpetua manet interrogatio & admiratio: ideo poſt *celebrabunt* etiam nota interrogationis ponenda.

Immenſum pectore.] Hoc eſt, pulmone, quo ſpiritum attrahimus, continens pro contento.

Qui ſub ſignis noſtris.] Complures in ſtudii ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tione demonſtravere, qui libri quo ordine legendi ſint: quùm multo magis neceſſe erat, expellere ignaviam, quæ paſſim dominatur.

Namque ſine ipſa nihil efficere animus poteſt.] Corpus enim inſtrumentum animi eſt. Quod ſi bene affectum fuerit, facilius ea, quæ volet, animus operabitur: ſin malè, majore conatu atque ſudore opus erit, quia multa tentabit repugnante naturâ.

Ἀνδρῶδες οὐδὲν ἐπιδεδειγμένοι?] Ad imitationem Luciani. ubi in deorum dialogis Æſculapio Hercules objicit: Σὺ δὲ ῥιζοτόμος εἶ, καὶ ἀγύρτης. νοσοῦσι μὲν ἴσως ἀνθρώποις χρήσιμος ἐπιθήσειν τῶν φαρμάκων, ἀνδρῶδες δὲ οὐδὲν ἐπιδεδειγμένος. Ante ἀνδρῶδες ponenda nota interrogationis, atque etiam poſt ἐπιδεδειγμένοι.

Quod ſine Pulvere.] Metaphora ſumta à pugnantibus in prælio.

Alia vi rem aggrediemur.] Hîc vi ſcribendum duabus literis, non tribus. Quod dico, ne typographi per imprudentiam pro vi ponant via. Qui error & frequens eſt, & ſæpenumero faciem mutat orationis. Eadem cauſa me plerunque ſcribere cogit, quod alioqui non eram ſcripturus, præſertim, quum levis immutatio tum numeros, tum ſtructuram totam inverteret.

Si nihil attigeris, niſi locos communes.] Hi ſunt res aut voces, quarum frequens uſus eſt: ut, deus, mundus, homo, animus, animal, juſtitia, fortitudo.

Optimè hic officio fungi ſuo.] Hic adverbium, hoc eſt, in Theologiæ ſtudio.

Non ſatis eſt, tam leviter.] Siquidem prius de ea aliquid dictum hoc loco. Neceſſariæ formæ loquendi, diſſerendi, dicendi.

(cujus tot exſtant monumenta.] Ut opera Homeri, Ciceronis, Vergilii, Ovidii.

Solem ſuperiora trigonis fere radiis convertere.] Quoniam hac diſtantia ſtare coguntur.

Ea doce, quæ noveris. Etſi parum feliciter doceri videtur is, qui iſtiuſmodi lectorem audit; diſcenti tamen plus adferri frugis opinor exercitio tali, quàm labore ſolitario.

Primas tribuunt papaveri.] Marſilius Ficinus ait, ſtudioſis edendum papaver, quod ſemen illud ſomnum inducat.

Mihi rem fuiſſe principio laborioſam.] Digreſſio uſque ad eum locum, *Sed ad rem eamus.*

Etiamſi naturâ facundus es, data opera loquaris incompoſitè.] Hoc omnino neceſſarium iis, qui ſummi eſſe volunt in ſcribendo, ad quod omnia noſtra tum ſtudia, tum præcepta tendunt. Inquiunt, bene poſſe ſcribere eos, qui bene loquuntur. Fateor id verum eſſe, ſi de rebus iiſdem & loquerentur, & ſcriberent. Sed colloquia fere ſunt de rebus familiaribus, de eventu belli aliquo: quum ſcribendum ſit de communibus locis, de Deo, de mundo, de homine, de animo ſive animalibus. Quid hîc profuerit, quod aliquando domeſticas nugas ſcitè recitaveris? Hoc ergo tempus, quod iis impendiſti, certum eſt, tibi majore ex parte periiſſe. Porrò quibus animus non eſt, ut ſcribant, totis viribus niti debent, ut politè loquantur. Diſcant hi, quemadmodum res omnes memorare eleganter poſſint. Illorum tamen gloria à noſtra laude diſtat, quo momentum ab æternitate.

Graſſari cœpi.] Id verbum quoque in bonam partem accipi poteſt. Velut apud Salluſtium: *Animus ubi ad gloriam virtutis via graſſatur.*

In hac finire vitam decrevi.] Hîc objecere nonnulli, vitam potiùs honeſtam debere eſſe finem. Qui non rectè videntur ratiocinari. Nam fieri poteſt, ut aliquis probè vivat, & ſit eruditus.

Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Nec credo, ullam eſſe occupationem, quæ magis ab illicitis adfectibus hominem abducat, quàm ſtudia literarum. Mirum dictu, quantum vitiorum è pectore humano tollat luxus opumque contemtio, quam neceſſariam hîc eſſe diximus.

Poſtmodo tamen.] Vox crebra apud Suetonium.

Sic aliquando modica in dictione. Hoc eſt, oratione; ne *vocabulum* quis putet ſignificari.

Ad maxima quæque pervenires.] Apoſtrophe ad pueros.

Felix puer, cui molles articuli.] Oratio jucunda, quæ eſt, quoties deſcribuntur ſylvæ virentes, flumina currentia, res, ſeu luſus puerorum.

O utinam.] Ovidius in epiſtolis: *O utinam tunc, quum Lacedæmona claſſe petebat!*

Quum Sol adverſa nobis figeret veſtigia.] Sermo eſt de media nocte. Tunc enim Sol eſt in parte circuli meridiani, quæ perpetuò ſub terra occultatur ſupra caput antichthonum.

Nocte vagante in medio cœlo.] Nox aliud nihil, niſi terræ umbra eſt, quæ ſurgente Sole occidit, oritur Occidente.

Vitæ domum.] Deſcribitur horoſcopus libri De ratione ſtudii, hoc eſt, ſitus ſeu facies cœli, quæ erat primâ mediâ nocte in Auguſto anni milleſimi quingenteſimi vigeſimi noni. Duodecim cœli domus ſunt. Quarum prima, ſignificat vitam: ſecunda opes: tertia fratres: quarta parentes: quinta prolem: ſexta morbos: ſeptima matrimonium ſeu nuptias: octava mortem: nona religiones & peregrinationes: decima actiones: undecim amicos: duodecima inimicos. De his plura in inſtitutionibus noſtris Aſtronomicis.

Sol parentum.] Sol ſemper mediâ nocte in principio domûs quartæ eſt.

Pars

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Pars mundi poſtrema.] Id eſt, duodecima domus, quæ attingit horoſcopum.

Nos ſpectabant Phanon.] In noſtro Hemiſphærio erant.

Facies mundi eſt admiratione majore digna.] Inter alia felicem ſortita eſt locum Luna tribus de cauſis: quod in domo ſecunda ſit, quod in Cancro domicilio ſuo, quod cum parte fortunæ ſit.

Horoſcopi formam tui.] Apoſtrophe ad Romam. Horoſcopus eſt pars ſigniferi, quæ alicujus rei exordio emergit: qua parte cognitâ, etiam reliquæ habentur domus. Sed quoniam in figura duodecim domorum aſcendens gradus præcipuus eſt, quemque ante omnia ſolent contemplari, fit ut horoſcopus hoc loco, & identidem apud autores alios, pro toto cœlo in plana forma depicto diſtinctoque partibus duodecim accipiatur.

Si locum.] Hoc eſt, urbem in qua librum de ſtudii ratione perſcripſerim.

A bruma.] A circulo Capricorni, in quo bruma ſive breviſſimus dies eſt.

Sextante orbis.] Hoc eſt, duobus ſignis.

Cum ſemuncia.] Semuncia mundi quindecim continet gradus.

Binis prope horis.] Id eſt, pænè triginta gradibus: quia inter Orientem & Occidentem tranſitus quindecim graduum cœli, unam efficit horam.

Ab occaſu.] Ab inſulis Fortunatis, ubi Occidens terræ totius collocatur.

Quis inter tot vitæ diſcrimina?] Ἀποσιώπησις, quemadmodum apud Virgilium: *Quos ego? ſed motos præſtat componere fluctus.*

Voces duas commiſſas aptè.] Metaphora ſumpta à

tabulis ligneis, quæ propriè dicuntur committi, unde & commiſſura dicta.

Saxa aut ligna per transverſum lateri ſupponito.] Si qui hanc præceptionem mirentur, legant id, quod mox de plumbo admonebimus: nam idem utriſque reſpondemus.

In veſtibus interioribus aliquando conſuo plumbum.] Cavillantur, hîc præſcribi de exercitio corporis, quæ ne Geta quidem faceret: ſed hi, quibus ad ſtylum minus eſt ardoris, qui hac tantam gloriam nondum conceperunt animo. Quum ad ſumma tendenti nihil non tentandum ſit, unde vel minimam frugem ſperes. Quis non eſſe furoris dicat, quod Demoſthenes fecit, circa flumina & montes calculis injectis ori inſani modo currere, clamareque vocis augendæ gratiâ. Id tamen uno ore laudamus omnes. Nemo eſt qui ignoret, pro animorum vehementiâ remiſſioneve aliud nos tum ſentire, tum facere. Ut uno verbo omnes ejuſmodi objectiones diluam, omnes ſermones laboreſque, qui paullùm excedunt communem conſuetudinem vulgi, hoc eſt, fabulas inanes, deſidiam, oſtentationem maximam in minimis & ſemper iiſdem rebus, inſani judicantur. Quicquid infra ſuam induſtriam vident, pigritiam vocant: ſi majus quicquam invenerint, furorem. Eos qui magnos crateras hauſtu uno ſiccare poſſunt, qui ſic craſſum illud & poroſum corpus vino implent, ut per cutem humor erumpat, (nam tum ſe ſatis inquiunt potâſſe, quum poſitis quinq; ſuper menſam digitis (quod ipſe aliquando vidi) totidem guttæ excidunt,) laudant, hos viros eſſe & homines dicunt, indignos hominis vocabulo. Reliquos, qui ſpretâ hac fœdiſſimâ vitâ ad altiora ſe convertunt, qui animi cultu certare malunt quàm poculis, nuncupant inſanos. Age, dic mihi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

hi, quid aliud curant per totos dies, quàm pabulum, armentorum more, & obſcœnas libidines? ad hæc duo, omnes ſuas cogitationes, omnia ſtudia referunt: in his duabus voluptatibus ſummum bonum, hoc eſt, ſummam humanæ naturæ felicitatem ponunt: opes colligunt in hunc uſum. Ajunt, ſe velle colere Deum, ac juvare pauperes: ſed nihil minus aut cogitant, aut faciunt: ad corpus omnia referuntur. Animus noſter ſæpe multò majora concipit, quàm palàm auſit profiteri, propter communem ſtuporem plebis, quæ vel minimam diligentiam furorem appellat. Quoties me inſanum vocârunt, quum per integrum menſem quotidie docerem ab ortu Solis ad occaſum? quoties dixerunt, fieri non poſſe, quin ante finem menſis inter labores exſpirarem? Fatigor quidem, id non nego, etiam pænè uſque ad ſpiritus defectionem: ſed fatigatio ea dulcis eſt. Complures, aliis occupationibus impediti, ad lectionem veniebant, non tam audiendi, quàm ſpectandi gratiâ. Si quemquam ſtudioſum lentè & graviter compoſito, & adfectato greſſu videant incedere, hunc ſapientem, hunc gravem virum nominant. Quod ſi occurrentem aliquem conſpicerent, hunc extemplò exclamarent eſſe furioſum, & in vincula conjicerent. Quamobrem? quia ſegniùs ipſi laborare conſueverunt: quia nihil probant, niſi quod ipſi faciunt. Sed ſtupida multitudo non videt, illo lento aggreſſu nil niſi vulgare poſſe comparari. Paullò majora petenda ſunt, ſi ſapimus. Utinam ii, qui turpiſſimas corporis voluptates ſequuntur, ſic ſævirent in rebus honeſtis. Quàm admirabilis tum eſſet hominis natura nobiliſſima? quàm te dignam cenſeremus, cui vitæ neciſque poteſtas ſit reliquarum animantium? In rebus omnibus uſus nitorem & gratiam; quies ſitum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ac ſqualorem parit. Nihil pejus otio. Quid in Oceano, Sole, ſtelliſque cœli, præſertim circa medium orbis, magis admirabile, quàm velociſſimus curſus, quo quotidie terram totam ambiunt? Nos animo omnem corporis uſum dicamus. Hoc ſervire, etiam inter imbres, procellas, fulmina, tonitrua, æſtus, algores, & nocturnas tenebras, inter mille pericula, dum alii conviviis, luſu, ſomno fruentur; illum imperare volumus. Scio, me ſcripſiſſe in hoc libro multa, quæ otioſorum hominum fabulas non effugient: nec me ſcripſiſſe pœnitet. Nam parvipendo judicium eorum, quibus diverſum inſtitutum eſt; hoc eſt, qui decreverunt, lentè omnia aggredi, quæ ad mentis decorem faciunt; ac vigilantiùs quærere, quæ ad corpus pertinent. Meminiſſe oportet, perbreve ſupereſſe tempus, fortè annos quinque aut ſex, (certè non plures nos exſpectamus ob calculi morbum, adverſus quem vix ullum eſt remedium.) proinde aut laborandum eſſe; aut cadendum ſine honore, ſine gloria, cum ignava multitudine, in fumi modum, cujus veſtigia nulla relinquuntur. Multa ſanè pertuli, ſed quia magna non niſi magno comparantur, hac mercede placet, quicquid Fortuna intulerit. Ingruat ſimul univerſa malorum multitudo, modò aliquando liceat per tot rerum diſcrimina eò, quò decrevimus, evadere. Pulchrum eſt, inerti turbæ inſanum videri: imò turpiſſimum, illorum ſequi veſtigia.

Qui primùm ſe urbes expugnaturum.] Alluſio ad Terentii dictum: *Primùm ædes expugnabo.*

Omni momento immines.] Apoſtrophe ad Lacheſin: ne tertia perſona pro ſecunda ponatur.

APPEN-

APPENDIX
ex
CHAO.
DE STUDENDI RATIONE.

TRia ſunt, quæ breviſſimo temporis ſpatio rudiſſimos quoſque homines ad maximam eruditionem provehere poſſint, audire, docere, ſcribere. Ad audiendos Profeſſores his verbis Iſocrates Rhetor adoleſcentes hortatur: μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους αἰσχρὸν γὰρ μὲν, τοὺς ἐμπόρους τηλικαῦτα πελάγη διαπερᾶν ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, τοὺς δὲ νεοτέρους μηδὲ τὰς κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν ἐπὶ τῷ βελτίω καταστῆσαι τὴν ἑαυτῶν διάνοιαν. Id eſt, *Ne pigeat longam viam ire ad utile aliquid docere profitentes. Turpe eſt enim, mercatores longinqua maria pertranſire cauſa divitiarum: juniores verò neque per terram iter tolerare ad mentem meliorem conſtituendam.* Secundum eſt, ut unuſquiſque quàm primùm poſſit doceat. Siquidem facilè artes evaneſcunt, niſi exercitatione confirmes: & in omnibus rebus ferè minus valent præcepta, quàm experimenta. Plus utilitatis conſequeris, ſi per horam unam docueris, aut enarraveris doctum autorem, quàm ſi horis decem ſolitario te ſtudio confeceris. Nunquam commodius deprehenderis quid intelligas, quid te lateat, quàm ſi alios doceas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

DES. ERASMI ROTERODAMI DE RATIONE STUDII Tractatus.

PRincipio duplex omnino videtur cognitio, rerum ac verborum. Verborum prior, rerum potior. Sed nonnulli dum ἀνίπτοις (ut ajunt,) ποσὶν ad res diſcendas feſtinant, ſermonis curam negligunt, & malè affectato compendio, in maxima incidunt diſpendia. Etenim cum res non niſi per vocum notas cognoſcantur, qui ſermonis vim non callet, is paſſim in rerum quoque judicio cæcutiat, hallucinetur, deliret, neceſſe eſt. Poſtremò videas, nullos omnium magis ubique de voculis cavillari, quàm eos, qui jactitant, ſeſe verba negligere, rem ipſam ſpectare. Quapropter utroque in genere ſtatim optima, & quidem ab optimis, ſunt diſcenda. Quid enim ſtultiùs, quàm magno labore diſcere, quæ poſtea majori cogaris dediſcere? Nihil autem facilius diſcitur, quàm quod rectum ac verum eſt. At prava ſi ſemel inhæſerint ingenio, dictu mirum quàm non poſſint revelli. Primum igitur locum Grammatica ſibi vendicat, eaque protinus duplex tradenda pueris, Græca videlicet ac Latina. Non modò quod his duabus linguis omnia ferme ſunt prodita quæ digna cognitu videantur, verùm etiam quod utraque alteri ſic affinis eſt, ut ambę citiùs percipi queant conjunctim, quàm altera ſine alterâ; certè quàm Latina ſine

ne Græca. A Græcis auſpicari nos mavult Quintilianus, ſed ita, ſi his literis perceptis, non longo intervallo Latinæ ſuccedant: ſanè utraſque pari curâ tuendas eſſe monet, atque ita futurum, ut neutræ alteris officiant. Ergo utriuſque linguæ rudimenta & ſtatim, & ab optimo præceptore, ſunt haurienda: qui ſi ſorte non contingat, tum (quod eſt proximum) optimis certè utendum auctoribus: quos equidem perpaucos, ſed delectos eſſe velim. Inter Græcos Grammaticos nemo non primum locum tribuit Theodoro Gazæ: proximum, mea ſententiâ, Conſtantinus Laſcaris ſibi jure ſuo vendicat. Inter Latinos vetuſtiores Diomedes. Inter recentiores haud multùm video diſcriminis, niſi quod Nicolaus Perottus videtur omnium diligentiſſimus, citra ſuperſtitionem tamen. Verùm ut hujuſmodi præcepta fateor neceſſaria, ita velim eſſe, quantum fieri poſſit, quàm pauciſſima, modò ſint optima. Nec unquam probavi literatorum vulgus, qui pueros in his inculcandis complures annos remorantur. Nam vera emendatè loquendi facultas optimè paratur, cum ex caſtigatè loquentium colloquio convictuque, tum ex eloquentium autorum aſſiduâ lectione: è quibus ii primùm ſunt imbibendi, quorum oratio præter quam quod eſt caſtigatiſſima, argumenti quoque illecebra aliqua diſcentibus blandiatur. Quo quidem in genere primas tribuerim Luciano, alteras Demoſtheni, tertias Herodoto. Rurſum ex Poëtis primas Ariſtophani, alteras Homero, tertias Euripidi. Nam Menandrum, cui vel primas daturus eram, deſideramus. Rurſum inter Latinos quis utilior loquendi auctor quam Terentius? purus, terſus, & quotidiano ſermoni proximus, tum ipſo quoque argumenti genere jucundus adoleſcentiæ. Huic ſi quis aliquot ſele-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ctas Plauti comœdias putet addendas, quæ vacent obſcœnitate, equidem nihil repugno. Proximus locus erit Vergilio, Tertius Horatio. quartus Ciceroni, quintus C. Cæſari. Salluſtium ſi quis adjungendum arbitrabitur, cum hoc non magnopere contenderim. Atque hos quidem ad utriuſque linguæ cognitionem ſatis eſſe duco. Neque enim mihi placent, qui in evolvendis hunc in uſum auctoribus, etiam quibuſlibet, vitam omnem conterunt, prorſus infantem exiſtimantes eum, quem ulla chartula ſuffugerit. Ergo paratâ ſermonis facultate, ſi non luxurioſa, certè caſta, mox ad rerum intelligentiam conferendus eſt animus. Tametſi ex his etiam ſcriptoribus, quos expoliendæ linguæ gratiâ legimus, non mediocris obiter rerum quoque cognitio percipitur. Verùm ex inſtituto omnis fere rerum ſcientia à Græcis auctoribus petenda eſt. Nam unde tandem haurias vel purius, vel citius vel jucundius, quàm ab ipſis fontibus? Sed quo ordine diſciplinæ diſcendæ ſint; & ex quibus potiſſimùm præceptoribus; id aliàs fortaſſe rectiùs oſtendemus. Interim ad primæ ætatis ſtudia revertamur. Ut igitur ex his auctoribus, unde linguæ copiam petendam eſſe diximus, fructum capias, & maturius, & uberiorem, Laurentium Vallam tibi cenſeo diligenter evolvendum, qui de Latini ſermonis elegantia ſcripſit elegantiſſimè. Hujus adjutus præceptionibus, ipſe per te non pauca annotabis. Neque enim te velim per omnia velut addictum, Laurentianis ſervire præceptis. Adjuvabit hoc quoque, ſi figuras grammaticas à Donato ac Diomede traditas edidiceris, ſi carminis leges ac formas omnes tenueris, ſi rethorices ſummam, hoc eſt, propoſitiones, locos probationum, exornationes, amplificationes, tranſitionum formulas, in

promptu

promptu habueris. Conducunt enim hæc non ſolùm ad judicandum, verùm etiam ad imitandum. His itaque rebus inſtructus, inter legendũ auctores non oſcitanter obſervabis, ſi quod incidat inſigne verbum, ſi quid antiquè aut novè dictum, ſi quod argumentum, aut inventum acutè, aut tortum aptè, ſi quod egregium orationis decus, ſi quod adagium, ſi quod exemplũ, ſi qua ſententia digna quæ memoriæ commendetur. Iſque locus erit aptâ notulâ quapiam inſigniendus. Notis enim non ſolùm variis erit utendum, verùm etiam accommodatis, quò protinùs, quid rei ſit, admoneant. Ad hæc ſi quis Dialecticen addendam ſtatuet, non admodum refragabor, modò ab Ariſtotele eam diſcat, non ab iſto loquaciſſimo ſophiſtarum genere, neque rurſum ibi deſideat, & velut ad ſcopulos (ut inquit Gellius) ſirenæos conſeneſcat. Verùm illud interim memineris, optimum dicendi magiſtrum eſſe ſtylum. Erit hic igitur in carmine, in oratione libera, in omni argumenti genere diligenter exercendus. Neque negligenda memoria, lectionis theſaurus. Eam tametſi locis & imaginibus adjuvari non inficior, tamen tribus rebus potiſſimum conſtat optima memoria: intellectu, ordine, curâ. Si quidem bona memoriæ pars eſt, rem penitùs intellexiſſe. Tum ordo facit, ut etiam quæ ſemel exciderint, quaſi poſtliminio in animum revocemus. Porrò cura omnibus in rebus, non hîc tantùm, plurimum valet. Itaque quæ meminiſſe velis, ea ſunt attentius ac crebrius relegenda: deinde ſæpius à nobis ipſis exigenda, ut ſi quid forte ſuffugerit, id reſtituatur. Illud minutius, ſed tamen haud indignum quod admoneatur. Adjuvabit non mediocriter, ſi, quorum neceſſaria quidem, ſed ſubdifficilis erit memoria, veluti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

locorum, quos tradunt Coſmographi, pedum metricorum, figurarum grammaticarum, genealogiarum, aut ſi qua ſunt ſimilia, ea, quam fieri poteſt, breviſſimè ſimul & luculentiſſimè in tabulas depicta, in cubiculi parietibus ſuſpendantur, quo paſſim & aliud agentibus ſint obvia. Item, ſi quædam breviter ſed inſigniter dicta, velut apophthegmata, proverbia, ſententias, in frontibus atque in calcibus ſingulorum codicum inſcribes, quædam annulis aut poculis inſculpes, nonnulla pro foribus & in parietibus, aut vitreis etiam feneſtris, depinges, quo nuſquam non occurrat oculis, quod eruditionem adjuvet. Hæc enim tametſi ſingula per ſe puſilla videntur, tamen in unum collata acervum, doctrinæ theſaurum lucro augent, haud quaquam negligendo τῷ εἰς ἄφενον σπεύδοντι id eſt, *his opibus properanti diteſcere.* Poſtremò illud non ad unum aliquid, ſed ad omnia ſimul plurimùm conducet, ſi frequenter alios quoque doceas. Nuſquam enim melius deprehenderis quid intelligas, quid non. Atque interim nova quædam occurrunt commentanti, diſſerentique: nihil non altius infigitur animo.

De ratione inſtituendi Diſcipulos.

SEd video te cupere, ut de docendi quoque ratione nonnihil attingamus. Age mos geratur Viterio: quanquam video Fabium hiſce de rebus diligentiſſimè præcepiſſe, adeò ut poſt hunc de iiſdem ſcribere prorſus impudentiſſimum eſſe videatur. Ergo qui volet inſtituere quempiam, dabit operam, ut ſtatim optima tradat. Verùm qui rectiſſimè tradat optima, is omnia ſciat neceſſe eſt: aut ſi id hominis ingenio negatum eſt, certè uniuſcujuſque diſciplinæ præcipua. In hoc non ero contentus decem illis aut

duo-

duodecim autoribus, ſed orbem illum doctrinæ requiram, ut nihil ignoret etiam qui minima parat docere. Erit igitur huic per omne ſcriptorum genus vagandum, ut optimum quemque primum legat, ſed ita ut neminem relinquat inguſtatum, etiam ſi parum bonus ſit autor. Atque id quo cumulatiore fructu faciat, antè locos & ordines quoſdam, ac formulas in hoc paratas habeat, ut quicquid uſquam inciderit annotandum, id ſuo adſcribat ordini. Sed hoc qua ratione fieri oporteat, in ſecundo de copia commentario demonſtravimus. Verum ſi cui vel ocium vel librorum copia defuerit, plurima Plinius unus ſuppeditabit, multa Macrobius & Athenæus, varia Gellius. Sed in primis ad fontes ipſos properandum, id eſt, Græcos & antiquos. Philoſophiam optimè docebit Plato, & Ariſtoteles, atque hujus diſcipulus Theophraſtus, tum utrinque mixtus Plotinus. Ex Theologis ſecundùm divinas literas, nemo melius Origene, nemo ſubtilius aut jucundius Chryſoſtomo, nemo ſanctius Baſilio. Inter Latinos duo duntaxat inſignes in hoc genere, Ambroſius mirus in alluſionibus, & Hieronymus in arcanis literis exercitatiſſimus. Quod ſi minus vacabit immorari ſingulis, omnes tandem cenſeo deguſtandos: quorum in præſentia catalogum texere, non eſt ratio. Certè propter Poëtarum enarrationem, quibus mos eſt, ex omni diſciplinarum genere ſua temperare, tenenda eſt fabularum vis: quam unde potiùs petas, quàm ab Homero, fabularum omnium parente? Tametſi Metamorphoſes, ac Faſti Naſonis, non leve momentum adferent, quanquam Latinè ſcripti. Tenenda Coſmographia: quæ in hiſtoriis etiam eſt uſui, nedum in Poëtis. Hanc breviſſimè tradit Pomponius Mela, doctiſſimè Pto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

lemæus, diligentiſſimè Plinius. Nam Strabo non hoc tantu m agit. Hic præcipua pars eſt obſervâſſe, quæ montium, fluminum, regionũ, urbium vulgo recepta vocabula, quibus antiquis reſpondeant. Eadem debet eſſe cura arborum, herbarum, animantium, inſtrumentorum, veſtium, gemmarum nominibus: in quibus incredibile dictu, quàm nihil intelligat literarum vulgus. Horum notitia partimè diverſis auctoribus, qui de re ruſtica, de re militari, de architectura, de re culinaria, de gemmis, de plantis, de naturis animantium, conſcripſerunt, colligitur. Quanquam Iulius Pollux ex profeſſo de rerum vocabulis tradidit, quæ utinam tam accuratè diſtinxiſſet, quàm congeſſit copiosè: partim ex etymologiis, partim ex his linguis quæ priſci ſermonis & incorrupti manifeſta veſtigia ſervant in hanc uſque ætatem, cujuſmodi lingua Conſtantinopolitanorum, Italorum, & Hiſpanorum; nam Gallorum oratio longius degeneravit. Tenenda antiquitas, quæ non modò ex vetuſtis auctoribus, verùm etiam è numiſmatis Priſcis, è titulis ſaxiſque colligitur. Ediſcenda & Deorum genealogia, quibus undique refertæ ſunt fabulæ: eam poſt Heſiodum feliciùs quàm pro ſuo ſeculo tradidit Boccatius. Non ignoranda aſtrologia, quod hanc paſſim ſuis figmentis aſpergunt Poëtæ, præſertim Hygini. Tenenda rerum omnium vis, atque natura, propterea quod hinc ſimilia, epitheta, comparationes, imagines, metaphoras, atque alia id genus ſchemata, ſolent mutuo ſumere. In primis autem omnis tenenda eſt hiſtoria, cujus uſus latiſſimè patet, non tantum in Poëtis. Iam ſi quis Prudentium, unum inter Chriſtianos verè facundum Poëtam, vellet enarrare, literas etiam arcanas calleat oportet. Poſtre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſtremò nulla diſciplina eſt, nec militiæ, nec rei ruſticæ, nec muſices, nec architecturæ, quæ non uſui ſit iis, qui Poëtas aut Oratores antiquos ſuſceperint enarrandos. Sed video, jam dudum frontem contrahis. Næ tu, inquis, immenſum onus imponis literatori. Onero ſanè, ſed unum, ut quàm plurimos exonerem. Volo ut unus evolvat omnia, ne ſingulis univerſa ſint evolvenda. Iam verò de formando puerorum ore, deque tradendis ceu per luſum jocumque literarum figuris, ſatis præcepit Fabius. Equidem poſt tradita elementa prima, malim ad uſum loquendi ſtatim vocari puerum. Etenim cum intra pauculos menſes quamvis barbaram linguam ætas ea ſonet, quid vetat quo minus idem fiat in lingua Græca, ſive Latina? Verùm id nec in magno puerorum grege locum habet, & domeſticam præceptoris conſuetudinem requirit. Quanquam in ludo quoque dabit operam, ut ſive pluribus loquatur, ſive ſeorſim uni, quam poteſt emendatiſſimè dicat. Quædam obiter interpretetur, & ut imitentur, admoneat. Loquentes illos aliquoties collaudet, ſi quid dictum erit aptius; aut emendet, cum errabunt. Ea res efficiet, ut illi quoque conſueſcant circumſpectius & accuratius loqui, & præceptorem loquentem attentius obſervent. Iuvabit & illud, ſi præpoſitis præmiolis, aut pœnis, velut ex lege provocentur, ut ipſi quoque inter ſeſe alius alium emendent. Porrò præceptor eruditiores aliquos deliget, qui controverſiam finiant. Neque fuerit inutile, ceu formulas aliquot proponere pueris, quibus orationibus in luſu, quibus in congreſſu, quibus in conviviis uti debeant. Has ſic oportet eſſe doctas, ut ſimul & faciles ſint & jucundæ. Porrò doctor ille diligens & doctus, acrique judicio, non gravabitur, col-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

latis omnibus Grammaticorum præceptis, excerpere quædam, & ſimpliciſſima, quoad quidem fieri poteſt, & breviſſima tum ordine quam maximè commodo. Poſteaquam ea tradidit, ſtatim ad auctorem aliquem ad id accommodatiſſimum, ac loquendi ſcribendique conſuetudinem, vocentur. Hic præceptiones ante traditas, ut incident, exemplaque diligenter inculcabit: quibus etiam addet nonnihil, velut jam tum ad majora præparans. Hinc jam thematiis exerceri debent. In quibus illud inprimis cavendum, ne (quod fieri ſolet) aut ſenſu ſint inepto, aut ſermone inſulſo, ſed argutam aliquam, aut venuſtam habeant ſententiam, quæ tamen ab ingenio puerili non nimium abhorreat, ut interim aliud agentes, ſimul & aliquid diſcant, in gravioribus ſtudiis uſui futurum. Habeat igitur thema, quod pueris proponat, aut hiſtoriam memorabilem. Quod genus ſunt illa: *M*arcelli præceps calor rem Romanam ſubvertit. Fabii prudens cunctatio reſtituit. Quanquam hîc ſubeſt etiam ſententia, nimirum, præcipitata conſilia parum feliciter evenire ſolere. Item, difficile judicatu ſit, uter altero fuerit ſtultior, Crates, qui aurum abjecit in mare; an Midas, qui exiſtimavit nihil auro melius eſſe. Item, Demoſtheni ac Ciceroni immodica eloquentia exitio fuit. Rurſum, nulla laus Codri regis meritis par eſſe poteſt, qui civium ſalutem propriæ vitæ diſpendio redimendam putavit. Sed non magni negocii fuerit, hujuſmodi vim ex hiſtoriographis, præcipuè Valerio Maximo, colligere. Aut fabulam habeat. Ut illud; Hercules expugnandis monſtris immortalitatem ſibi paravit. Muſæ fontibus ac nemoribus unicè gaudent, à famoſis urbibus abhorrent. Aut apologum. Ut, Rectè docuit Caſſi,

ta,

ta, non eſſe committendum amicis negocium, quod per te poſſis conficere. Item, Manticam pectore propendentem vident omnes; eam, quæ à tergo pendet, videt nemo. Item, Sapiebat vulpes, quæ maluit muſcas jam prope ſaturas retinere, quam his expunctis, vacuas ac ſitientes admittere, quæ quicquid reliquum eſſet ſanguinis, epotarent. Aut Apophthegma. Ut, Longè diſſentiebat à vulgo noſtræ ætatis, qui maluit virum abſque pecunia, quam pecuniam ſine viro. Item, Iure Socrates contemnit eos, qui non edunt ut vivant, ſed vivunt ut edant. Meritò non probavit Cato eos, qui plus ſapiunt palato, quàm animo. Aut proverbium. Ut, Ne ſutor ultra crepidam. Et; Non cujuſlibet eſt hominis Corinthum navigare. At nos quidem, editis tot chiliadibus, effecimus, ne difficilis eſſet horum inventio. Aut ſententiam. Ut: Nihil carius conſtat, quàm quod precibus emitur. Et: Obſequium amicos; veritas odium parit. Et: Amici, qui procul abſunt, amici non ſunt. Aut rei cujuſpiam inſignem naturam. Ut, Magnes ad ſeſe ferrum attrahit; Naphtha ignem. Item, Palmæ ea eſt natura, ut pondere impoſito, non modò non deprimatur ad terram, verùm etiam ſurſum nitatur, & altiùs erigat ſeſe. Item, Mirum Polypi ingenium, qui ad ſpeciem ſubjecti ſoli mutat colorem, quò fallat inſidias piſcatoris. Aut figuram eximiam, puta gradationem. Divitiæ luxum pariunt, luxus ſaturitatem, ſaturitas ferociam, ferocia odium multorum, odium perniciem. Aut ſimilitudinem, ut: Quemadmodum ferrum, ſi exerceas, uſu atteritur; ſi non exerceas, exeditur rubigine: Ita ingenium, ſi exerceas, labore abſumitur; ſi non exerceas, magis ocio ſituque læditur. Aut allegoriam, ut: non eſt addendus ignis igni; non

eſt

eſt addendum oleum incendio. Aut commutationem. ut: non ideò te talem judico, quod vehementer amem; ſed ideo vehementer amo, quod talem judicârim. Aut diſtributionem: Stultior eſt, quàm ut poſſit tacere; infantior, quàm ut poſſit loqui. Simplicior eſt, quàm qui poſſit mentiri: gravior, quàm ut velit. Sed mihi ſat eſt indicâſſe tantùm. Aut exquiſitam aliquam elegantiam. Cujus rei non eſt neceſſe ponere exemplum. Nihil autem obſtat, quo minus plures commoditates in eandém incidant orationem, veluti ſententia, hiſtoria, proverbium, & figura. Ergo præceptor, quem oportet aſſiduè in bonis auctoribus obverſari, hujuſmodi ceu floſculos undiquaque colliget, eoſque delectos proponet, aut etiam in eam formam demutabit, ut puerorum ingeniis ſint accommodati. Poſtquam his rebus ad aliquantam ſermonis peritiam provectus erit puer, tum, ſi videbitur, ad majora grammatices præcepta revocetur: quæ per locos & ordines quoſdam, ita tradenda ſunt, ut primo loco ſimpliciſſima proponantur, eaque paucis. Deinde, utcunque adoleſcunt diſcentium ingenia, ita majora ſuis quæque locis oportebit ſubjicere. Is ordo cujuſmodi ſit, è Theodori Gazæ Grammatica exemplum ſumas licebit. Nec in his tamen velim eos detineri longius, ſed ilicò ad auctores graviores revocari. Præſertim ſi prius ſummam illam, de qua dixi, rhetorices, ac figuras, & carminum formas teneant. Interim thematis quoque difficilioribus ſunt exercendi, in quibus deligendis ac narrandis, diligentem & doctum præceptorem requiram. Qui ſi ſit mediocris, modò ſit idem modeſtus, non gravabitur hæc ab alio doctiore petere. Thematum autem formæ hujuſmodi fere poſſunt eſſe.

Nunc

Nunc epiſtolæ brevis argumentum, ſed argutum, linguâ vulgari proponat, Latinè Græcéve, aut utroque ſermone tractandum. Nunc apologum, nunc narratiunculam non inſipidam, nunc ſententiam ex quatuor conſtantem partibus, utrique duarum ſimili aut ratione ſubjecta. Nunc argumentationem quinque tractandam partibus; nunc dilemma duabus; nunc expolitionem, quam vocant, ſeptem partibus explicandam. Aliquando tanquam ad rhetorica præludentes, unum aliquod membrorum ſeorſum tractent. Cujuſmodi progymnaſmata ſcripſit Aphthonius. Aliquando laudem, vituperationem, fabulam, ſimilitudinem, comparationem. Aliquando figuram, vel deſcriptionem, diſtributionem, ſermocinationem, ſubjectionem, notationem. Aliquoties jubeantur carmen aliquod ſolvere. Aliquoties ſolutam orationem pedibus alligare. Interim Plinianam, aut Ciceronis epiſtolam, verbis ac figuris imitentur. Nonnunquam eandem ſententiam variatis verbis ac figuris ſæpius efferant. Nonnunquam eandem Græcè ſimul ac Latinè metro & oratione proſâ varient. Nonnunquam eandem quinque aut ſex carminum generibus, quæ doctor præſcripſerit, explicent. Nonnunquam ſententiam eandem per locos quam plurimos ac ſchemata diffingant. Plurimum autem fructus eſt in Græcis vertendis. Quare convenit, eos hoc in genere ſæpiſſime ac diligentiſſimè exerceri. Nam ſimul & exercetur ingenium in deprehendendis ſententiis, & utriuſque ſermonis vis ac proprietas penitus inſpicitur, & quid nobis cum Græcis commune ſit, quid non, deprehenditur. Denique ad reddendam Græcanicam emphaſin, omnes Latinæ linguæ opes excutias oportet. Hæc ſi initio pueris difficilia vide-

debuntur, tum uſu fient faciliora, tum præceptoris ingenium, ac ſtudium, bonam negocii partem pueris adimet, indicatis quæ putet eſſe ſupra vires illorum. Atque his interim exercitamentis crebræ perlectiones autorum miſceantur, ut ſuppetat quod imitentur. Quanquam is, qui docet, propoſito themate, ſimul verborum quoque & figurarum copiam debet indicare. Sub hæc ad inveniendi quoque laborem provocentur, ita propoſitis nudis argumentis, ut ſuo quiſque marte reperiat, quæ pertinebunt ad rem tractandam, ornandam, locupletandam. Et hic delectum ac varietatem requiram à præceptoris eruditi diligentiâ, guſtum interim exhibebo. Sæpius argumentum epiſtolæ proponet ſuaſoriæ, diſſuaſoriæ, exhortatoriæ, dehortatoriæ, narratoriæ, gratulatoriæ, expoſtulatoriæ, cõmendatoriæ, conſolatoriæ. Et uniuſcujusque generis naturam, locos, ac formulas quaſdam communes, dein argumento propoſito, etiam peculiares indicabit. Aliquando ceu declamatorium thema dabit, in diverſis generibus, puta ſi jubeat eos vituperare Iulium Cæſarem, aût laudare Socratem, in genere demonſtrativo. Item ſtatim optima diſcenda. In opibus non eſſe felicitatem. Matrem proprio lacte nutrire debere quod peperit. Literis Græcis non eſſe dandam operam, aut eſſe dandam. Uxorem eſſe ducendã, aut non eſſe ducendam. Peregrinandum eſſe, aut non eſſe peregrinandũ, in genere ſuaſorio. Item, M. Horatium indignum eſſe ſupplicio, in genere juridiciali. Verùm hanc palęſtram primum ingredientibus non gravabitur is, qui docendi provinciam ſuſcepit, primum indicare, quot propoſitionibus id argumentum tractari poſſit. Præterea propoſitionum ordinem demonſtrabit, & quo pact alia ex alia pendeat. Deinde quot ratio-

ni-

nibus unaquæque propoſitio fulciri debet, quot confirmationibus unaquæque ratio. Tum circumſtantias ad locos, unde iſta peti poſſint. Deinde quibus ſimilibus, diſſimilibus, exemplis, collationibus, ſententiis, proverbiis, fabulis, apologis, unaquæque pars locupletari queat. Oſtendat & ſchemata, ſi qua inſigniter videbuntur incidere poſſe, quæ vel acriorem, vel ampliorem, vel magis dilucidam, vel jucundiorem reddant orationem. Si quid erit amplificandum, rationem demonſtret, ſive per locos communes, ſive per eas rationes, quas in quatuor formas diſtribuit Quintilianus. Quod ſi qui inciderint affectus, hi quoque quo pacto tractandi ſint, admonebit. Quin & connectendi rationes præſcribat, quis ſit optimus futurus tranſitus, ab exordio ad narrationem, à narratione ad diviſionem, à diviſione ad argumentationem, à propoſitione ad propoſitionem, à ratione ad rationem, ab argumentatione ad epilogum, aut perorationem. Oſtendat & formulas aliquot, quibus ibi commodè poſſint exordiri, aut etiam perorare. Poſtremò, ſi poteſt, locos aliquot in autoribus indicet, unde valeant aliquid imitandum ſumere, propter rerum affinitatem. Id ubi ſepties aut octies erit factum, jam incipient (quod ait Horatius) ſine cortice nare, & ſatis erit nudum thema miniſtraſſe: nec neceſſe fuerit, ſemper velut infantibus cibum præmanſum in os inſerere. Nec mihi diſplicet illud exercitationis genus, quod apud antiquos in uſu video fuiſſe, ut ex Homero, Sophocle, Euripide, Vergilio, ut etiam ex hiſtoriis aliquando legantur themata. Puta, ut Menelaus apud Trojanam concionem repetat Helenam. Aut, Phœnix ſuadeat Achilli, ut redeat in prælium. Aut Ulyſſes ſuadeat Trojanis,

nis, ut Helenam reddant, potiùs quam bellum experiantur. Quo in genere exſtant aliquot Libanii & Ariſtidis declamationes. Præter ea, uti ſuadeat aliquis amicus Ciceroni, ne conditionem ab Antonio oblatam accipiat, quod argumentum eſt apud Senecam. Uti Phalaris ſuadeat Delphis, ut taurum æneum Deo ſuo conſecrent. Ad hoc genus pertinent epiſtolæ, quæ Phalaridis ac Bruti nomine circumferuntur. In emendando collaudabit, ſi quid felicius inventum, tractatum, aut imitatum videbitur: ſi quid prætermiſſum, aut non ſuo loco poſitum, ſi quid nimium, aut remiſſius, ſi quid obſcurius, aut etiam ſi quid parum eleganter dictum erit, admonebit. Et, quo pacto mutari poſſit, oſtendet, ac mutari, & ſæpius jubebit. Exſtimulabit autem præcipuè diſcentium animos, comparatione profectus, velut æmulatione quadam inter ipſos excitata. Iam in prælegendis autoribus nolim te facere, quod pravâ quadam ambitione vulgus profeſſorum hodie facit, ut omni loco coneris omnia dicere; ſed ea duntaxat, quæ explicando præſenti loco ſint idonea, niſi ſi quando delectandi cauſa digrediendum videbitur. Quod ſi hujus quoque rei rationem à me requiris, hæc mihi quidem videbitur optima. Primo loco ad conciliandos auditores, laudes ejus, quem prælegendum ſumit, paucis explicet. Deinde argumenti jucunditatem utilitatemque oſtendat. Mox vocem argumenti ſi forte (ut faciunt plerique) varios habeat uſus, explicet, ac diſtinguat. Veluti comœdiam (ut hoc exempli loco ſumamus) Terentianam interpretaturus, inprimis de auctoris fortuna, de ingenio, de ſermonis elegantia paucis diſſerat. Deinde quantum habeat & voluptatis, & utilitatis comœdiarum lectio: deinde quid ſignificet

ea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ea vox, & unde ducta, & quot ſint comœdiarum genera, & quæ ſint comœdiæ leges. Deinceps quam poteſt & dilucidè, & breviter ſummam explicet argumenti. Carminis genus diligenter indicet. Poſt ordinet ſimplicius, deinde ſingula fuſius explicet. Ad hæc, ſi qua inſigni elegantia, ſi quid priſcè dictum, ſi quid novatum, ſi quid græcanicum, ſi quid obſcurius, aut longius redditum, ſi durior aut perturbatior ordo, ſi qua etymologia, ſi qua derivatio aut compoſitio ſcitu digna, ſi qua orthographia, ſi qua figura, ſi qui loci rhetorici, ſi qua exornatio, ſi quid depravatum, diligenter admoneat. Tum loca ſimilia ex auctoribus conferat: ſi quid diverſum, ſi quid affine, ſi quid imitatum, ſi quid alluſum, ſi quid aliunde tranſlatum, aut mutuo ſumtum, ut ſunt pleraque Latinorum à Græcis profecta, ne id quidem taceat. Poſtremò ad philoſophiam veniat, & Poëtarum fabulas aptè trahat ad mores, vel tanquam exempla demonſtret, ut Pyladis & Oreſtis, ad amicitiæ commendationem, Tantali fabulam ad avaritiæ deteſtationem. In his non mediocriter adjuvabit docentem Euſtathius, Homeri interpres. Atque ita fiet, (ſi modò ſit ingenii dextri præceptor) ut etiam, ſi quid inciderit, quod inficere poſſit ætatem illam, non ſolùm non officiat moribus, verum etiam utilitatem aliquam adferat, videlicet animis partim ad annotationem intentis, partim ad altiores cogitationes avocatis. Veluti ſi quis prælecturus ſecundam Maronis eclogam, commodâ præfatione præparet, vel potiùs præmuniat auditorum animos ad hunc modum, ut dicat: Amicitiam non coire niſi inter ſimiles, ſimilitudinem enim eſſe benevolentiæ mutuæ conciliatricem, contra diſſimilitudinem odii diſſidiique parentem: quoque major ac verior ſtabiliorque ſimilitudo fuerit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rit, hoc firmiorem atque arctiorem eſſe amicitiam. Id nimirum ſibi velle tot apud auctores proverbia: Boni ad bonorum convivia & invocati accedunt: &, ſimile gaudet ſimili: &, æqualis æqualem delectat: &, æqualem tibi uxorem quære: &, ut ſemper ſimilem ducit Deus ad ſimilem! &, ſemper graculus aſſidet graculo: &, ſimiles habent labra lactucas: &, pares cum paribus facillimè congregantur: &, cæcus caſcam ducit: &, balbus balbum rectiùs intelligit: &, cicada cicadæ chara; formica formicæ: &, Cretenſis cum Aegineta. Contra, tot diſſimilitudinis adagia, nihil aliud ſibi velle, quàm, inter eos, qui diſſimili ſunt fortunâ, diſſimili vitæ inſtituto, diſſimilibus ſtudiis, aut omnino non coire amicitiam, aut ſi coïerit, non cohærere, citóque dirimi: atque ob id fieri, ut idiota ſtudioſum literarum oderit, profanus ſacerdotem, ruſticus aulicum, juvenis ſenem. Atque in eodem genere Epicureus Stoicum, philoſophus juriſconſultum, poëta theologum, balbus eloquentem. Hinc geminorum gratiam fratrum, Amphionis & Zeti, pænè diſſiliiſſe, quod alter lyrę ſtudioſus eſſet, alter agriscol[illegible]ndis gauderet: ac diſſilierat, niſi Amphion abjectâ lyrâ fratris ingenio ceſſiſſet. ob eandem cauſam inſincera fuit Caſtoris & Pollucis amicitia, neque caruit infamiâ tentati parricidii, cum uterque eodem ex ovo eſſent prognati, ut jam magis eſſe gemelli non poſſent, quod alter pugil eſſet, alter equis delectaretur. Hinc malè conveniſſe Remo cum Romulo, quod alter triſtioribus ac ſeveris eſſet moribus, alter blandior: unde & Romulo pro Romo, mutatum nomen. Peſſimè conveniſſe Cain cum Abel, quod diverſo vitæ genere caperentur. Summum autem amorem ſummæ ſimilitudinis eſſe comitem, at-
que

que ideò fictum à poëtis: quemadmodum Narciſſus, antea ab omni abhorrens conſortio, ſimul atque ſuam ipſius imaginem in limpidiſſimo fonte conſpexiſſet, protinus amore flagrantiſſimo cœpit ardere. Quid enim noſtri ſimilius, quàm ipſa imago? Ergo cum doctus doctum amat, ſobrius ſobrium, modeſtus modeſtum, probus probum; nihil aliud amat uterque, quàm ſuam ipſius in altero imaginem, hoc eſt, ſe ipſum, ſed alio modo. Verùm ea ſimilitudo, ſi quidem ſita eſt in bonis animi, quæ verè ſunt bona, hoc eſt, pietate, juſtitiâ, temperantiâ, tum ejuſmodi naſcitur amicitia, cujuſmodi ſunt eæ res, quibus amicitia conciliatur, hoc eſt, honeſta, vera, ſincera, ſtabilis, æterna. Contrà, ſi in rebus corporeis ac fluxis, aut etiam turpibus; eam nec verè eſſe amicitiam, nec jucundam, nec diuturnam, oſtendit. Proinde Platonem duas finxiſſe Veneres, alteram cœleſtem alteram terreſtrem. Duos item Cupidines, ſuæ utrumque matri reſpondentes. Cœleſtem veras gignere formas, & hujus filium veros & honeſtos immittere amores. Inter bonos ſemper amorem eſſe mutuum, inter vulgares plerumque alterum amare, alterum odiſſe, alterum perſequi, alterum fugitare. Id accidit fere propter ingeniorum vitæque diſſimilitudinem. Quod quidem eleganter ſignificat apud Poëtas Cupido, qui nonnunquam hunc aureâ cuſpide figit, illum plumbeâ, illum ut amet, hunc ut abhorreat: atque hoc amicitiæ genere nihil eſſe poteſt infelicius. Ejus igitur amicitiæ malè cohærentis, quaſi ſimulachrum quoddam, in hac ecloga, proponit Virgilius. Corydon ruſticus, Alexis urbanus. Corydon paſtor, Alexis aulicus. Corydon indoctus (nam hujus carmina vocat incondita,) Alexis eruditus, Corydon ætate

pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

profectus, Alexis adoleſcens. Corydon deformis, hic formoſus. Breviter, diſſimilia omnia. Quare prudentis eſt, amicum ſuis moribus aptum deligere, ſi velit amari mutuum. Hæc inquam ſi præfertur, tum autem locos demonſtratorios, perperam & bucolicè à ruſtico affectatos, indicet: nihil opinor turpe veniet in mentem auditoribus, niſi ſi quis jam corruptus acceſſerit. Nam iſte venenum non hinc hauſerit, ſed huc ſecum attulerit. Hoc exemplum verboſius expoſui, quò facilius in cæteris item ſibi quiſque ſimilia reperiat. Iam in aggreſſu cujuſque operis conveniet, in genere demonſtrare, quæ ſit argumenti natura, & quid in eo potiſſimùm ſit ſpectandum. Velut in epigrammatis, argutam brevitatem laudari. Tum jocandi rationes, quas Fabius & Cicero tradunt, indicabit. Hoc genus præcipuè gaudere epiphonematis, commodè in fine adjectis, quæ cogitationem velut aculeatam in animo lectoris relinquant. In Tragœdiâ præcipuè ſpectandos affectus, & quidem fere acriores illos. Hi quibus rebus moveantur, paucis oſtendet. Tum argumenta veluti declamantium. Poſtremò, deſcriptiones locorum, temporum, rerum, aliquoties, & argutas altercationes, incidere, quæ nunc diſtichis, nunc ſingulis verſibus, nunc hemiſtichiis abſolvantur. In Comœdia cùmprimis obſervandum eſſe decorum, & vitæ communis imitationem: affectus eſſe mitiores, & jucundos magis quam acres. Decorum autem inprimis ſpectari, non ſolùm illud commune, ut adoleſcentes ament, lenones pejerent, blandiatur meretrix, objurget ſenex, fallat ſervus, jactet ſe miles, atque id genus alia: verum peculiare quoddam, quod ſuo arbitratu aliis aliud affingit Poëta. Velut in Andria duos inducit ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nes longè diverſo ingenio. Simonem vehementem, ac ſubmoroſum, haud ſtultum tamen, nec improbum. Contra Chremetem civilem ac ſemper placidum, ubique ſibi præſentem, omnia quantum poteſt pacantem, at ita tamen lenem, ut minimè ſtupidum. Duos item adoleſcentes diſſimili naturâ. Pamphilum cordatum pro ratione ætatis, & conſultabundum, ſed acriorem, ut Simonis filium poſſis agnoſcere. E diverſo Charinum puerilem, ineptum conſiliique inopem. Rurſum ſervos duos diverſis moribus. Davum, vafrum & conſiliis abundantem, ac ſperandi pertinaciſſimum auctorem. E regione Byrrhiam nullius conſilii, tantùm perpetuum deſperationis auctorem hero. Ad eundem modum in Adelphis. Mitionem etiam in objurgando mitem, ac feſtivum. Demeam etiam in blandiendo amarulentum. Rurſum Aeſchinum, præter urbanæ vitæ conſuetudinem & Mitionis fiduciam nihil non audentem, ſed ita ut probum ingenium deprehendas, officioſum in fratrem, fidum in puellam. E diverſo Cteſiphontem ſubruſticum ac timidum, propter earùm rerum inſolentiam. Syrum callidum, & audacem, nihilque non ſimulantem, ac diſſimulantem, adeò ut ſola ebrietas detexerit illius fucos. Dromonem ſtupidum atque hebetem. Sed ita perſequi non hujus eſt inſtituti: in præſentia ſatis eſt, viam indicâſſe. In Eclogis admoneat, eſſe aurei ſeculi ac priſcæ illius vitæ imaginem. Proinde quicquid illic eſt ſententiarum, ſimilium, ac comparationum: à vita paſtorali ſumi: affectus ſunt ſimplices cantionibus, ſententiis, ac proverbiis delectantur, ſuperſtitione & auguriis capiuntur. Ad eundem modum, quid proprium habeat carmen heroicum, quid hiſtoria, quid dialogus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quid apologus, quid ſatyra, quid oda, quid reliqua ſcripti genera, curabit admonere. Tum quæ ſint ſingulorum auctorum in ſingulis argumentis dotes, aut etiam vitia, non gravabitur indicare, quo jam tum aſſueſcant adoleſcentes, ei quod eſt in omni re præcipuum, judicio. Atque in hac parte præceptorum, præter artem & ingenium, adjuvabit etiam libellus Ciceronis de Claris oratoribus, & Quintiliani, Senecæ, atque Antonii Campani de ſcriptoribus cenſuræ, neque non veteres interpretes, præcipuè Donatus hac in re peculiariter occupatus. Huc pertinet & conſilii ratio. Veluti quare M. Tullius in defenſione Milonis finxerit ſeſe timere. Et quare Vergilius tantopere laudibus vehat Turnum hoſtem Aeneæ. Et quare abdicatus medicus apud Lucianum non lædat novercam, ſed magis laudet, & in patrem acrior ſit quàm in novercam. Sed id quoque in immenſum patet. At judicabit aliquis, hæc nimium habere negocii. Equidem præceptorem eruditum, longoque uſu exercitatum volo eſſe. Is ſi continget, hæc etiam facilè percipient pueri. Quod ſi qua in initio erunt duriora, progreſſu & aſſuetudine molleſcent. Optima certè ſunt, niſi fallor: & optimis convenit ſtatim aſſueſcere: quanquam hæc non ubique omnia ſunt inculcanda, ne tædio graventur ingenia diſcentium, ſed ut inciderint inſigniora. Neque verò minorem adhibeat curam præceptor in exigendo quæ commiſit, quàm in prælegendo. Eſt omnino labor hic docenti graviſſimus, ſed diſcentibus utiliſſimus. Nec ordinem exigat duntaxat, ſed quidquid ſcitu dignum fuerit creditum, id aſſueſcant bonâ cum fide reddere. Neque verò deterreat ab hac re difficultas: quæ vel menſtruo temporis ſpacio vincitur. Mihi nunquam placuit, ut omnia dictata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ctata ſcribant adoleſcentes : fit enim hoc pacto, ut memoriæ cultus negligatur, niſi ſi qui pauca quædam notulis velint excipere, idque tantiſper, donec uſu confirmata memoria ſcripti non deſiderent adminiculum. Poſtremò tantum arbitror eſſe momenti in commoda docendi ratione, ſi modò diligens & eruditus contigerit præceptor, ut non dubitârim meo recipere periculo, me minore negocio, ac paucioribus annis, adoleſcentes ad utriuſque linguæ mediocrem etiam eloquentiam perducturum, modò dentur ingenia non omnino infelicia, quam iſti literatores ad qualemcunque illam ſuam balbutiem vel infantiam potiùs provehunt ſuos. His igitur rudimentis puer in prima imbutus ſcholâ, deinde bonis avibus ad altiores diſciplinas conferat ſeſe, & quocunque ſe verterit, facilè declarabit, quantopere referat ab optimis auſpicatum fuiſſe. Hæc habui in præſentia, mi chariſſime Petre, quæ tibi de Studii ratione ſcriberem. Ea ſi placent, utere: ſin minus, ſedulitatem certè noſtram pro tuo candore boni conſules. Tu modò perge ita, ut inſtituiſti, in bonas literas incumbere: ac Galliam tuam, alioqui florentiſſimam, honeſtis etiam ſtudiis illuſtra. Vale.

CASPARIS BARLÆI

METHODUS STUDIORUM,

Præſcripta Ducibus Megapolenſibus, ad eorum Ephorum.

DOCTISSIME VIR,

Quæ in laudem noſtram cumulas magnifica verba, modeſtè prætervehar. Quod urbibus, regionibus, ædificiis accidere ſolet, evenit literarum & humaniorum artium ſtudioſis. Abſentia nec viſa unquam veneramur, & miramur, faſtidimus præſentia. Omnium rerum major è longinquo reverentia eſt. minuitur coram conſpecta res, quam remotam ex oculis fama claram facit. Illud auſim profiteri, me benevolentiæ & humanitatis ſtudiis concedere nulli, doctrinâ & eruditionis typho cuivis. Petis, ut Methodum ſtudiorum Tibi præſcribam, qua inſtructus viam monſtres Principibus tuis, quos in patriæ ſuæ totiuſque Germaniæ ingentem ſpem educas & præformas. Non dubito, qnin ritè noris illa, quæ ſcire à me exigis, nec alio fine hæc exigere te arbitror, niſi ut videas, quam idem tecum ſentiam; quò majore fiduciâ, aliorum ſuffultus ſuffragio, aggrediaris rem glorioſam tibi & Megapolitanis Ducibus perutilem.

Præſcribi poteſt methodus Principi, quam communem habeat cum ſtudioſis quibuſlibet, etiam infra Principum faſtigium & Majeſtatem poſitis. Præſcribi poteſt & altera, quæ illorum propria ſit. Sunt enim in lectione & prælectione

ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ne clariſſimorum autorum quædam cum delectu notanda, quæ Principes potius, quam vulgares animas tangunt. Ego communem ita perſequar, ut Principes tuos juxta defigam in eorum contemplatione, quæ Principatum maximè decent & illuſtrant.

Scribis tyrocinia linguæ Latinæ addidiciſſe Illuſtriſſimos adoleſcentes & Grammaticorum pulpæ ſaturas mentes ad altiora & edita Sapientiæ templa contendere. At eundem illis recto calle, ne per ambages errent & circumduci ſe patiantur per flexus & mæandros, cum compendio ire præſtet, & plana eligere, ne inter prærupta & fragoſa artium hæreant.

Magna ſuperiorum ſeculorum veneratio fuit, ideoque per veterum veſtigia eundum potius, & celebratiſſimorum autorum monumenta, quàm per poſterioris & langueſcentis ævi minus erecta & ſolida commenta. In illa collimare fas eſt poſteros, quia de aſſequenda majorum perfectione deſperamus nepotes. Poſt Grammatiſtarum ergo carnificinas & carceres, manumittendos ſuaſerim Iuvenes prælustres in Ciceronis Familiares Epiſtolas, ob dictionis nativam & minimè fucatam elegantiam, ac juxta in Terentii comœdias, tum ut ſuavitate rerum tenellæ mentes edulcentur, tum ut mores veteris ævi civiles domeſticoſque addiſcant, maximè ut puriſſimi ævi cupediis & delicatioribus dicendi floſculis adſueſcant. Adjungerem & Plautum, ob facetias & ingenioſiſſima reſponſa, hoc tamen delectu, ut ex epiſtolis Ciceronis, Plauto & Terentio ea excerpas & inculces maximè, in quibus Principum & rectorum reip. virtutes vitiaque notantur. His enim obſervationibus imbutus à teneris animus, ſervat diu, quæ adoleſcens imbibit. Exempli gratia, in Terentio

notetur Thraſonis audacia, in Plauto Miles glorioſus, aut in Amphitruone Dialogus Iovis & Amphitruonis de rebus in exercitu & bello præclarè geſtis, victis hoſtibus, vulneribus acceptis & inflictis. In Pænulo Actus ſecundus, ubi colloquuntur Lycus & Anthemonides miles. In Truculento Stratophanis militis colloquium. In Bacchidibus Cleomachi loquentis verba. In Epiſtolis Tullii obſervent, quam ſine faſtu & procul omni adulatione ſcripſerint Cæſar Ciceroni, Cicero Cæſari, Brutus Caſſio, Atticus Ciceroni, cum ignota eſſent ampliſſimorum, nobiliſſimorum, doctiſſimorum, prudentiſſimorum vocabula & ſuperlativi.

Poſt hos prælegerem Cæſaris Commentarios, cùm perpetua rerum militarium lectione excitetur generoſa Principum indoles, & orationis Romanæ minimè affectatum leporem ſpiret maximus Imperator. Unus quippe ſemper habitus eſt, qui eas res geſſerit, ut à quovis ſcriptæ eſſent, admirationi hominibus futuræ viderentur: unus qui ita ſcripſerit, ut quibuſcunque de rebus ſcriptam hiſtoriam reliquiſſet, maxima voluptate legeretur.

Curtius, Salluſtius, Iuſtinus, Florus gravius & magis elaboratis verbis loqui amant. Itaque hos cuperem ſubmitti prioribus. ita tamen, ut ſeligantur Orationes Charidemi ad Darium, ex libro tertio, Legatorum Darii ad Alexandrum libro quarto, Alexandri ad milites lib. ſexto & lib. nono. Philotæ libro ſexto, Hermolai & Calliſthenis libro octavo.

In Saluſtio advertere velim Principes tuos ad nefandas artes Iugurthæ, & laudatam ſeveritatem Catonis in puniendis Catilinæ conjuratoribus. Legantur ſtudioſius Orationes Catilinæ ad conjuratos, adverſariæ C. Cæſaris &

Por-

Porcii Catonis ſuper captis & convictis perduellibus, Oratio Micipſæ regis ad Iugurtham. Oratio Adherbalis à Iugurtha regno pulſi. Oratio Marii ad Quirites de expeditione Africana. Omnium graviſſimè & ſententiis ad argumenti majeſtatem ad miraculum compoſitis maximas res effantur Livius Suetonius, Tacitus. Hos dum legunt Principes tui, attentius ipſos advertere velim ad Romani imperii incunabula, ſimplicitatem, fortitudinem, alienos ab ambitione, avaritia & luxu Conſules. Inde ad creſcentis & adulti imperii vitia, ſeditiones, tumultus, parricidia & cauſas malorum, ambitionem, avaritiam, adulationem, tyrannidem, luxuriam. Seligantur è Livio Orationes hæ, Lucretiæ de violatione, Legatorum ad plebem de reditu in urbem lib. tertio. Valerii Conſulis hortantis ad pugnam, ibidem. Camilli ad pædagogum Faliſcorum lib. quinto. Oratio M. Valerii Corvini ad ſeditioſos milites libro ſeptimo Fabii Maximi ad populum de deligendo imperatore libro vigeſimoquarto. Scipionis reddentis ſponſam lib. XXVI. Oratio Annibalis ad Scipionem de pace, & Scipionis ad Annibalem lib XXX. Oratio Philippi regis Macedonum de regni hæreditate libr. XL. In Tacito diligentius expendantur Orationes Germanici Cæſaris lib. I. Senecæ ad Neronem & Neronis ad Senecam libr. XIV. Peti Thraſeæ lib. XV. Galbæ imperatoris ad Piſonem lib. XVII. Othonis ad milites ibid. Cerealis libr. XX. Agricolæ in vita Agricolę. In Florii hiſtoria notetur dictio elegans & florida, & ut nullibi fere non poëtam agat hiſtoricus. Iuſtinus res Græcas Latino ſermone compendioſè perſtrinxit, maximi ſcriptoris Trogi Pompeii abbreviator. Illud quoque perutile fuerit, Principes tuos ob oculos ſibi ponere ideam vitæ Im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

peratorum ex Epitome Sexti Aurelii Victoris à Cæſare Auguſto uſque ad Theodoſium. Is enim ſcriptor, uti eſt multò jucundiſſimus, ita neſcio, an ad vitam bene inſtituendam Principi ulla magis narratio conducat.

Nec diſſuaſerim in Ciceronis libros de officiis, de Amicitia, & Senectute illos dimitti, etiam in lectionem Orationum Ciceronis, præſertim earum, quæ vel ob dicendi vim, vel ob rerum ſententiarumque momenta, vel ob oratorium artificium præcellunt. Tales ſunt Oratio pro Archia Poëtâ, quæ poëtarum & literarum laudes habet, pro lege Manilia, quæ Imperatorias virtutes recenſet, pro M. Marcello, quæ de Clementia diſſerit, in Catilinam, qua in proditores & perduelles invehitur, pro Milone, qua docet vim vi repellendam.

Quin illo, quo jam ſunt, ætatis curriculo, maximorum *Poetarum* lectione illaquearem Principes pueros. Eclogas Virgilii, præſertim illam, quam Sicelidum memoriæ inſcribit, memoriæ mandare pulchrum fuerit & perjucundum. Exordia itidem auguſta librorum Georgicorum. Ex Æneide Neptuni Æolum increpantis ſtupendam invectivam. Æneæ de Trojano excidio narrationem coram Didone. Hujus amores patheticè libro quarto deſcriptos, ejuſdem fulmina & diras in abeuntem Æneam. Anchiſæ de Platonica philoſophia perorantis orationem lib. VI. Romanarum rerum ſeriem ſcuto Æneæ inſculptam libro octavo. Digna hæc ſunt carmina, quæ Principes tui perpetuâ verſent agitatione. Ex Metamorphoſi Ovidii librum primum de Creatione mundi & diluvio, nec non ſecundum de Phaëtontis temeritate & lapſu, legant ſæpius. Narciſſi quoque ſibi placentis deſcriptionē, & Orationes adverſarias Ajacis in

in Ulyſſem & Ulyſſis in Ajacem, ſuper armis Achillis. Has enim poſſe recitare juniores Principes excellentius puto, quam ſi majorum genealogias ab Ænea vel Antenore aut Heraclidis arceſſant. Ex Triſtium libris Elegiam ſecundam & tertiam libri primi, ex ſecundo libro Elegiam ſecundam, ex Faſtis operis prooemium ad Germanicum memoriter diſcant.

Poſt hos legatur Horatius. nec pudeat heroicam ſobolem in ſuccum & ſanguinem vertere ex libro primo Carminum Odam primam de variis hominum ſtudiis, & duodecimam de laudibus Deorum & hominum, & decimamquartam de turbatæ Reip. ſtatu, & trigeſimam quartam de providentiâ & numinis reverentia, & vigeſimam ſecundam de vitæ integritate. Ex libro ſecundo Carminum pro melle ſit Oda ſecunda adverſus avaritiam, pro nectare tertia de ſervanda mediocritate in rebus ſecundis & adverſis, pro ambroſia Oda prima libri tertii, de beatitudine. Oda ſecunda & tertia ejuſdem libri Principum propriæ ſunt. Agunt enim de fortitudine militari & recti Conſtantia. Auguſti laudes & Attilii Reguli virtutes Oda quinta deprædicat populi rectoribus in exemplar & virtutis incitamentum. Oda decima ſexta auri vim exponit, & moderatam ejus cupidinem probat. Harum gravitatem diluet Oda nona procantis Horatii, qua nihil ſuavius & feſtivius ſcripſiſſe Flaccum teſtari ſolebat I. Scaliger. Laudes Druſi magnificè exſequitur Oda quarta libri quarti Carminum, nec poſſunt non erigi ejus recitatione benè nati juvenes.

Vitæ ruſticæ laudatio Oda ſecunda Epodon, ruris interdum licentiam Principibus facit, ne ſolius vitæ Aulicæ beatitudine inebriari ſe ſinant, ſed à ſtrepitu urbium remoti dulci ruris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

otio & ſimplicitate caſtigent aularum murmura & fulgorem.

Libri de Arte Poëtica omni auro cariores eſſe debent erectis Principibus, quibus non eſt ſatis tribunali & foro jura dicere, ſed & in poëtas cenſuram ſtringere, & Dictaturam exercere in illos cives, quorum propria laus eſt eruditis commentis & prodeſſe & delectare.

Ex Satyris cupiam placere Satyram primam lib. 1. Sermonum ad Mecœnatem, Qui fit Mecœnas &c. & ſecundam ex libro ſecundo, qua luxuries traducitur & frugalitas commendatur. Ex Epiſtolis primam, & ſecundam, ob ſummam operum Homeri, nec non primam libri ſecundi ad Auguſtum, ubi de ſcriptorum antiquitate & novitate ſententiam fert.

Quin & illud minimè negligendum, ut Principes tui graves vernanteſque ſententias per univerſum Horatium ſparſas, referant in libellum & familiares ſibi illas reddant. Nam in quotidiano ſermone & literis ſcribendis pro floſculis erunt & mellitis globulis & orationis condimentis. Nec inutilis fuerit odera, ſi in aliis poëtis idem faxint.

Mox Seneca tragicus ob ſententiarum gravitatem & poëmatis ſublimitatem, & argumenti majeſtatem Principes ad ſui amorem lectionemque invitat; præſertim ad Troadis lectionem, ut regnorum inconſtantiam & victoris hoſtis efferam inſolentiam maturè animo præconcipiant. Dignas imperantibus voces audient in Thyeſte: quales ſunt, *Vbi non adeſt pudor*, *Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides, Inſtabile regnum, eſt*. in Hercule Furente, *rapta, ſed trepida manu, Sceptra obtinentur: omnis in ferro eſt ſalus. quod civibus tenetur invitis, ſcias, Strictus tuetur enſis. alieno in loco Haud ſtabile regnum eſt*, & ibidem: *Ars prima regni eſt, poſſe*

te-

te invidiam pati. in Thebaide, *Qui vult amari, languidâ regnet manu. Inviſa nunquam imperia retinentur diu.* in Octavia, *Decet timeri Cæſarem, at plus diligi.*

In Lucano dum morari libet, devorent imperatrices animæ Orationes hinc Cæſaris, hinc Pompei, & Bruti pro libertate Patriæ alloquentis Cæſarem. in Claudiano verſantibus pudor fuerit non addidiciſſe excellens illud & verè divinum Exordium in Ruffinum, *Sæpe mihi dubiam*, &c. aut non lectitaſſe bis terve vitam ſuccreſcentis in maximas ſpes Honorii, cantatam magnificis verſibus libro de Conſulatu Honorii tertio. Ex libro de Conſulatu ejuſdem Honorii quarto, recitet grandibus alumnis Chiron aliquis Principis officium:

Hoc Te præterea crebro ſermone monebo,
Ut Te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoſcas. cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam. nec poſſe dari regalibus uſquam
Secretum vitiis. nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
Intrat, & abſtruſos implorat fama receſſus.
Sis pius inprimis. nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat Clementia nobis.

Et poſt:

Tu civem patremque geras, tu conſule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moveant, ſed publica vota.
In commune jubes ſi quid, cenſeſque tenendum,
Primus juſſa ſubi. tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipſum
Autorem parere ſibi. componitur orbis
Regis ad exemplum. nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis. &c.

Quid ſcire, quid diſcere oporteat Principem, quomodo in Philoſophorum libris verſari, docet Claudianus exemplo Mallii Conſulis in Pan-

egyri de Conſulatu Mallii. De bellicis & politicis virtutibus differentem audiant in laudatione Stiliconis. Ab his patiantur ſe deferri ad lectionem Epithalamii in nuptias Honorii & Mariæ, & Palladii ac Serenæ, ob carminis amœnitatem, & poëticæ artis facundiam & ſuavitatem argumenti. quod alienum minimè eſt à Principibus. quia intereſt ipſorum, dignis connubiis jungi, Illa cum legent,

——— *gliſcent primæ ſub pectore flammæ,*
Et poterit placuiſſe Duci, Dux femina regni.

Qualis verò uxor Ducibus ducenda, docet laus Serenæ, uxoris Stiliconis. Ex Epigrammatibus Claudiani maximè placeat illud de cryſtallo & Sphæra Archimedis.

Ubi è Latio in Græciam migrare lubebit, poſt perceptas Grammaticæ Græcæ regulas, legant Duces tui Novi Teſtamenti ſcriptores ſacros Græcè, & ſpeciatim cap. XIII ad Romanos. Iſocratem ad Demonicum. Epicteti enchiridium, & Cebetis tabulam, Lucianum ob facetias & erudita dicteria, Xenophontis Cyropædiam ob Atticiſmum, non quod ad hiſtoriæ fidem ſcripta ſit, ſed ad effigiem rectè imperantis. Maximè verò volvant & revolvant Plutarchi Moralia, ob omnigenam & confertam doctrinam. Excerpendus hic Commentarius, *Cum Principibus maxime debere Philoſophum ſermocinari.* & alius, cui lemma: *Ad indoctum Principem,* nec non ille *de inſtituendis liberis,* & iſte, *Quomodo audiendi poëtæ juvenibus,* & ſimiles.

In Poëtarum Græcorum ordine familiam ducat Heſiodus, Phocylides, Theognis, inde Homerus, cujus Ilias *Stultorum regum & populorum continet iras*, Odyſſea verò. Quid ſit *pulchrum, quid turpe, qui utile, quid non, Plenius ac melius Chryſippo ac Crantore dicit.* Theocritum, Sophoclem, Euripidem

ripidem poſtea legendos ſuaſerim. Atque hæc quidem linguæ Græcæ vel mediocris cognitio Juvenes Principes populo & doctorum vulgo ſecernit, & fontes monſtrat, unde omnis in Latium dimanavit Sapientia. Etenim & Philoſophia univerſa & hiſtoria & Medicina & artes Poëtica & Oratoria, Græcos primum ſcriptores agnoſcit.

Philologiæ ſtudium licet minus neceſſarium Principi, tamen ex Plinio, Plutarcho, Gellio, Macrobio, præclara multa poſſe recitare, generoſum & illuſtre. Hac doctrinæ parte in precio habeantur Chiliades Eraſmi, opus infinitâ ſcaturiens eruditione. Seligantur Adagia, quæ Reges Principeſque concernunt. qualia ſunt: *Regis cerebrum, Regia vaccula; Regum offenſæ vitandæ, Regum aures atque oculi multi, Regum manus longæ. Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi. Multi Duces Cariam perdiderunt. Bellum dulce inexpertis. Imperator bonus & idem miles. Aureus pons ſternendus hoſti. Pax redimenda,*&c. Nec in hoc ſtudio deſtitui eos cupiam à Calepino, qui de quovis argumento breves diſcurſus facit, nec à Theſauro linguæ Latinæ H. Stephani, nec à Græco Lexico Conſtantini vel Stephani: uti nec à doctiſſimis libris Rhetoricorum Cl. Voſſii, ejuſdem Hiſtoricis Græcis & Latinis, & de Arte Grammaticâ.

Logicis exercitiis nolim Principes diu detineri. Suffecerit terminos artis Logicæ, Prædicamenta, Prædicabilia, doctrinam de Interpretatione, Syllogiſmi conficiendi, ac Definitionis, Diviſionis, Methodique regulas in compendio didiciſſe. Atque hæc ex Ariſtotele haberi poſſunt & debent.

His παιδείας ſtudiis defuncti, Philoſophiam ipſam adeant, & primo Mathematicam, tum puram, Geometriam & Arithmeticam; tum mi-

ſtam, Aſtrologiam & Opticam. Etiam Chronologiam & Geographiam ob hiſtoriarum intelligentiam, cui illæ facem præferunt. Geographia namque locorum, regionum, urbium ſitus, & in iis portus, flumina, montes aperit. Chronologia ſeriem temporum exponit, & velut terminis quibuſdam finit imperia, bella, eventus.

Adhæc Naturalium rerum ſcientia imbui Principem perquam neceſſarium, ut diſcat, quomodo & ipſis Regibus ducibuſque imperent aſtra; & terris hominibuſque non unius indolis, diverſiſſimi temperamento Principes. Harum arcana ex Phyſicis Ariſtotelis petantur.

Metaphyſicam ſcire Duces, præſertim ubi de Deo, Angelis, & ſtatu animæ ſeparatæ à corpore diſputat, prorſus χρυναῖον eſt. Reverenter illum diſcent habere, cujus unitatem, ſimplicitatem, omnipræſentiam, omnipotentiam, æternitatem, omniſcientiam, bonitatem, juſtitiam, naturalibus rationibus evicerint.

Moralem Philoſophiam & Politicam ex libris ad Nicomachum & Politicis Peripateticis hauriant, & capita illa de triplici regimini eique oppoſitis vitiis addiſcant non ſegniter. Nec grave ſit Ducibus, Politica Iuſti Lipſii perlegere ſæpius, ob diſpoſitionis artificium & ſententiarum cumulum & authoritatem. De hac Philoſophia loquitur Plato, cum pronunciat beatas fore Reſpublicas, in quibus imperarent philoſophi, aut qui imperant philoſopharentur.

Hoc philoſophorum circo incluſis, Senecæ & Plutarchi lectionem unicè commendo, ſive de moribus ſeverè judicare, ſive de Natura ſubtiliter pronunciare cupient.

Tum ampliſſima Hiſtoriarum ſpatia ſe Ducibus pandunt. Diſcant hic Hiſtoriam vel Divinam eſſe, vel Humanam. Divinam vel Iudai-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

cam eſſe, quæ è libris ſacris, Ioſepho & ejus interprete Hegeſippo eſt haurienda: vel Chriſtianam, quæ ex Novi Teſtamenti libris & Hiſtoriis Eccleſiaſticis Euſebii, Sozomeni aliiſque petenda. Humana præter prudentiam & rerum peritiam, *Virtutum ſtimulos & ſemina laudum, Atque exempla dabit.* Si publica ſcire deſiderant, Orientalem, Græcam, Romanam, Barbaram hiſtoriam legant. Orientalis res Iudæorum, Ægyptiorum, Syrorum, Perſarum exponit, quæ noſci poterunt ex Iuſtino, uberius ex Herodoto & Diodoro Siculo. Græca Spartanorum, Athenienſium, Thebanorum & Macedonum res geſtas recenſet, authoribus Thucydide, Plutarcho, Arriano & è Latinis Q. Curtio. Romana vel vetus eſt, vel media, vel recentior. Vetus ab urbe condita ad Auguſtum excurrit, illuſtris ſcriptoribus Græcis & Latinis, Dionyſio Halicarnaſſeo, T. Livio, Polybio, Plutarcho, Appiano, quibus addi poſſunt compendia Vellei, Eutropii, Oroſii. Media Tacito & Suetonio ſuperbit, aliiſque Auguſtæ hiſtoriæ ſcriptoribus, è Græcis Dione Caſſio & Herodiano. Recentiorem ſcripſere Zonaras, Zoſimus, Procopius, Agathias, Nicephorus, Gregoras, Græci.

Barbaram hiſtoricam voco, quæ ſciſſo fractoque imperio geſta, cum major pars ad Gallos, Germanos, Turcas ivit, enarrat. Scriptores ſunt, Iornandes, Procopius, Agathias.

In harum lectione dum verſantur, ſeligant & transferant in libello, res maximè memorabiles, ritus & conſuetudines gentium, ſententias, exempla tum virtutum, tum vitiorum.

Theologia licet ad Theologos ſpectet, tamen dedecet Principem Chriſtianum ignorare Fidei Chriſtianæ capita, ne in regno ſuo quaſvis diſſenſiones ſchiſmatum eſſe argumenta ſinat,

nat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nat, aut quoſvis errores nimis tepido religionis amore ferat ac foveat. Occurrit his malis lectio Scripturarum, quæ hæreſin à leviore errore diſcernunt, etiam receptæ inter Proteſtantes Fidei formulæ, nec non Patrum in Fidei fundamentis conſenſus.

Ad horum omnium ſcriptorum lectionem animum Duces tuos adferre velim alacrem & defecatum. Conferent illum, ſi ſtudiorum temporibus interponant dilucida intervalla. Nec enim tetricos iſtos & rigidos Ephoros amo, qui heroicas mentes horis & clepſydræ alligant, tanquam mercenarias & ſervas. Ludant, ſaltent, equitent, currant, canant, venentur, horas eligant, quibus maximè ipſis animus legendi ſcribendique. Nutriuntur à Iove tenerius Principes, & ab aura cœloque foventur propius. Hoc cum ſereniùs eſt, vel ſtudeant, vel ſe recreent. cum nubilum magis, exercitio honeſtiore ſerenent mentem. Exſtinguuntur generoſiores igniculi confertis ſtudiis, & uti vaſcula anguſtioris orificii ſuperinfuſum copioſius humorem reſpuunt, nimio lectionum numero obruitur avidiſſima ſciendi ætas. Minus quoque proclivi ad meditationes ſunt animo, qui inviſis temporibus ſtudent. Exercetur tyrannis in vitos à male imperantibus; exercetur quoque à præceptoribus in diſcipulos. Blandos vult eſſe Doctores Flaccus, & pueris cruſtula dare, elementa velint ut diſcere prima. Uti corporum nervis robur accedit ab ætate, ita judicii, memoriæ, phantaſiæ, ingenii organis. Hæc fatigata intempeſtivè, languent citius, & ſpem ſolidæ & maturæ eruditionis incidunt. Herbas vide & olera, quæ ſub initia veris ab avaris colonis fornacum calore & fimo fervidiore tepefacta germinant ocius, at mox adultiora deficiunt

ficiunt & exareſcunt. Eſt illud ſeculi noſtri cacoëthes. gloriamur parentes, ſi videamus præſtare poſſe puerulos, crudâ adhuc ætate, quæ non poſſunt alii annis aliquot majores. ideoque atteri patimur ingenia & ſpirituum fontes exſiccari per pædagogos, ac affligi rationales potentias, quæ, ubi adoleverint illi, marcent & ſtupent, attrita ad perpetuarum & crebrarum lectionum cotem ingenii acie. Caveant ergo ante omnia prudentiores Ephori, ne memoriæ Principum graves ſint, & addiſcere illos memoriter velint proſa oratione ſcripta. Carminum alia eſt ratio, quæ ob connexionem & pedum vincula facilius ſe ingerunt.

Præterea dum legunt, ad manum ſint codicilli & adverſaria, in quibus phraſes ſententiaſque elegantiores tranſcribant: aut ad finem librorum, quos legunt inſeri curent pagellas aliquot puras, & in illis & paginam libri & argumenti alicujus nobilioris caput notent. Sic, cum opus erit, ad chartas illas recurrere dabitur, tanquam ad locos communes.

Inſuper ſtyli exercitiis quotidie aut alternis diebus incumbant. Latinè ſcripta vertant in linguam vernaculam, hac ſcripta in Latinam vel Græcam. Cum ſcribenda erit Epiſtola, Ciceronis pro paradigmate erunt. Inde ſalutandi, gratulandi, condolendi, gratias agendi, hortandi, dehortandi formulæ petantur. Nec Senecæ aut Plinii legi diſſuaſerim, ob rerum gravitatem & uſum. In ſcribenda Oratione, præeat iterum Cicerò, hinc Livii, Salluſtii, Curtii maſculæ & erectæ orationes. Interdum velim ſolos ſinguloſque ambulare per Muſeum, per hortum, per agros, & meditari orationem vel Epigramma. Sic ſine ſubere diſcent natare, & a ſe quidvis impetrare, ac propriis ingenii viribus

bus fidere, qui aliorum hactenus ſucco & veluti præmanſis buccellis victitarunt.

Latinè ſemper loquantur, præſertim cum doctioribus. imperandi juſſa Principem accipere ab inferiori nefas, at loquendi ſcribendique floſculos fas omnino.

Denique quibus curæ ſunt Duces, inter deambulandum ex iis, quæ oculis ſenſibuſque aliis ſe offerunt, occaſionem captent docendi & quærendi, modò de Sole, Luna, ſtellis fixis, cœlorum magnitudine, figura, motu, incorruptibilitate, operationibus, modò de elementis, de metallis, ſtirpium & animalium natura, Solis acceſſu & receſſu, dierum noctiumque incrementis ac decrementis, Eclipſium Solis & Lunæ cauſis, de animæ facultatibus, &c. Etiam vicinorum Regum ac Principum ſtudia, molimina, ſucceſſus proſperos adverſoſque recitent, ut à teneris aſſueſcant ea cogitare, quæ agere viros oportebit.

Quod ſi forte Ducibus ad exemplum Auguſti, Germanici, Mecœnatis, Ciceronis, Neronis, Adriani, animus ſit, non in caſtris ſolum & bello, ſed & Parnaſſi vertice lauream mereri, & vatibus inſeri, hanc, qua ad Carmen itur, viam inſiſtant:

I. Poëtam faciunt, Natura, ars, exercitatio.

II. A natura duo ſunt: Inventionis facilitas, & impetus ſive furor dicendi poëticus.

III. Inventionis facilitas & felicitas ab imaginatione eſt. Cum enim poëſis naturæ ſit imitatio, poëta imitator: oportet eum naturas rerum cœleſtium & terreſtrium, adhæc affectus amoris, odii, iræ metus, & quæ his ſunt ſimilia, animo circumferre, & phantaſiâ agitare.

IV. Quicunque ergo imaginatione valent, apti-

aptiores ſunt per naturam ad pictoriam artem & poëſin.

V. Furor & impetus poëticus itidem à natura eſt, & calidiore ſpiritu & ſanguine. qui uti incitatur facile, ita præcipitat venam poëticam, ut expeditius fingat mens, quæ & ſunt & non ſunt in rerum natura.

VI. Idem furor verſuum copiam ſuppeditat, ſicut copioſius fluere ſolent aquæ, quæ impetu feruntur, juxta illud Horatii: *Monte decurrens velut amnis, imbres. Quem ſuper notas aluere ripas. Fertur, immenſuſque ruit profundo Pindarus ore.*

VII. Ad artem, præter præcepta Grammatica, de ſyllabarum quantitate, & pedibus, utile erit ex Scaligero diſcere, diverſa carminum genera & genium ſingulorum. Quid nempe proprium ſit Heroici aut Epici carminis, quid Elegiaci, quid in Iambico, Scazonte, Hendecaſyllabis, Choriambico, Sapphico ſit maximè obſervandum.

VIII. Quid differant carmen tragicum & Comicum, quibus legibus Tragœdia, quibus Comœdia ſcribi debeat, quid ſit carmen Lyricum, quid Satyricum, &c.

IX. Neceſſum quoque eſt ad artem poëticam, lectitare poëtas clariſſimos, Virgilium, Horatium, Ovidium, Senecam, Iuvenalem.

X. Virgilium, Lucanum, Claudianum imitandos cenſeam in Epico carmine, Horatium in Lyrico, Ovidium in Elegiaco, in Comico Terentium, in Tragico Senecam, Satyrico Iuvenalem.

XI. Hoc etiam agendum, ut unum aliquem è multis poëtam familiarem nobis reddamus, eumque velut in ſuccum & ſanguinem convertamus. Ita fiet, ut impreſſa menti optimi car-

carminis ideâ, habeant, quem in ſcribendo imitentur.

XII. Opus inſuper eſt cognitione aliqua univerſali rerum naturalium & moralium, avium, quadrupedum, piſcium, arborum, fluviorum, montium, ſilvarum, regionum, Deorum, & Dearum. Faciunt enim illa ad elegantiam carminis, & locuples argumentum ſuppeditant vatum commentis.

XIII. Plura præcepta ad Artem poëticam pertinentia, petere licet ex eruditiſſimo libello Horatii de Arte Poëtica.

XIV. Denique exercitatione opus, ſine qua nec natura nec ars quicquam laudabile præſtare valent. Itaque crebo ſcribendi verſus. nec tam laborandum ut multos ſcribant, quàm ut bonos. Quare premendum eſt poëma, & ſæpius ad incudem revocandum.

XV. Eligenda etiam materies apta poëticæ commentationi, ut bellum, pax, tempeſtas, Aurora, Veſpera, Meridies, Ver, Autumnus, Virtutes, Vitia, &c.

XVI. Ubi verſus aliquot ſcripſerint, pauliſper deambulent, & ſpiritum recolligant, quò alacriores redeat ad intermiſſum opus, & veluti novo perciti œſtro.

Interdum adſueſcant ſcribendo Epigrammati: quoties enim lepidum quid, aut memorabile, accidit, quodque acumen ferre poſſit, diſticha duo aut tria meditentur, &, quod proprium eſt Epigrammatis, acutè & nervosè concludant.

Hæc de formandis Ducum Tuorum ſtudiis dicenda habui, non ut Te, doctiſſime Vir, doceam, ſed ut videas eadem me dicere, quæ tu facienda ſentis. Præſcripſi normam, non fixam & immobilem, ſed Lesbiam, quæ accom-

commodari debet genio, captui, indoli diſcentium. ut enim cuivis pedi non quadrat quivis calceus: ita nec eadem methodus cunctis conveniat. Uti æger à Medico: animus à præceptore curandus, ætatis, temporis, temperamenti habenda ſollicita ratio. Nec eſt, quod deterreat Duces tuos autorum multitudo & diſcendi labor. Sunt in flore ævi, & ut corpus labori, mens ferendæ intentioni par redditur. Non eſt quod ceſſent iter doctrinæ & honoris ingredi.

dum res, & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra,

Nihil tam arduum, quò non penetret ſtudioſa & fervida animi vis. quiſque dies opus ſuum probat, proficimus indies tacitis incrementis, ut herbæ & virgulta. mox profeciſſe nos ſentimus, & cum Sole progreſſos eſſe progreſſus noſtros. Adſit tenor & conſtantia. &, ſi à Sapientiæ omnis autore Deo ingenio vim, moribus & affectibus moderationem petent, rem factam habebunt Optimi Principes. Non poterunt non excellere ſcientiâ Duces, religione, pietate, & tot heroicis virtutibus præparati. Scripſi hæc rogatu tuo, ob ſingularem, quo in Duces Megapolenſes feror, affectum. Debent Maximis Principibus iſtiuſmodi officia, quorum quoque intereſt, ut regnorum rectores ſapiant, per quos non imperiis ſolum, urbibuſque, ſed & humanioribus literis earumque profeſſoribus, ſuus conſtat honos, dignitas, & excellentia. Vale Vir doctiſſime & amiciſſime. Amſtelodami, ipſis Calend. Febr. cIↃ IↃCXIL.

CASPARIS BARLÆI
METHODUS MORUM,
Præſcripta
DUCIBUS
LUNÆBURGENSIBUS,
ad eorundem Ephorum & ſtudiorum informatorem.

NOBILISSIME DOMINE,

Cùm ſuperiori anno hic eſſes, unà cum Sereniſſimis Principibus Lunæburgenſibus, eo me dignatus es honore, ut epulis tantorum Divûm accumbere licuerit profeſſori umbratico. Ex eo tempore hæc me cura momordit, quo potiſſimum officio dictis Principibus gratitudinem meam affectumque teſtarer. didiceram quippe à Magni Alexandri Ephoro, poſſe etiam inter ſorte ac dignitate diſpares ſervari illam, quæ in amicitia requiritur, ἰσότητα, hoc eſt, æqualitatem. Etenim, quos natales ſui & imperii dignitas populo ſecrevit, horum beneficentiam & erga inferiores magnificentiam, æquari quodammodo vult inferiorum majore obſequio, fide, ſubmiſſione, benevolentiâ. Quamobrem è Belgio abiturientes Principes veſtros hoc hodoporico proſequi volui, & præceptis quibuſdam ſalutaribus inſtruere devota Patriæ ſuæ, populo ac ſaluti publicæ pectora. Non quod ignorare hæc optimos Duces putem, quæ faciunt ultrò, ſed quia dici amamus ſæpius, quæ fieri oportet ſemper. Cum maris obvenient navigantibus tædia, cum malè olebit nautea, ad hos fragantiſſimi odoris floſculos deflectant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ctant. Cum caballis vehentur, cum aſcendent in colles, aut deſcendent in valles, cum prandio cœnaque equeſtrem fatigationem levabunt, monita hæc ſubinde cogitent, quæ ſecuti peregrinabuntur tutius, & ad ſuos reverſi imperabunt felicius.

Primò cupiam ipſos Pietatis & Religionis Chriſtianæ, qua Deo, quantumvis Principes, alligantur, eſſe ſtudioſiſſimos. ideoque alieniſſimos eſſe velim ab eorum contubernio & familiaritate, quibus pietatis voces & SS. Literarum oracula ludus ſunt & jocus. Cogitent, ſummum illum rerum humanarum arbitrum mediis ipſorum cogitationibus intervenire, proſpera omnia eventura ipſum colentibus, adverſa contemnentibus. Quare jam juvenes damnare diſcam & devovere impias Florentini ſcriptoris aſſertiones, quibus religione utendum ſuadet, veluti mercimonio, & arte, quibus vel comparantur regna, vel conſervantur, vel diffunduntur latius. Cogitent Principes ſe dari religioni formandos, non illam ipſis. Religionis eſſe, informare cuſtodem ſuum, non cuſtodis, illâ tanquam Lesbia normâ uti. Ne credant, ſufficere, ſi Princeps pietatem, fidem, religionem ſanctè colere videatur. Seriò res divinas curare oportet. Non eget Simoniis artibus religio, quæ incrementa ſua à ſimplicitate, veritate & candore ſperat. Improbent jam à teneris ſimulationem religionis, à qua animo ſunt alieniores. Eam amplectantur, non quæ imperaturis conducet, ſed de ſalute ſua ſeriò cogitantibus. Ne ſint non neceſſariæ novitatis avidi in rebus fidei. Eam, quam à majoribus accepere & hauſere, tueantur. Ob ritus cultus divini non imperatos, populum ſibi commiſſum turbari non ſinant. patrios mores

repudiare timeant. Si quid immutandum corrigendumque, ex eorum conſilio mutent corrigantque, penes quos ſacri juris poteſtas eſt, & ad illa primitivæ Eccleſiæ tempora reſpiciant, quæ Apoſtolicis fuerunt viciniora. Quò enim ab his longius retro itur, quò fecundius pullularunt, jacta in agrum Domini zizania. Nullius conſcientiæ vim inferant, aut ea cogant credere, quæ ut credant probentque, ab animo ſuo impetrare non poſſunt. Non vult cauteriis inuri fides, ſed rationibus inſtillari, docendo illam magis, quam jubendo; monendo, quam minando ingeras. Et ut in fidibus, quæ diſcrepant non ſtatim abrumpuntur, ſed paulatim ad concentum reducuntur: ita in fide errores corrigi neceſſe eſt, ut ſuperſint, quos erraſſe pœniteat. Caveant ſedulò Principes, ne dum pii eſſe volunt, homicidæ comperiantur, ne rigore nimio purpuræ potius cultores, quàm Dei, cives ſuos faciant, aut vaſtitatem inducant, cum idem omnes ſentire imperioſius volunt. Tunc verò multum ſe profeciſſe credant Principes, ſi non eandem ubique, ſed diſparem obſervaverint eſſe credendorum neceſſitatem. ideoque non quibuſvis diſſenſionibus dirimi patiantur Eccleſias, & in fruſta diſcerpi, ſed ex Catholicis Chriſtianorum Symbolis fidei unitatem æſtiment, & ferre diſcant non per omnia idem ſentientes. Audiant hic ſuffragia eorum Theologorum, quos doctrina, pietas & moderationis Chriſtianæ ſtudium commendat. De verbis & quæſtiunculis vitilitigantes prudenter compeſcant, cum Chriſtianorum religio omnis ſit, ſine ſcelere vivere. Dum peregrinantur Duces tui & varias Religionum formas pro populorum & regionum varietate hic illic obſervant, diſcant jam nunc diſtinguere inter ea, quæ Chriſtia-

ſtianæ fidei propria ſunt, & quæ conſuetudine varia, ac imperantium placito introducta ſunt. Notent obſervari cerimonias, quæ Deum Chriſtumque autores habent, etiam alias plurimas, quæ autorem hominem habent. His minus, illis maximè inhærendum. Aliorum ſacris aut ſimiles ſe præbeant, aut abſtineant. nullis inſultent, nullos offendant per irreverentiam, ob ea, quæ ab aliis, licet forte per errorem, habentur reverenter. hoc certò ſibi perſuadeant, tutandæ religioni Philoſophiam, & præſertim Metaphyſicam, non parum conducere. & hujus principiis multas Theologorum concluſiones muniri ac roborari, ideoque hanc in regnis ſuis ditionibuſque doceri mandent, & ipſi diſcant. Nec refert, maximas hæreſes à philoſophis introductas eſſe, cum per philoſophiam eædem oppreſſæ ſint. Valentinus Platonicæ philoſophiæ ſectator oppugnaverat Eccleſiam; ſed Iuſtinus philoſophus & Irenæus philoſophus defendit. Marcion Stoicus Chriſtianam impetiit veritatem; ſed Tertullianus philoſophus confecit hoſtem. Celſus philoſophus univerſam Chriſti doctrinam non ferendis convitiis laceravit; ſed Origenes melior philoſophus illius blaſphemias diſcuſſit. Cum didicerint ſummi Numinis occultis conſiliis res humanas regi, maximè Principem à ſupremo illo Principe dependere, & illi curæ eſſe firmiter ſtatuant. Quæ divinitas immittit, ferant fortiter: ſine murmure, quo præit ille, comitentur, nec Imperatorem illum gemiſcentes ſequantur. Cogitent ſæpe, violati numinis aut offenſi triſtem eſſe cogitationem, nec effugere ſe poſſe ultorem Deum, licet clam vel impunitatis ſpe peccent. Illud quoque expediet Principes veſtros Sacros codices, etiam

Eccleſiaſticas hiſtorias diligentius evolvere, principum optimorum peſſimorumque exempla in oculis habere. illorum præmia felicitatemque, horum pœnas & eventus tragicos intueri, & quibus incrementis modiſque propagata fuerit & aſſerta adverſus tyrannorum furores Chriſtiana fides, intelligere.

In vita omni virtuti ſtudeant, memores illius, *Qui rectè faciet; non qui dominatur, erit Rex.* malus erit honeſti vindex, qui ſe honeſtatis imperio ſubtrahit. hoc agant, ut & clari audiant & boni. Iis quoque ſe legibus adſtrictos putent, quas jus naturæ gentiumque præſcribunt. Quos non exemit mortalitatis condicione Deus, nec honeſtate exemtos cupit. Illarum legum prima eſt, Princeps ut vir bonus ſit. Famæ ſuæ, ac natalium rationem habeant. Turpe eſt bene natos, illuſtres proavorum cineres degeneri vitâ conſpurcare. Eos Principes averſentur, quos ſua ſcelera cervicibus publicis depulere. Eſt illud omni aſſeveratione certius, plures pios & recti tenaces ad regnum perveniſſe, minori incommodo, quàm improbos: plures pios felicius regnaviſſe, plures pios felicius & tranquillius deceſſiſſe. Multum ſe proficere ſentient, ſi otium ſocorbitatis ſtudiis proficere ſentient, ſi otium ſocordiamque devitent. Nihil agendo rectâ ad omne vitium itur. Quamobrem regium & excellens puto, ſi optimarum ſe artium & diſciplinarum exercitiis occupent, Alexandri, Ptolemæi, Cæſaris, Pompeji, Luculli, Attici, Caroli Magni, Alphonſi exemplis. De Servio perhibet Livius: eruditum artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Matheſeos ſtudia maximè commendaverim, & quidem ejus, quæ de caſtrorum metationibus, propugnaculis, vallis, foſſis, inſtruenda acie agit. Certè

Fronti-

Frontinus conſul Romanus ſub Adriano Imperatore Deos ſe in omnibus templis veneratum dicit, quod Mathematicæ ſibi ſcientiam conceſſerint. Geometriam norint, Dei imitatores, qui, ut Plato ait, *ἀεὶ γεωμετρεῖ*, dum omnia ordine, numero, menſura, & pondere facit. Etiam Aſtronomiam. à qua Cæſarem laudat Lucanus, *media inter prælia Cæſar Stellarum cœlique plagis ſuperiſque vacabat*. Et quam indignum, Principem *ἀγεωμέτρητον* eſſe, & loca ignorare, quo duci poſſit exercitus, ubi commoda caſtrorum locatio, ubi locorum opportunitate inſidiæ ſtrui, ubi evitari prudenter queant. Nec alia occaſione à Thomyri Scytharum regina ad internecionem fuſus fuit Cyrus, quam loci ignorantiâ. Nec aliam ob cauſam adverſus Parthos infeliciſſimè pugnavit Craſſus, feliciſſimè ubivis Cæſar, quam quod ille locorum, quà copias ſuas duxit, fuerit imperitus, hic peritiſſimus. Equos etiam moderari diſcant, qua laude Bellerophon, Caſtor, Erichthonius, aliique famam meruere. Gladiatoriam exerceant, ad defenſionem ſui, offenſionem hoſtium. Artifices in quavis arte eximios præmiis erigant. Antiquitatis & utenſilium veteris ævi ſtudioſos ſe præbeant, Græcorum Romanorumque ſtatuas ſibi comparent & numiſmata. faciunt enim illa ad hiſtoriarum intellectum, & eximiâ voluptate animos pertentant. Libros ſelectiores ad Bibliothecæ inſtructionem colligant, & ſapientiâ validos in precio habeant, foveant, colant. Faciunt hi, ne res Principum claræ oblivione intercidant, & juvant conſiliis non omnium gnaros. Non eſt unius tantæ molis capacem eſſe, & ſcientia cuncta complecti. Eloquentiæ ſtudeant, qua in legationibus audiendis, vel conſiliis, vel pu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

blicis allocutionibus opus. Infantem eſſe Principem & elinguem, ignominioſum. Linguis quoque diſcendis operam dent, iis præcipuè, quarum apud finitimos aut domeſticos uſus. In Politicis primò Ariſtotelem, inde Platonis rempubl., & Xenophontis Cyrum legant. Hiſtoriam omnes antiqui recentiſque ævi imbibant, & vitam ad alienas virtutes componant. Optimos conſiliarios mortuos ajebat Alphonſus Siciliæ Rex. Si ad ſpecies honeſti deſcendere libeat, quam illud amabile, ſi ſe affabiles & faciles civibus offerant, ſi ſe tales præſtent ſubditis, qualem imperatorem optarent, ſi ſubditi eſſent. quàm illud probroſum, ſi luxuriæ, ſi gulæ mentem mancipent, aliorum imperiis dicatam. Quam illud laudabile, ſi quod fecit Gratianus, præceptorum ſint reverentes, & eos uſque ament, à quibus ad principatus & imperia formantur. Illud non minus ab ipſis efflagitem, ut ſe fortes magnanimoſque præbeant, nec ad leves novercantis fortunæ impetus animos dejiciant. Taciturnitatem, ſed attentam, valde laudem. Parcos verborum eſſe cupiam, ſed audire plurima. Malim propius ad prodigalitatem accedere imperantem, quam ad avaritiam & ſordes, Dare quippe & magnificum eſſe, divinum & regale eſt. Nec licere ſibi putent, quicquid expedit, cum expedire non poſſit, quo ſolo principatus everti conſtat. Innocentes lædere non rectorum, ſed tyrannorum eſt. Ideò ſævitiam averſentur, ut quæ plus timoris addit imperanti, quàm ſecuritatis. Populum atterere, periculoſum credant. Neſcit ille timere, cum jejunus eſt, & obſequii impatiens eſt, cum eget. Semper compertum, egentiſſimos audaciſſimos eſſe. Ubi rebus agendis adhibiti fuerint, fidem ſervent, hac lege, ſi coer-

ceri nolint, ſe & ſubditos fide ſolvunt. Nec ſufficiet perfidiæ ac fraudis ſpeciem inveniſſe. Diſtringit fraus, non ſolvit perjurium. Calliditatem probo & verſutiam, ſed quæ à virtute divortium non facit. Fines extendant, cum ſine alterius injuria extendi poſſunt. In bella proclives non ſint, nec ea gerant, niſi extremâ neceſſitate coacti. Iis impliciti, ad pacis condiciones ſemper attendant, ne tamen ejus obtentus noceat, caveant. Vanas populi voces ſuſque deque habeant. nimis multa audire coguntur, neque aliter facere poſſunt, quibus commiſſa eſt Reſpublica. Has maximas cane pejus & angue deteſtentur, & jam nunc exſpuant hæc male cocta quorundam conſilia: Neceſſarium eſſe Principi, ut præceptum habeat, (ſi ſe ſalvum velit) quâ ratione poſſit eſſe non bonus, idque pro rei neceſſitate convertat in ſuum uſum. Principem periclitari, qui inter non bonos, omnibus ſe partibus virum bonum præſtare ſtudet. Non chartas aut ſcripturam, ſed vim ac neceſſitatem ad ſervandam fidem adigere. Satis eſſe, ut honeſti ſpeciem præ ſe ferant artes, quibus imperium tueri vult Princeps. Patriam defendendam eſſe, ſive id fiat honeſtè, ſive cum ignominia aliqua. Neque ab hoc ſcopo avertere quenquam debere juſti atque injuſti, crudelitatis atque miſericordiæ, non denique laudis aut ignominiæ notam. Uti pueros talis, ita Principes juramentis ludere, minus nefarium videri. Regnum auſpicantibus per vim ac nefas, demetenda eſſe papaverum capita. Non eſſe recitandas leges iis, qui gladio prævalent. Optimè de finibus diſputare potentiores. De alienis decertare, regium eſſe; privata tueri, plebejum nimis ac vulgare. Urbes provinciaſque præoccupandas, ſi fortè facturus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

idem ſit alter. Utiles eſſe Principibus delatores, & per præmia eliciendos. Inſidiari debere temporibus principem, & frigidam ſuffundere vicinorum litibus, ut ſequeſtri functus partibus ſolus poſſideat Univerſa. Anguillis tunc capturam eſſe, cum Regum obitu de hæreditate diſputatur. Fovendas eſſe domi religionum controverſias, ne unanimes populi in rectores conſpirent. Colendas eſſe cum finitimis amicitias, quamdiu reip. utilitas ſuaſerit. Deglubendam eſſe multorum capitum belluam, & egeſtatem civium eſſe ſecuritatem dominantium. Exprimendas ſubinde eſſe ſucculentas opulentiorum ſpongias, ne regnantibus ſint periculoſi. Et quæ alia ſunt plurima Machiavellinæ ſcholæ flagitioſa dogmata. Et ut iter facientibus aliquid ſuggeram ad iter faciens, cum ad Germaniam reſpicient, pacem ipſi abſentes optent. Auſtriacorum potentiam nec timeant nimium, arma contra quatiente Sueco & Gallo, nec contemnant, conſpirante potenti & validâ domo. Conſilia illorum lenta eſſe diſcant, ſed ſic ſatis certa. In Federato Belgio poſiti, has terras non leve momentum adferre poſſe ſtatuant, ad reſtituendam S. Imperio pacem. Electorum dignitatem ad jura grandiores propugnent. cum hac ſola Cæſarum poteſtas in ordinem cogatur. Eccleſiaſticorum rigori, quoad poterunt, obicem ponant. In Britannia obſervent optimæ indolis terram, ſed non optimam ubique gentem. Regis venerentur majeſtatem & pietatem, raro in regibus contubernio. Ubi in delicatiores inciderint, timeant ea ad Acherontem ire via, quam ipſi *Surfet* vocant. Blandientes & malè contrahentes caveant. In Galliis elegantioribus ſtudeant adeſſe, fugiant pugnaces, temerarios & leves. In Italia ingenioſos reperient plurimos,

ſed & ſuperbos & vindictæ cupidiſſimos. Et ne ſine Iunone abeat hæc diſſertatio, Peruſiæ mulierum genus elegans offendent, Bononiæ arrogans, Romæ graves admodum, Mediolani urbanas, Veronæ gratioſas, Tarviſii zelotypas valde, Cremonæ ſumtuoſas, Lucæ caſtas, modò nemo roget. Quod ſi arma tractare & ſpectare libeat, Mediolanenſes comperient optimas fabricare galeas, Cremonenſes tentoria, Parmenſes clypeos, Tarviſianos enſes, Viterbienſes calcaria. Equos habet optimos Neapolis, Mantua, Patavium, & quod omnium mirabuntur Principes veſtri maximè, Romæ omnium hodie Italorum optimos verſus ſcripſit Pontifex Urbanus. Finiam, Vir ampliſſime, ne prolixior ſim, ac tempora tua longo ſermone morer. Nihil dixi, fateor, quod non dictum ſit ſæpius. ſed repeti utile eſt, quæ factu neceſſaria ſunt. Non propterea contemnimus cibos, quia quotidiani ſunt. Nec negligimus bibere, etiam ad voluptatem, licet bibendum ſit frequentius. Et accidit non ſemel, ut ejuſdem argument- concio, mutato oratore, magis placeat. Sereniſſimis Ducibus me & officia mea omnia trade. Iter ipſis tibique proſperet Deus Opt. Max. in quo voto deſino, & vos ſalvere jubeo. Amſtel.. Menſe Aprili, Anno cIↃ IↃ c XL I I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

THOMÆ CAMPANELLÆ DE LIBRIS PROPRIIS & recta ratione ſtudendi SYNTAGMA, AD GABRIEL. NAUDÆUM *Pariſin*.

PROOEMIUM.

NOn immeritò te Philoſophorum Mercurium vocari poſſe cenſemus, perſpicaciſſime *Naudæ*, cum videamus te ſapientum dogmata, vitas, mores, rationem diſcendi, atque docendi ſtudioſè perſcutari, examinare, promulgare, & in mundi ſcenis perſonare; & quid boni, quid mali lateat in ſcientiis, ac ſophiſmatibus in lucem pandere, ut unicuique quod ſuum eſt non deceptæ àmplius tribuant ſcholę, & procul à calumniis, procul ab adulatione fiant; Quapropter ego cujus commentarios ferme omnes perlegiſti, atque tuis approbaſti ſcriptis editis, abs te ſtimulatus, adjuratuſque, ut omnium librorum meorum numerum ac rationem tibi patefacerem uſque ad ſchedas; putas enim ex his, & modum diſcendi, & arcana rerum introſpiciendi, & æmulationem perutilem ſic eruere; petitionibus tuis generoſis deeſſe nolui, quamvis non tantum, talemque me intelligam, unde exemplar niſi ærumnarum ferendarum homines accipiant. Dixit Æneas Aſcanio filio apud Virgilium:

Diſce

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Diſce puer virtutem ex me verumque laborem;
Fortunam ex aliis.
quod in medio poſuit dumtaxat mihi non negem, dum quod poſtulas tibi aſſero, amiciſſime *Naudæe.*

CAPUT I.

De libris Propriis.

ARTICULUS I.

De tempore & occaſione ſcribendi libros in Adoleſcentia & in fervore ſtudiorum.

EQuidem quinquennis adhuc, literulis ac pietati, adeò ſtudioſam operam dedi, ut quicquid Parentes & Avi, & Concionatores de divinis Eccleſiaſticiſque rebus dicerent, & quicquid pædagogi docerent, animo conderem. Anno decimo tertio Grammaticorum dogmata, ac verſificatoriæ artis, ita perceperam, ut quicquid liberet, proſa ac metro poſſem eloqui; multáque carmina tunc edidi, haud tamen nervoſa; mox in quartanam incidens per ſex menſes, anno quaſi decimo quarto cum dimidio, accidit ut Parens Neapolim me vocatum à Iulio Campanella Iuriſprudentiæ Lectore, mittere vellet; ſed eodem tempore religionem Dominicanorum, cùm ex ea concionatorem eloquentem audiviſſem, Logiceſque ab eodem principia prægustaſſem, maximè autem ſancti Thomæ & Alberti magni hiſtoriâ affectus fuiſſem, profiteri volui. Miſſus igitur poſtea ad Cœnobium ſancti Georgii oppidi, Logicam & Philoſophiam auditurus, orationem metro heroïco, atque hymno ſapphico, cum dominus oppidi auſpicia dominii primum adiret, in populorum & vicinorum frequentia à me compoſitam recitavi, multá-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

que carmina cum in Eccleſia noſtra, tum in triumphali arcu per me condita adhuc viſuntur inſculpta. Præterea lectiones Logicas & Phyſicas,& animaſticas forma concinna, compendioſaque deſcripſi. Deinde cùm eſſem anxius,quòd veritas non ſincera,ſed potiùs falſitas pro veritate, in Peripato verſari mihi videbatur; Ariſtotelis commentatores Græcos, atque Latinos, Arabeſque examinavi omnes, & hæſitare magis cœpi in dogmatis eorum, ideóque perſcrutari volui, an quæ dixerunt ipſi, in mundo etiam legantur, quem codicem eſſe Dei vivum, ex doctrinis ſapientum intellexi. Cúmque doctores meis argumentis ſatisfacere non poſſent, quæ contra ipſorum lectiones promebam; ſtatui ipſe libros omnes percurrere Platonis, Plinii, Galeni, Stoicorum, & Democriticorum, præcipuè verò Teleſianos, ac cum mundi codice primario conferre, ut ex originali & autographo, quid veri exemplaria habent, & quid falſi, agnoſcerem. Etenim cum publicè diſputarem Conſentiæ, nedum cum fratribus meis privatim, inveniebam parum quietis in reſponſis illorum; ſed Teleſius me delectavit, tum ob libertatem philoſophandi, tum quia ex rerum natura, non ex dictis hominum penderet; proptereáque cum mortuo Teleſio, quem viventem alloqui non licuit, Elegejam affixiſſem; Altum-montem oppidum adivi, ubi Platonicorum, & Medicorum libros ab optimis viris ſubminiſtratos perlegi, atque ſuaſu Ioannis Franciſci Branchæ Caſtrovillarenſis Medici, ſcribere cœpi contra Iacobum Antonium Martam Neapolitanum, qui librum ediderat contra Teleſium, *pugnaculum Ariſtotelis* attitulatum; ibi octo diſputationes confeci, quarum prima eſt de Principiis rerum naturalium: 2. de formatione fœtus in utero: 3. de Cœlo & Mun-

Mundo 4. de Elementis. 5. de uſu obliquè lati Solis: 6. de Miſtione Elementorum: 7. de qualitatibus eorumdem: 8. denique de moventibus & mobilibus, Brancha ac Plinio Medici, ſubminiſtrantibus libros animúmque, hîc totam Philoſophiam Peripateticam in examen adduxi, Philoſophorum priſcorum ac Medicorum decretis, ſimulque naturæ placitis, & ſenſu confutavi Pugnaculum iſtius auctoris, ſic ut quem defendere profitebatur, hunc potius offendere palàm oſtenderim. Hic liber polemicus impreſſus eſt Neapoli in officina Horatii Salviani anno Chriſti M. D. LXXXX. quo etiam tempore in domo Marchionis Lavellii Mario Tufo filio favente, ſcripſi commentarios duos unum de ſenſu, alterum verò de inveſtigatione rerum; & Conciones orationeſque multas, pro amicis doctoratus inſignia adeuntibus, compoſui: Ad iſtorum verò librorum de ſenſu rerum compoſitionem, movit me præſertim diſputatio habiita in Comitiis publicis, & ſeorſim Ioannes Baptiſta Porta, qui ſcripſerat Phythognomoniam, ubi ſympathiæ, & antipathiæ rerum dicebat nolli poſſe reddi rationem, quando ſimul ſuum ibrum jam excuſum examinabamus. De inveſtigatione autem ſcripſi, quoniam videbatur mihi Peripateti ſmus, & Platoniſmus largam per viam, & non rectam ad rerum notitiam perducere adoleſcentulos. Propterea ex ſolo ſenſu, & his quæ per ſenſum novimus, redactis ad novem genera ſenſibilium, putabam me facere poſſe, ut quilibet de quacumque re non per vocabula tantum, ut Raymundo Lullio mos eſt, quem apud Altum-montem examinaram, ſed per ſenſibilia objecta ratiocinari poſſet. & definitionem eſſe Epilogum ſcientiæ oſtendi, finemque non autem principium cognoſcendi, ſed tantum docendi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Articulus II.

De tempore & occaſione ſcribendi libros in juventute, & dum Romæ degerem.

SCripſi poſtea quoddam Metaphyſicæ novæ exordium, in quo Metaphyſicorum principia ſtatuebam neceſſitatem, Fatum. Harmoniam; Item Philoſophiam Pythagoricam carmine Lucretiano auſpicatus eram, motus quidem ex Ocelli Lucani lectione, & Platonicorum dictis. Anno autem Domini M.D.XCII. Romam perrexi, fugiens æmulos accuſantes, *quomodo literas ſcit cum non didicerit?* nec tamen meliorem ſortem nactus Florentiam acceſſi, librumque de ſenſu rerum magno duci Ferdinando primo dedicavi. Deinde Venetias, ac Patavium petens, libros ibi editurus, dum Bononiæ hærerem, furtim ſublati ſunt omnes jam dicti libri, & Carmina quædam Latina haud inepta; item Phyſiologiæ primus liber diſputationibus contra omnes ſectas confectus, quem novemdecim alii libri excogitati ſubſecuturi erant. Sed nihil hac jactura deterritus, poſtea Patavii cœpi Empedoclis Philoſophiam inſtaurare, & ſcripſi novam phyſiologiam juxta propria principia ad Lælium Urſinum. Item ejuſdem Urſini juſſu apologeticum de venarum, nervorum, & arteriarum origine, & de pulſatione, pro Teleſii commentario quod animal univerſum & cætera, contra Andream Chiocum Medicum Veronenſem, qui adverſus Teleſium ſcripſerat; miſique hoc opuſculum ad Antonium Perſium Teleſianum, apud Lælium Urſinum Romæ commorantem. Dictavi etiam Rhetoricam novam nobilibus quibuſdam Venetis Auditoribus. Deinde Romam perductus, libros hoſce omnes amiſi: at quorum Bononiæ jacturam, feceram, hos omnes inveni Romæ in ſancto officio,

cio, ubi illos defendi interrogatus, nec repetii tamen, meliores denuo refecturus. Romæ igitur iterum dictavi Phyſiologiæ compendiolum, nec quidquam ulterius de illo cogitaveram; Sed Tobias Adamus anno *M. D C XI.* neſcio à quo iſtud accepit Patavii, ac publici juris fecit ſub titulo Prodromi totius philoſophiæ Campanellæ. Præterea aggreſſus ſum Phyſiologiam compendioſam, ſperans reſarcire priorem jacturam ingentis voluminis, atque in ea omnium antiquorum proponebam opiniones, & cum noſtris conferebam, quam ſubinde miſi ad Marium Tufo. Item ſyntagma de rei equeſtris præſtantia, ad eundem Marium. Item Conſultationem vulgari ſermone requiſitus, an expediat Reipublicæ Venetorum, ſinere oratores aliorum Principum, in ipſorum Senatu propriâ loqui lingua, dedique Angelo Corræo Patricio Veneto. Scripſeram etiam Patavii de Monarchia Chriſtianorum commentarium non pœnitendum: ubi oſtendebam, quibus artibus res Chriſtiana crevit, creſcet, & quibus decreſcere ſolet, & quibus recuperanda ſit, politicè loquendo; & Parallelum inter Regnum & Reges Hebræorum, & Regnum Regeſque, & Imperatores Chriſtianorum inſtituebam. Item de Regimine Eccleſiæ ad Pontificem, quibus modis, non obnoxiis Principum contradictionibus ex toto mundo, Pontifex Maximus ſolis armis Eccleſiaſticis poteſt efficere unum ovile, ſub Paſtore uno, quos poſtremos dedi Lælio Urſino, & Mario Tufo; autographum verò furati ſunt in Calabria infideles amici. Similiter Romæ verſibus Hetruſcis ſcripſeram de modo ſciendi, & phyſiologica, amiſique utrumque Neapoli. Scripſi etiam Romæ Poëticam juxta propria principia, quam dedi Cynthio Aldobrandino Cardinali San. Georgio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

exſtátque in multorum manibus, licet quidam Hiſpanus ipſam converterit in ſuam linguam, ſuoque inſcripſit nomine, quod cum vidiſſem Neapoli in Arce Regia anno M.D C.XVIII. riſum certè quam maximum mihi commovit, ſed ubique contra plagiarium exemplaria noſtra conteſtantur, & ipſemet fur in fine ſeſe excuſat, quare Italicos ſæpe poëtas citat, videlicet Arioſtum, Taſſum, Guarinum, quamvis Hiſpanus eſſet, nempe ut furtum cautius tegeret. Scripſi etiam Romæ dialogum vulgari linguâ, de ratione convincendi Hæreticos noſtri temporis, omneſque ſectarios contra Romanam Eccleſiam inſurgentes, per quodlibet mediocre ingenium, & unica prima diſputatione; dedique ipſum jam olim Michaëli Bonello Cardinali Alexandrino & Antonio Perſio, tibique etiam non ita pridem eundem conceſſi, amiciſſime Naudæe, quamquam non ut ipſum editioni demandes, quia in epiſtola Anti-Lutherana ad Philoſophos, & Principes ultramontanos pro inſtauranda Religione, dialogum hunc diu quidem antea tranſtuleram. Præterea, orationes etiam & Politicos diſcurſus nonnullos, dum Romæ eſſem, carminaque Hetruſca, ac Latina multa, amicis dedi, etiam ipſorum nomine propalanda. Hic etiam cœpi verſus Hetruſcos Latino metro componere, ut in Canticis noſtris apparent, & artem metricam vulgaris ſermonis, perſimilem latinæ, unde cujuſque ſyllabæ quantitatem diſcere, ac ſervare queas, certas per regulas patefeci; dedique hanc Ioanni Baptiſtæ Clario Medico Archiducis Caroli Romæ, ac duobus juvenibus Aſculanis. Anno deníque M. D. XCVIII. Neapoli, Epilogum Phyſiologiæ, atque Ethices perfeci; mox in Calabriam reverſus in patriæ meæ ſtylo, compoſui Tragœdiam Mariæ Scotorum Reginæ, ſecundum poëticam

ticam noſtram non ſpernendam. Item ſcripſi de Auxiliis contra Molinam pro Thomiſtis, & diverſa opuſcula in gratiam amicorum.

ARTICULUS III.

De tempore & occaſione ſcribendi libros in ætate virili, & inter moleſtias Carcerum.

SEd iſtis omnibus abſolutis, accidit mihi quod dicitur à Salomone: *cum conſummaverit homo, tunc incipiet; cum quieverit, operabitur*; exſurgente ſiquidem perſecutione, quæ tot alios tamdiu exercuit, ductus fui Neapolin tanquam reus Majeſtatis, ibique dum librorum copia negabatur, condidi latina, Hetruſcaque carmina multa, de ſapientia prima, & potentia; de primo amore, de bono, pulchro, & ſimilibus: quæ omnia ſcribebam cum dabatur furtivè commoditas, ex quibus VII. libri facti ſunt attitulati *Cantica*, quorum Tobias Adamus quædam ſelecta juxta ingenium ſuum edidit, ſub Squillæ Septimontani nomine, additis annotationibus. Cecini item elegias de propriis & amicorum ærumnis, Rhythmos etiam prophetales, & Pſalmodiam quadruplicem de Deo, & omnibus ejus operibus, atque hac poëtica ratione roboravi etiam amicos, ne in tormentis deficerent. Scripſi præterea aphoriſmos politicos, quos deinde in capitula diſtinxi, & politicam ſcientiam condidi; addidique œconomicam valde utilem, & ethicam denuo inſtauravi juxta doctrinam Primalitatum; adjecique ideam Reipublicæ quam voco Civitatem Solis, longe præſtantiorem quàm ſit Platonica, aut alia quævis, quod opus ſub nomine philoſophiæ realis in quatuor partes ſectæ, editum eſt Francofurti, operâ Tobiæ Adami, anno M. DC.XX. ni fallor, Latina lingua, licet etiam Italica prius

ſcri-

ſcriptum fuerit. Præterea ſcripſi librum de Monarchia Hiſpanorum Italica linguâ, laudatum à te in erudito opuſculo quod adverſus fratres Roſaceæ Crucis edidiſti, & ab omnibus Germanis qui ipſum propterea lingua ipſorum vernacula edidére, quamvis Italicâ, & Latina ex Gaſparis Schioppii, & Chriſtophori Fluggii Muſæo in omnium ferime manus pervenerit. Compoſui paulo poſt articulos prophetales quindecim pro defenſione dictorum meorum, unde anſam arripuerant faciendi me reum Majeſtatis, & hoc ex dictis Prophetarum, Sibyllarum, & Sanctorum, & ex politica, & aſtrologica prædictione; oſtendique clavem ſcripturæ ſanctæ, & naturæ, per ſeptimanas creationis, ſecula Mundi, ætates Synagogæ, & Eccleſiæ, & per ſigilla, phialas, eccleſias, candelabra, & tubas de eventibus ſeculi: exſtant apud multos Hiſpanos, Germanos, & Italos, inter quos omnis antiquioris doctrinæ, & ſuppellectilis promus condus nobiliſſimus eques Caſſianus à Puteo, non hos tantùm, ſed reliquos omnes meos libros colligere diligenter curavit, quemadmodum etiam fecere Veſtrius, & Cæſarinus. Compoſui poſtea opuſculum ad capita factionum, de eligendo ſummo Pontifice ſemper optimo, quod habent Cardinales Burgheſius, Ludoviſius, & alii; miſſus enim eſt ad Concla-viſtas Urbani VIII. Item Medicinalium libros VII. juxta propria principia, ubi oſtenditur Medicinam antiquorum cæcam fuiſſe, nunc autem oculatam exſiſtere, neque naturas & cauſas morborum, aut medicaminum adhuc exploratas fuiſſe: extat apud nos & apud Tobiam, & Favillam. Conſequenter ſcripſi iterum de ſenſu rerum, & magia libros quatuor Italicè, & Latinè, quos Tobias Adamus edidit Francofurti anno M.DC.XVIII. Item vanitatem Aſtrologorum, Iudæo-

Iudæorum, & Arabum, & quorumdam Latinorum peroſus, confeci libros ſex de aſtrologia ex naturæ decretis, quos unà cum medicina, & libris de ſenſu rerum poſt impreſſionem Francofurtenſem melioratis, dedit amicus Bibliopolæ Lugdunenſi Antonio Soubron anno M. D C. XXII. qui tamen uti promiſerat, nondum illos edidit, ſed defunctus hæredibus reliquit, à quibus nondum hos recuperare potuimus. Sub idem tempus cum poſitiones aſtronomicas Chaldæorum, & Pythagoræorum, ac Ægyptiorum conſideraſſem, noſtraſque phyſicas obſervationes, compoſui Aſtronomicos libros 4. ubi exploſis Epicyclis, & Excentricis Ptolomæi. item Copernici motibus Telluris, & librationibus, Arriſtotiſque ac aliorum circulis homocentricis, & Kalippi Eudoxique poſitioni additis revolventibus, novum ſyſtema conſtruximus, & recentiorum phænomenωn rationes reddidimus, ex uno deſcenſu Solis inceſſabili, ſed irregulari ad Telluris (quæ eſt centrum odii, ſicut Sol eſt centrum amoris) combuſtionem; hos libros abſtulit domeſticus quidam Nuntii Apoſtolici Neapolitani, miſſus ad perquirendum ſcripta mea in Caſtro Ovi anno 1611. *nec* quidquam ex ipſis recuperare potui, aut ſcire quid actum fuerit; haberi tamen poteſt poſitionis noſtræ ſenſus ex Phyſiologia & Metaphyſica. Præterea quæſtiones ſuper Phyſiologiam, Ethicam, Politicam, Oeconomicam & Civitatem Solis ſcripſi, diſtinctas ſimiliter in partes quatuor, contra ſectarios antiquos ac modernos, pro Philoſophia ſanctorum tuenda: quam tradidimus epilogiſtico ſtilo in præfatis libris per Tobiam editis, horumque exemplaria nondum tamen perfecte concinnatorum, exſtant apud Tobiam, Favillam & Schioppium, ſed nunc meliores illos fecimus, ac digniores

res qui prelo tradantur. Paulo poſt Neapoli ſcripſi Metaphyſicam vulgari ſermone in tres partes, & libros quindecim diſtinctam, ubi de principiis eſſendi, cognoſcendi & operandi; ac ſupra Neceſſitatem, Fatum, & Harmoniam primitus mihi excogitata, tunc poſui cauſas, & principia, & primalitates entis; hanc autem accepit à me anno 1603. Hieronymus Tufo Lavelli Marchio, nec unquam reddidit, ſed ipſo defuncto, per ſervum nomine Gallum ſubrepta, data eſt Ioanni Baptiſtæ Heredio, Piſano Appulo, ut reſcivi, poſtquam novam Metaphyſicam Latinè cœpi ſcribere anno 1610. quæ tamen ſtatim ab Nuntii quodam Aulico rapta periit. Deinde reſcripſi illam in meliorem formam; ac parte illius prima, de vero ſapiente egi, & quomodo agnoſcendus; item de ſcientiæ acquiſitione, utrum illa detur ſecundum ſe, an ſecundùm nos tantùm, an utroque modo, & de Scepticorum, Protagoræ, Platonicorum, & omnium ſuper hoc opinionibus diſputavi; Item de principiis ſciendi per categorias, ubi Platonicas, Peripateticas, Epicureas, Lullianas & Architæ categorias cum noſtris examinavi. Item univocis addidi analoga, & tractatum de Primalitatibus, & eſſentiatione, de principiis & principiatione, de cauſis & cauſatione, de effectibus, ſeminibus, occaſionibus, conditionibus, & de natura & arte. In 2. verò de ente, & non ente, & de exiſtentia; item de horum cauſis, principiis, & primalitatibus; item de objectis, vita, vero, & bono, deque oppoſitis; item de magnis horum influxibus neceſſitate, & contingentia: fato & fortunâ; Harmonia, caſu & ſorte; item de baſibus exſiſtentiarum, ut de quintuplici Mundo, videlicet ſituali, materiali, mathematico, mentali, & archetypo interiùs exteriúſque ordinatis, & complexis. In tertia denique

nique parte de principio & fine entium omnium, & non entium; de ideis, de intelligentiis, de illicibus, de mentibus corporatis; de vitis humanis, divinitus, cœlitus, & angelitus, & diabolitus & humanitus, & beſtialitus comparandis; de gubernatu Mundi, & ſyſtematum; de religione, de prophetis, de legiſlatoribus, horumque examine; de beatitudine & reverſione rerum ad Deum, de immortalitate animarum, de Mundis, de ſeculis ſeculorum, & hæc juxta omnium gentium opinionem & ſcientiam, & revelationem; accepit libros hoſce Tobias, à Gregorio Coſta, ſed non edidit; quoniam ſcripſi me eos in meliorem doctrinam redactos penes me habere. Præterea libros xxix. ſcripſi de Theologia juxta Metaphyſicam noſtram; ubi omniũ nationum & Mahumetiſtarum, Thalmudiſtarum, Americanorum, ac Indorum leges, quas noſtri Theologi non tetigerant, examinavi, & quæſtionibus vanis reciſis, Utiles tantum addidi, credo Reipublicæ Chriſtianæ valde profuturos; Horum verò frater Paulus Pyromatus diſcipulus habuit exemplaria completa, ſed Ioannes Blumius Saxo, & alii libros tantum nonnullos. Præterea opuſculum de Conceptione Virginis ſub iſtud tempus pertexui, concilians opiniones omnium pro ſancto Thoma. Et libros quatuor attitulatos, *quod reminiſcentur & convertentur ad Dominum univerſi fines Terræ.* Pſalmo 21. annis 1617. & 1618. compoſui, ad quatuor magnas Mundi nationes, videlicet Chriſtianam, Gentilem, Iudaicam, & Mahometicam, ubi tot ſunt legationes, quot Principes, & Reſpublicæ prædictarum nationum, quas ad diſputandum in Concilio Generali de vera fide, depoſitis armis Martialibus quæ ſunt beſtiarum, & grammaticalibus Sophiſtarum, per ſpiritualia, juxta divinam, non humanam modo logicam compello,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

lo. Huic operi addidi librum contra Atheiſtas omnem Religionem negantes; & alterum de Monarchia Sapientiæ æternæ in humano corpore aſſumpto, ubi de Iuribus Pontificis, & Principum in temporalibus, & ſpiritualibus, juxta naturæ, & ſcripturæ utriuſque teſtamenti dogmata tollentia lites inter laicos, & eccleſiaſticos Principes diſputavi; Sed cùm à Cardinale Bellarmino reprehenſus fuiſſet prior ille contra Atheos, mox Romam veniens anno 1626. poſt libertatem adeptam, ex licentia ſuperiorum defendi, typis tradidi, exiitque anno 1630. & nunc pro aliis colligendis in ſexto tomo laboro. Addidi libellum de Iuribus Regis Catholici in novum orbem, contra adulantes & adverſantes. Præterea ſcripſi Neapoli in Caſtro Ovi, Philoſophiam rationalem in quatuor partes, & addidi quintam in Arce nova, videlicet Logicam, Rhetoricam, Poëticam, Hiſtoriographiam, & Grammaticam, quas habent etiam Pyromallus, & frater Thomas Pignatellus, ac alii, ſed partes tantum aliquas, non omnes, quemadmodum etiam & Tobias Adamus, qui Grammaticam nimium feſtinans exſcribere non potuit; atque has artes juxta propria principia, ex noſtra Metaphyſica, per naturam, & ſcripturam faciliores, breviores, & reſolutiores puto me perfeciſſe. Addidi etiam compendiolum, Phyſiologiæ tyronibus recitandum, quod tanquam alicujus momenti foret, à me nuper accepiſti, in tua Bibliotheca conſervandum. Ulterius deinde progrediens inſtaurare cœpi Mathematicas ſcientias, metaphyſicâ ratione fundandas, & unum modo libellum ſcripſi; cæteros ſi cœptis Deus aſpiret editurus, in quibus de ipſis tractabo per numeros, menſuras, & pondera, triplici volumine rem omnem explicans. Sed poſtea convertens

me

me ad politicam ſpecialem Regni Neapolitani, ſcripſi opuſculum de illius regimine ad Comitem de Lemos, nomine Magiſtri Seraphini Nucerini, Curatoris mei amantiſſimi, cui me ipſum quoque debeo. Item conſultationes pro Regni cenſu augendo ſupra millionem, abſque damno Regni, vel Regis, ſed cum utriuſque & populorum emolumento; prima ſi quidem illarum ponit in frumentis pretium mediocre, 2. exigit quod populis commodius eſt pro tributo, 3. denique aufert uſuras; & cultum terræ, fructus que multiplicat, atque hoc opuſculum vulgari ſermone ſcriptum & omnes jam dictos libros Schioppius à me accepit anno 1608. cùm venit miſſus à Paulo V. ſummo Pontifice, meam tractaturus libertatem; dedi etiam & Atheiſmum Triumphatum; hunc enim titulum ipſe fecit libro quem ego vocarem, Recognitio Religionis ſecundum omnes ſcientias contra Anti-Chriſtianiſmum Machiavelliſticum. Præterea quoniam tunc incœperat rumor Venetus, & contra quoſdam Eccleſiaſticos, interdictum, ſcripſi tres libros, videlicet Monarchiam Meſſiæ Venetis, aliis & principibus, ex hac occaſione utiliſſimum. Item libellum pro Papa juxta Canones, & Politicam optimam; ac demum alium libellum, Lamentationes vocatum, inſtar Threnorum Hieremiæ, mala futura in toto orbe, ſi diſſidium illud amplius duraret, nunciantem per oraculorum & ſcripturarum enucleationes. Scripſi item opuſculum de peſte Colonienſi, quæ tunc graſſabatur ad nobiles Henotos, rogatus à Schioppio; & Remedium contra Luem Veneream, & aliud ad extrahendum Hydrargyrium viſceribus; & aſſibus unctorum intruſum, per cucurbitulas aureas, de quibus in Medicina. Item contra frigus Inalpinum Schioppio perambula-

bula-

bulaturo in Germaniam dedi opuſculum, & contra ſurditatem & herniam. Item poſtea feci quaſdam reſponſiones ad Regem Britanniæ: multas præterea ſcripſi epiſtolas Schioppio, & dominis Fuccaris meam libertatem negotiantibus, reſpondentes quæſtionibus variis. Similiter miſi ad Antonium Perſium apologeticum pro ſuo libello de potu calido. Itemque alium ad Paulum V. pro regimine Eccleſiæ, quem dedi Schioppio, ſed hunc poſtea meliorem reddidi per aphoriſmos concinnatum. Tandem verò poſt annos ſex, Neapolim venit Tobias Adamus, & Rodulphus Binanius, nobiles Germani, ex peregrinatione Hieroſolymitana, dedique illis quæ Schioppio antea conceſſeram, & inſuper Metaphyſicam, Philoſophiam realem, Medicinam, Aſtrologiam, & multa opuſcula epiſtolaria, fueruntque ipſo diligentiores, quoniam Philoſophiam realem publicaverunt, & libros de Senſu, & partem Canticorum, & Prodromum quem à me non acceperunt. Scripſi etiam Apologeticum pro Carminibus Virginii Cæſarini, in nuptiis Principis Ludoviſii; & alterum ad Cardinalem Bellarminum, contra cenſuram librorum meorum miſſorum ad Congregationem de propaganda fide. Demum verò perfeci iterum Metaphyſicam, eamque omnibus numeris abſolvi.

ARTICULUS V.

De tempore & occaſione ſcribendi libros in ſenectute, & poſt adeptam libertatem.

AFfulgente poſtea rebus meis feliciori ſorte, libertatem, favente optimo meo Mæcenate Urbano Pontifice octavo, jubente Philippo IIII. Hiſpaniarum Rege, ipſiuſque mandata exſequente Duce Albæ, & auxiliantibus multis

S.R.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

S. R. E. Cardinalibus, præſertim verò efficaciter negotiante Innocentio Maximo Epiſcopo Catanenſi, conſecutus ſum, Anno 1626. Die 15. Maji. mox Romam accelerans ſcripſi in Sancto officio, ad libellum Parlamenti pro Rege Chriſtianiſſimo animadverſiones. Item librum de fato ſiderali vitando, quem mutuatum inſidioſus frater, unà cum ſex libris Aſtrologicis, ut odium Urbani VIII. Sapientiſſimi Pontificis, eoque nomine Aſtrologiam deteſtantis, mihi conciliaret, Typographo dedit Lugdunenſi, à quo publicatus eſt; ac ſimul me accuſavit inobedientiæ circa impreſſionem, & ſuperſtitionis circa impreſſas res; quare hunc, ut à me minimè impreſſum, pro meo arripere nolui, & apologiam feci, quam delecti duo Cenſores approbavére. Præterea ſcripſi opuſculum de Titulis, ad Virginium Urſinum, cùm præſciret velle Urbanum VIII titulum novum Cardinalibus aſſerere. Item opuſculum de Aſſiſtentia D D. Cardinalium in Curia, & de non Reſidentiâ in Epiſcopatibus, niſi ubi ociantur Romæ, per Canones, Theologiam, & Politicam: item opuſcula duo, unum vulgari ſermone, An præſtet Baronibus & populis vivere ſub Eccleſiaſtico, an ſub laico quocumque alio dominio: Aliud latino, quòd libertas ſub Papatu major eſt, quàm ſub quocumque alio Principatu, aut Republica, quæ opuſcula habes nunc penes te, Naudæe clariſſime; Compoſui etiam conſultationem ad Reges Chriſtianiſſimum & Catholicum. pro pace perpetua circa prætenſiones ad Regnum Neapolitanum; Et alium quibus, quotve modis, pauci contra plures pugnare ac vincere poſſint, ad Philippum Columnam, M. Coneſtabilem. Item defenſionem librorum de ſenſu rerum, juxta ſacræ Scripturæ, & naturæ codices, & Patrum Scholaſticorum ac philoſophorum omnis ſectæ

placita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

placita: Item de Philoſophia Gentilium non retinenda, & de novæ cudendæ utilitate, ac an liceat jurare in verba Magiſtri? opuſculum valde proficuum, quod etiam aliàs à me accepiſti. Item opuſculum aliud ad Bonifacium Cajëtanum Cardinalem, An ſit contra ſacram Scripturam, & Patres aſſertio Copernici de motu Terræ, & quiete Solis, quod publicatum eſt typis Germanicis, cum à me ſcriptum fuiſſet anno 1616. Noviſſimè verò Apologiam confeci pro ſcholis piis; & expoſitionem capitis IX. Epiſtolæ ad Romanos, quo ſe plurimum efferunt Calviniſtæ & Lutherani, dedique ipſam illuſtriſſimo Comiti Braſſaco, Regis Chriſtaniſſimi ad ſummum Pontificem Oratori; ad quem paulo ante deſtinaveram centonem Thomiſticum, de prædeſtinatione, & reprobatione, auxiliis, libero arbitrio, adverſus Pſeudo-Thomiſtas. Sed quod vix è mente exciderat, ſcripſeram Neapoli ſyntagma, cur ſapientia & virtute eximia præditi, Benefactores generis humani, in magnis Temporum articulis violentam mortem ſub prætextu læſæ Majeſtatis divinæ & humanæ incurrunt, ac poſtmodũ cultu & gloria reviviſcunt, quem tractatum vix bene recordor, apud quem repoſuerim. Item ſcripſi ad Cardinalem Mellinũ opuſcula duo, unum de Canoniſatione Sanctorum; alterum de utilitate potûs calidi adverſus Medicos extemporaneum; tertiumque ad alium amicum ſubjunxi de Aulicorum technis & orationem pro Rupella recepta, quam alius ſuo nomine recitavit; itémque quatuor orationes de laudibus D. Thomæ, ſtudio Seraphini mei Neapoli recitatas; & à Favilla deinde conſervatas. Poſtremò volumen ingens commentariorum elaboravi ſuper poëmatibus Urbani VIII. continens expoſitiones Grammaticas, & Philoſophicas utiliſſimas ſanè Poëtis, Oratoribus, Phyſio-

Phyſiologis, Politicis, Prædicatoribus Theologis; Mathematicis, & mores bonos curantibus, ac ſcientiarum inſtaurationem, quas quidem præ manibus adhuc habeo.

CAPUT II.

De Optimo Genere Philoſophandi.

ARTICULUS I.

De requiſitis in genere ad rectè philoſophandum.

QUinque dat æterna ratio quæ condidit gubernatque omnia, atque proprios perducit ad fines, iis quos aliorum lumina eſſe voluit, videlicet ingenium perſpicax in intelligendo, atque ſyllogiſando; tenacem memoriam pro theſauro ſcientiarum; voluntatem efficacem, perſeverantemque in veritatis amore quæ ſcientias, quia bonæ ſunt, non quia lucrum, aut gloriam, aut honorem pariunt, aut gaudia hujus Mundi, capeſſat; ſtudium indeficiens, ita ut quidquid legimus ſive in codicibus hominum, ſive in rerum univerſitate inſpectamus, notemus inceſſanter, tanquam principia aliorum cognoſcendorum multorum per ſimilitudines analogas, aut univocas; & tandem converſationem ſapientum non vulgarium; nec propriis addictorum placitis; verum qui parati ſint veritatem undecumque affulgentem amplecti citra invidiam, citra tædium majora perquirendi, ac tandem citra decretum ſic ſtandi in propriis, ut aliena aut ſequentia reſpuamus. Etenim cum omne vitium obicem ſapiendi res prout ſunt apponat, tum verò maximè illud hoc præſtat, quo putat quis omnino ſe inveniſſe quod quæritat, dum ſibi placet, nec intelligere ſatagit ſe in in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quirendo potius defeciſſe; quoniam non intellexit uniuscujuſque rei, vel minimi etiam puncti unius, ne dicam Formicæ, aut motus, aut unguis infinitam propemodum dari ſcientiam, ut hic rideas Atheos & Politicos, qui judicium ſuum ſupra Mundum ſupraque intelligentias, corporum, elementorumque, ac proinde Regnorum & Politiarum curam gerentes, elevant, & ex nihilo ſapientiam, aut à ſeipſis agnoſcunt, non autem entibus è primis unde nos ſumus, & non ex nobis, quærite ſine meta & invenietis; ſolent enim homines plerique in pueritia omnia credere, in virilitate nihil, ita ut credentes pro ignaris habeant, in ſenectæ verò limine, credenda à non credendis ſeligere.

Articulus II.

In quo ponuntur Regulæ ſpeciales ad rectè philoſophandum.

Quoniam verò exploras iterum, doctiſſime Naudæe, quem modū philoſophandi probatiorem invenerim, ut voluntati tuæ honeſtiſſimæ morem geram, ſequentes pono regulas.

Prima. Cujuſcumque rei veritatem volueris perſcrutari, ejuſdem hiſtoriam manifeſtam tibi eſſe oportet, non ex parte, ſed totam, ut ſi circa Cœleſtia philoſophari volueris, diſce prius obſervationes hiſtoricas, videlicet numerum ſtellarum errantium, atque fixarum, & tempora revolutionum ipſarum, & varietates, & quando elevantur, quando deprimuntur, quando ſtant, quando retrocedunt; item modum latitudinis & longitudinis; ac denique ſitum, locum, & ordinem

dinem ipſarum, tunc enim accedit cauſa inveſtigans; docenſque obſervatorum cauſas; quare ad iſtud, Plinii Hiſtoriæ, & Hygini & Arati neceſſariæ ſunt. Similiter volenti Theologiam addiſcere, oportet hiſtorias ſacras prænoſſe, ut in novo & veteri Teſtamento, Ioſepho, Philone, Comeſtore, & in Baronii Annalibus habentur. Qui vult Phyſiologiam ſcire, prius hiſtoriam naturalem de mineralibus, vegetabilibus, & animalibus, elementiſque, ac elementatis rebus à Plinio, Agricola, Geſnero, Aldrovando, Imperato, Dioſcoride, Theophraſto, & ſimilibus haurire debet: propterea enim languent circa pugnas verborum ſcholæ, quoniam Hiſtoriam rerum ſuper qua fabricatur ſcientia ignorant, unde à rebus ad verboſitatem convertuntur. Qui Coſmographiam ſcribunt, navigationes, & itinera & inventarum regionum hiſtoriam præ oculis habeant. Qui Moralem ſcientiam, & Politicam ac Oeconomicam, hiſtoriam civilem prænoſcant nationum, & mores gentium, ac mutationes & formas vivendi, & varia regimina tam familiarum, quàm civitatum, & regnorum, ſimúlque victum ac veſtitum, & artes hominum, & cultum agrorum, alioquin haudquaquam certam ſcientiam de his facere poterit, quoniam ex individuis univerſalia fiunt, quę ſunt principia ſcientiarum.

Secunda. Veritatem Hiſtoriæ examinabis per teſtes non deceptos, neque deceptores; tales autem ſunt hiſtorici, qui viſu & auditu, aliiſque ſenſibus hauriunt veritates.

Tertia. Nulli philoſophorum, aut legiſlatorum ſectæ ita inhærebis, ut putes ipſos ab errore fuiſſe immunes, omnis enim homo mendax, aut ex ignorantia, aut ex malitia, aut ex timore; ſolus autem Deus verax. Quod autem teſti-

monium ſit à Deo ſic explorare poteris, aſpicien-
do ſi eſt in rerum natura, qui primus Dei codex
fuit, quod narratur, vel in libris ſanis probatis
per miracula, per ſanguinem, per Prophetiam,
per ſanctitatem, per ſucceſſionem & commu-
nicationem chariſmatum, ut in principio Meta-
phyſicæ oſtendimus; nam de cætero quicum-
que alicui Philoſopho ita adhæret, ut credat il-
lum non poſſe errare, is ad veritatem ineptus
ſit, & ad meliores ſcientias truncus.

Quarta. Omnium hominum libros lege, nec
ſtatim reſpue quæ tuo intellectui diſſonant,
multas enim veritates invenimus, quas reputa-
bamus antè inter mendacia, ut quod ſub Æqua-
tore non erat habitatio, quod alterum Terræ
Hemiſphærium non extabat, qua ſanè in opinio-
ne, graviter errarunt Philoſophi, Poëtæ, ac non-
nulli Theologi; quare magis ſemper eſt creden-
dum teſtificantibus, qnàm opinantibus, ut magis
Columbo quam Lactantio; & Procopio & magis
Petro teſtificanti de Chriſto, quàm Luciano o-
pinanti: multa enim videntur impoſſibilia, quæ
tamen veraciter exſtant, ac propterea cum tu,
Naudæe Chariſſime, multos illuſtres viros non
fuiſſe necromantas in apologia tua contendis,
ſed ignorantium eſſe figmenta, qui non aſſe-
quentes rationem rerum, dicunt ſupernatura-
liter fieri quæ natura facit! rectè ex hac parte
dicis, quoniam plurima mentiuntur idotiæ, &
viros ſapientes habent pro diabolicis, aut Angeli-
cis; attamen in hanc opinionem non poſſent de-
venire, niſi priùs in natura & politica certum
eſſet, quòd exſtant viri Angelici & diabolici;
nec illuſores qualis Apuleius, & Lucianus, Agrip-
pa efficere poterunt, quin fuerint, in Mundo ve-
raciter Magi. Nec quia fabulantur Poëtæ de Ca-
ballo Pegaſeo, & Bellerophonte, non verum
erit

erit quod teſtatur Suetonius de Simone mago, qui fuit Neroni Icarus; nec quia Cingari & Aſtronomi ſunt mendaces, non efficiunt tamen quin detur vera prophetia; ſiquidem non eſt negandum aurum purum aliquod, quoniam multiplex eſt, plurimumque falſum chymicum.

Quinta. Cum impoſſibilis propoſitio aliqua tibi apparebit, ut quod Sol ſtet in centro, & Tellus rotetur, noli ſtatim pro impoſſibili eam habere, ac prædicare, ſed retine aſſenſum, donec undiq; conquiſitis rationibus veritatem erueris.

ARTICULUS III.

De ratione & ordine legendi Hiſtoricos.

QUandoquidem igitur hiſtoriam rerum, de quibus philoſophari convenit, vix aliunde deſumimus, quàm à libris; inde eſt quod ipſorum lectionem ſic inſtituere convenientiſſimum judico; ac in primis. Ordo legendi hiſtoriam naturalem requirit, ut primitus diviſio Cœli & Terræ, per Coſmographiam practicam, non per ſpeculativam ob oculos ponatur in Mappa; Deinde verò Regiones cœli & terræ per circulos diſtinguantur, ac demum hiſtoria cœleſtium & terreſtrium evolvatur, qualiter exſtat apud Plinium & reliquos.

Ordo hiſtoriarum ſacrarum poſtulat, ut legamus in primis vetus atque novum Teſtamenmus; deinde Hagiographos ſcriptores, quos vix unquam abſque Coſmographia & Chronologia poſſis aſſequi, ſimulque hiſtoriam Flavii Ioſephi, & Annales Baronii, ac Bzovii ſaltem in compendium redactos: Nec eſt neceſſe Hegeſippum priùs, aut Euſebium, Nicephorum, Sozomenum, Socratem, & alios Patres evolvere, quoniam hos omnes habere potes in Baronio. Sed

quod eſt præcipuum, notabis diligenter Conciliorum tempora, ſeſſiones, decreta, & ordinem.

Denique ordo legendi hiſtoriam civilem ſimiliter incipit à Moſe, & Ioſepho uſque ad Domitianum, deinde Livium, Salluſtium, Suetonium, & Tacitum legito; & mox à declinatione Imperii Sigonium; Quibus ſubjunges hiſtorias particulares aliarum nationum, qualis eſt Gallica, Hiſpanica, Veneta, Æthiopica, Iaponenſis, Chinenſis, Græca, Perſica: nec ſpernes Beroſum, & fragmenta Ennii, etiam ſi fraudem ſuboleant. Inter legendum autem hiſtorias præ oculis habere convenit Coſmographiam, Chronologiam, & Genealogias familiarum, divini Scriptoris exemplo, & præcepto, qui iſta omnia in ſacra Coſmopoëia, & aliis libris complexus eſt. Deinde verò notandæ ſunt tranſmigrationes populorum, mutationéſque Regnorum, politiarum, ſectarum & morum, quibus percipiendis valdè utiles erunt hiſtoriæ univerſales Pinedæ, Sabellici, ac Tarcagnotæ.

ARTICULUS IV.

De ordine legendi libros Theologicos.

POſt hiſtoriam ſacram methodo jam ſuperius aſſignatâ perceptam, continuò accedendum erit ad Patres, inter quos primùm legendi veniunt Clemens Romanus; & Dionyſius Areopagita, & Ignatii epiſtolæ, ac Martialis & Polycarpi; fragmenta etiam Athenagoræ Papiæ, & aliorum qui diſcipuli Apoſtolorum fuere; quibus ſtatim ſuccedent Irenæus, Iuſtinus, Hippolitus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Victorius, Lactantius, & poſt illos Origenes mirificus, Athanaſius, Baſilius, Gregorii duo, Chryſo-

Chryſoſtomus, Oecumenius Didymus; quos proximè ſequuntur Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Sulpitius; mox verò Iſidorus, Gregorius magnus, Anſhelmus, Hugo Victorius, Richardus, & Bernardus; è quibus ſanctus Damaſcenus Theologiam ſolus in methodum reduxit; quemadmodum poſtea fecit Petrus Lombardus inter Latinos, cujus expoſitores methodici, & præcipui ſunt Albertus magnus, Alexander Alenſis, D. Thomas, Ioannes Scotus, Durandus, Henricus à Gandavo, Gregorius Ariminenſis, Guilelmus Occam, & horum diſcipuli, inter quos præfulget Thomas Cajetanus. Expoſitiones autē Græcorum & Latinorum in ſacram Scripturam ſaltem in compendium, & catenam redactas, evolvere optimum eſſet, ſi non ſufficit ætas, vel ſtudiorum ratio, ut poſſint videri in fonte, quemadmodū ferme omnes à me viſæ ſunt, dum temporis atq; otiin actus eſſem plurimum. Sed utile valde foret, ſi quis compendium omnium Patrum, & Scholaſticorum faceret, veluti Plutarchus Philoſophorum placita, & Galenus conſarcinarunt.

ARTICULUS V.

De ordine legendi libros Philoſophicos.

ORdo Philoſophorum legendorum, primò ponit eorum Principem Ariſtotelem cum Græcis, & Arabibus, & Latinis expoſitoribus; Secundò Teleſium, & Patricium ejus antagoniſtas, ex oppoſitione ſiquidem veritas melius intelligitur; Tertiò, Platonem cum ſuis ſequacibus Plotino, Chalcidio, Jamblicho, Proclo. Quartò, Stoïcos, ut Ciceronem. Senecam, Epictetum. Quintò, Pythagoreos, quorum extant ſolummodo fragmenta. Sextò, Epicureo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rum reliquias, quas à conterraneo tuo Petro Gaſſendo ſumma diligentia colligi audio, & Lucretium, ac Baſſonem, qui nuperrimè Philoſophiam ejuſmodi explanare, aut potiùs inſtaurare conatus eſt. Sed cum in officinis Artiſtarum, plus philoſophiæ realis, & veræ habeatur, quàm in ſcholis Philoſophorum, conſulendi ſunt diligenter Pictores, Tinctores, Ferrarii, Aurifices, Auriductores, Agricolæ, milites, Bombardarii, Pannifici, Deſtillatores, & id genus reliqui.

In Moralibus Seneca omnibus prævalet. Ariſtoteles in particulis bonus eſt. Teleſius magis ad totum accedit, Plato verò ſparſus eſt, non methodicus, circa totum, & cum ars ipſa integra deficeret, ipſam de novo inſtaurare conatus ſum.

In œconomicis primum legendus eſt Ariſtoteles, quia valet methodo; deinde Xenophon & Plutarchus, quia abundant præceptis; de me verò judica tu Naudæe.

In politicis fundus erit Plato, leges, legiſlationem, Regnum, ac ac Rempublicam inſtituens luculenter, ut propterea D. Thomas in libro de Regimine Principum, Platoniſmum in Republica deſideret; Ariſtoteles ut æquum fuit à præceptore hauſit quidquid habet boni, aſtutis aptior quàm prudentibus. Hunc excipiet Plutarchus, bonus in multis: à Machiavello, ut nimiùm aſtuto, & procaci, abſtinendum. Moſes verò adeò præcellit in omnibus, ut cæteri legiſlatores ſint ejus veluti ſimiæ, Pythagoras, Numa, Minos, Seleucus, Solon, Zamolixis, Mahometes, & alii.

In Medicina quæ Philoſophia eſt practica, ductor erit Hippocrates; mox Galenus abbreviatus tamen, & ab eo Celſus, qui eloquentiam ſermonis junxit cum artis peritia, Trallianus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Avicenna, Rhaſis, & Fernelius; Paracelſus deni-que in deſtillatoriis, & Medicinis chymicis ali-quid promovit; in ſpeculativis verò ineptit ple-rumque, & accipit pro ratione non rationem; Sanè Medicina poſſet abbreviari in verbis, augeri in ſententiis, & rationaliter fieri, ut patet ex libris noſtris Medicis.

ARTICULUS VI.

De ordine legendi libros Mathematicos.

ORdo in Mathematicis eſt, ut præcedat Eu-clides communes theſes examinans men-ſuris, & numeris; Sequitur Archimedes, qui eos rebus multis applicat; item Ptolemæus qui cæleſtibus, ut etiam Alfraganus, Coperni-cus, Tycho, & alii; deinde qui ipſos accommo-dant Telluri & magnis corporibus, ut Geo-graphi; mox qui particularibus, qualis eſt Na-vigatoria, Militaris, Ponderatoria; Vitellionem etiam & Alhaſenum Opticæ doctores adibis, & per Phyſicam examinabis.

In Aſtronomicis prior eſt Ptolemæus, altior Copernicus, copioſior Tycho; judicium ta-men de his non feres, niſi obſervationes Chal-dæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Latinorum, & Arabum conſideraveris; non enim unius temporis ætas, ſed ſeculorum omnium præteri-torum eſt neceſſaria, ad ejuſmodi ſcientias.

In Aſtrologia Ptolemæus præcellit; Arabes copioſiores quidem ſunt, ſed magis ſuperſtitioſi, utinam aliquis ſeligeret quod in ipſis utile re-peritur: nullus enim codex ſpernendus eſt, & præclara longè documenta ſæpiſſimè latent in-ter verboſas ineptias.

Denique omnem ſcientiam puta infinitam, nec te unquam ad metam perveniſſe exiſtimes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nec diſcere ceſſes; naturâ enim comparatum eſt, ut omnis totaque ætas conſumatur in addiſcendo per ſenſoria à codicibus naturæ, & ſcripturæ, & per diſcurſum ex his, at non ſenſibus expoſita: certè leges omnium nationum, ac ſectarum diſcere utiliſſimum eſt.

Caput III.

De recta ratione libros ſcribendi.

Articulus I.

In quo proponitur, quid agendum ſit.

INſtas adhuc explorando, amicorum ſuaviſſime Naudæe, ut de ſcribendi ratione tibi aliquid addam; Dico igitur, aliud eſſe ſcribere doctrinales ſcientias, aliud inventivas; aliud tractatus ſeu diſcurſus, ac ſermones privatos, & Panegyricos.

Articulus II.

De ſcientiis doctrinalibus; & earum methodo.

SCientias tradimus non inveſtigando, ſed ex inveſtigatis reducendo ad propoſitiones univerſales, & definitiones, quæ ſunt epilogus inveſtigatorum; omnis ſiquidem ſcientia præſupponit eſſe ea de quibus tractat, & ex principiis hiſtoricè veris, ac rationi non repugnantibus, concluſiones eruit; quas brevibus verbis, ſignificativis, perſpicuis, & multa ſententioſè continentibus explicare debet; ſignum enim ſcientis eſt hoc modo docere; hoc autem facit, qui ex principiis omnia quæ ſequuntur eruit, dilucidatque certis conſequentiis, nullâ ſuperfluitate verborum in claris, nulla deficienti per-

perſpicuitate in obſcuris, nec conſarcinatione oppoſitorum dogmatum, ſcientiam omnem deſtruente.

Articulus III.

De methodo inventivarum.

Qui autem inventivas tradit ſcientias, modum quo ad eas pervenit, viámque aperiet, nec aliquid præſupponet niſi univerſaliſſimum eſſe; quapropter Metaphyſicus qui communem cunctis ſcientiis philoſophiam tractat, nihil præſupponit, ſed omnia dubitando perquirit; nec enim præſupponet ſe eſſe veluti ſibimetipſi apparet, nec dicet ſe eſſe vivum, aut mortuum, ſed dubitabit: nec eorum quæ dicuntur, aliquid abſque probatione afferet, nec nomina ipſa putabit dicere quod dicunt, ſed inveſtigabit, utrum homo dici debeat homo, & Cœlum Cœlum, & Deus Deus, & ſubſtantia ſubſtantia. Inveſtigabit etiam modum ſciendi, quo pacto fiat in anima humana, & quomodo cognoſcant bruta, quibus ſapores, & odores non ſunt iidem ac nobis, & ſic de cæteris objectis, ac etiam de ſenſu aliorum entium, & de immiſto ac dominante primo ente, cujus participatione omnia ſunt, ſciunt, appetunt. Atque hoc modo inveſtigabit, probabitque principia ſcientiarum omnium, & ſyſtematum, & entium, ac non-entium, & cauſas, & cauſſationes, & principiationes, & eſſentiationes; quemadmodum nos fecimus in Metaphyſicis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ARTICULUS IV.

De diſcurſu, dialogo, & ſyntagmate.

DIſcurſus verò ſeu ſermones ac dialogos, & ſyntagmata, non ſecundùm ſcientiarum methodum facimus, ſed ſecundùm occaſionem præſentem, & ſatisfactionem erga illos ad quos ſcribimus, reique de qua ſcribimus pro controverſia. Unde Cicero, & Leo, & Chryſoſtomus, cum orant, aliter loquuntur, quàm dum tradunt ſcientiam orandi; ſic D. Thomas in Summa Theologiæ tradit ſcientiam per ſua principia & partes, ordine ac methodo præclariſſima; in opuſculis verò licet de iiſdem rebus agat, hoc facit tamen longè uberius, ad præſentem controverſiam ſedandam, aut alicui amico ſatisfaciendum. Denique ut fures latrocinia ſua cum arte & ingenio exſequuntur, ſic Machiavellus libros quos meritò improbavit Eccleſia, conſcripſit ex iſtius artis regula & methodo: nam quando putat ſe tradere ſcientiam principiandi, ſeu, ut verius dixiſſet, tyranniſandi præcepta, ſcribit breviter; cum verò diſcurſus ſuper Livium, facundiæ indulget, inſtituitque applicationem artis, & præceptorum.

ARTICULUS V.

De Commentariis.

COmmentaria etiam in ſcientiarum expoſitione, ac Doctorum magnorum ſententia trutinanda, aliter ſcribimus; ſenſum enim hiſtoricum ex ratione & cauſa unde ad ſcribendum moti ſunt, enucleamus, grammaticaliter etiam conſiderando, & explicando vocabula, unde & cur ſunt poſita ab auctore, & ab aliis. Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

autem addimus quæſtiones & philoſophemata, non eſt deratione expoſitionis, ſed amplioris doctrinæ, quales ſunt tractatus poſt ſcientias, ſive ad addendum quod deerat, ſive ad defendendum auctorem contra alios aliter loquentes; ſive ad emendandum quæ non rectè dicta fuiſſe videntur.

CAPUT IV. & ultimum.

In quo habetur judicium de Scriptoribus.

ARTICULUS I.

De quibuſdam auctoribus in ſpecie.

ARiſtoteles naturæ Genius meritò ab omnibus audit, plura enim præſtitit, ac ſcivit, quàm quivis poſt ipſum alius; verum quemadmodum optimè dixit Horatius, *nihil eſſe ab omni parte beatum*; ſic non deſunt qui huic objiciantur, velut humanitatis noſtræ appendices, nævi. Igitur in Phyſicis, & Metaphyſicis, eſt quidem brevis, & ut Philoſophum decet, ſed in difficilibus & obſcuris pluſquam decet, effugitque quæſtiones vehementer arduas, tanquam ſi nullius eſſent momenti, aut in iis veluti ſæpia ejecto atramento, ut notavit alter Picus, ſeſe occultat, effugitque piſcantem animum, unicâ diſtinctione de actu & potentia omnes ſolvens difficultates; ut patet dum tractat de raro cum fit denſum, de exſiſtentia elementorum in miſto, de anima in partibus inſectorum diviſorum perſeverante, de generatione ex ente vel non-ente, de differentiis in genere, de qualitatum ac formarum exſiſtentia, & alibi ſæpè. In his verò quæ ſunt parvi mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

menti, plura dicit quàm deceſſe eſt, ut cum tractat de ſenſibus & organis in libris de Anima, & de partibus animalium, ſive inſpectione anatomica. Similiter in libris Priorum & in Topicis nunquam finem facit, & per minutiſſima ac ferè inutilia vagatur; Præterea in adducendis & examinandis examinandis dictis Philoſophorum ſibi nimiùm indulget, omnes quaſi deſpiciens, præſertim ſapientiſſimum Parmenidem & Platonem, eorum dicta quaſi eſſent mechanici, & indocti, ſpernens, nec ſatis ubique fideliter ea referens, quemadmodum etiam D. Thomas ex Simplicii, Euſtratii, D. Auguſtini, & Gellii auctoritate confirmat. Præterea in Metaphyſicis potius eſt Grammaticus quàm Philoſophus, & conſumit decem libros in prooemio dicendorum, repetitque alibi ſæpius prolata; & in duodecimo loquitur de Metaphyſicis, id eſt de primo ente & intelligentiis motricibus orbium ex Eudoxi, & aliorum placitis multos errores committens, additque de ſublimibus pauciſſima, niſi ubi aliena tradit; atque cum ex diverſis auctoribus philoſophemata ſua depromat, ſæpe in contradictionem incurrit, ſic duo principia activa, ergo etiam duo elementa ex illis conſtituta ponit cum Parmenide, deinde quatuor elementa cum Ocello, cujus etiam verba mutuatur. Alibi quoque ſcientiam ex ſenſibus haurit cum Democrito, atque ſenſibilia natura ponit. Mox cum Platone negat ſenſilium ſcientiam, facitque æternorum tantum in intellectu. Quapropter vide Naudæe, quantas in anguſtias ſummus iſte vir agitur, dum ex aliis exſcribit. Melius verò hoc intelliges, ſi quæ deinde dicit contraria iis quæ de ſenſibus habet, conſideres; item quæ de imaginante & opinante ac memorante anima, velut & de ſenſu communi,

ni, quæ omnia accepit ex Platonis Thæteto, in Logicis denique ſuperfluus eſt tractatis, & mancus in tractandis, neque enim de definitiva & diviſiva arte, neque de ſex prædicamentis quidpiam dixit.

Plato verò ſapiens probatur, & quidem conſcius quod certa ſcientia & ex arte non habetur, ſed tantum opinio, & ex parte; ſcripſit omnia dialogiſticè, ut intelligeremus illud modo ſciri quod ad invicem loquendo enunciamus, non autem res cognoſci in ſe ſicuti ſunt. Ad ideas quidem ſe confert, unde ſcientias hauriat, ſed in medio itinere nos relinquit. Parmenidis ſententias & Pythagoræ ut plurimùm ſecutus videtur in arduis, cum in phyſicis Timæo prorſus conſentiat, ſibi tamen magis conſtat quam Ariſtoteles, & quæ accepit ſuo auctori tribuit. Præterea totam phyſiologiam in Timæo libro parvulo longè clarius & unitius expreſſit, quam Ariſtoteles diviſam in partes, quaſi corpus Oſiridis. In reliquis autem dialogis videtur de cunctis quaſi ſermones facere, non ſcientiam tradere, exceptis libris de Iuſto, & de legibus; miſcetque Poëtica Phyſicæ, & moralibus, quoniam & in natura, & in colloquiis res miſtæ reperiuntur; tandem ex propriis juxta naturam rerum conſideratis multa dicit, quæ Ariſtoteles ex obſervatis in Homero, Ocello, Platone, & uſu vulgi tradit.

Teleſius in ſcribendo ſtylum verè philoſophicum ſolus ſervat, juxta rerum naturam ſermones ſignificantes condens, facitque hominem potiùs ſapientem quam loquacem; quæ ſcire deſperat, ingenuè confitetur, aliorumque opiniones juſtè examinat, fideliterque proponit.

Plinius hiſtoricè de cunctis rebus ad artem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ac naturam ſpectantibus ſtylo eleganti, atque ornato ſcribit, & unde haurit quæ ſcribit, nil diſſimulat, ingenuus, laborioſus, copioſus, compendioſus, concinnus, utilis.

Seneca nullas tradit ſcientias, licet omnia moralia mirificè tractaverit; in Philoſophia Hiſtoriam, ac Rhetoricos colores adhibens, & in epiſtolarum genere philoſophiam, breviter, conciſè, ſententioſè in omnibus loquens, & ad corda potius quam ad aures, Cicero fuſior eſt, elegantior, auribus magis quam cordi inſinuans, cultum verborum magis quàm rerum affectat, pigmenta ſermonis doctrinæ Stoïcorum, & Platonicorum adjungit, de ſe autem nihil altum invenit, nam quæ diſputat in Academicis, & in libris de Finibus, & cum leges condit, in Platonicis & Stoicis reperiuntur. De natura Deorum non ipſe primus diſputavit, ſed controverſias inter Stoïcos, Epicureos, Platonicos, & Peripateticos, eleganter conſcripſit. Et profecto neminem vidi ſapientem qui oratione politiſſimâ utatur, præter eos qui aliorum dogmata exſcribunt, concinnántque. Sapientem dico eum, qui invenire poteſt grandia, ac docere; proptereaque Auguſtinus Marcum Varronem ſupra omnes Latinos ſapientiſſimum Philoſophum, ac Theologum laudans, eum ſtylo rudiori uſum fuiſſe etiam in lingua florente narrat. Hic tamen ſtylus non eſt rudis, niſi ubi grammaticam non ſervat philoſophicam; tunc enim non ſapientibus rudis apparet, ſed aulicis tantum, ac vulgariter doctis; quibus adulatio dictat orationis decorem, & ornatum venari, ſuoque, adſciſcere propoſito fini conſequendo.

Notandum autem nunquam in Republica regnare oblectamenta ſermonis, niſi ubi corrum-

pi incipit, ſub Tyrannide autem conditur ſermo, & elegans placenſque redditur. Redditur etiam placidus, ab iis qui de proprio non habent, ideóque aliena furantur, veſtiuntque ornatu ſermonis, & figuris, ut videatur proprium quod eſt alienum. Sanè mirificus fuit Chryſoſtomus in ſenſu ac ſermone, qui inventis Apoſtolorum & Prophetarum ornatum adjunxit. Præterea ſapientes ſunt aliquando etiam elegantes, cùm à matribus & in Aula nutriti, tanquam naturalem habent ſermonem formoſum; ſicut Cicero teſtatur Iulium Cæſarem, à matre eloquenti, ſermonis venuſtates didiciſſe; addo ego, & cultiorem in veſtitu modum, quamvis ipſum poſtea abjecerit, quando proprio arbitratu incœpit vivere, unde Cato argumentatus eſt ingenii, ac deſideriorum altiſſimorum in eo magnitudinem. Proprium ergo Philoſophi eſt, nihil ſuperflui, nihil deficientis in ſermone admittere, atque claritatem, & proprietatem arduis adhibere doctrinis, & quod proprio vocabulo non poteſt uſitato, per novum, non per circumlocutionem dicere: Habitum loquendi eleganter more Aulicorum, non enixè perquirere, cùm non poſſit ardua invenire, & perſcrutari, qui ad futilia hæc tantopere attendit.

Hinc etiam conjice quoſdam noſtrates, & ultra-montanos recentiores ſcriptores, ſemper eſſe pueros, uti ad Scioppium ſcripſi, qui totum tempus in Grammaticando, & Rhetoricando conſumunt, & cum ſcribunt, affectant verbum Græcum, aut Hebraicū interſerere, ut videantur linguarum quaſi ſummæ ſapientiæ magiſtri; nil novuum, nil altum, nil reconditum, niſi quod ex aliorum exſculpunt libris, decorantque fuco, afferentes, Politianus, Valla, Riccobonus, Bembus, Trapezontius, Lætus in hac claſſe ſunt toti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Articulus II.
De Poëtis.

POëmata non ſunt ſcientiæ, ſed applicationes ſcientiarum ad exemplum utile faciendum politicis, popularibus, & principibus, & ſunt quaſi tractatus; ſicut enim Rhetorica facit orationes applicando artem, ſic ars Poëtica poëmata, inſtrumenta legiſlatoris ad ſuadendum, & diſſuadendum, docendúmque cum delectatione, & modo facili, utpote exemplis: quapropter Poëtis convenit ſermonis elegantia pluſquam cæteris artificibus; quoniam non tradunt ſcientiam, ſed exemplum ſcientiis adaptant. Enimvero Poëtas intereminet Virgilius, Rempublicam militarem prout eſſe debet, in Æneide componens, laborumque, tolerantiæ, & pietatis exempla tradens, prout eſſe debent; Homerus autem prout eſſe potuerunt, unde Virgilius plus ad ſcientiam acceſſit, Homerus plus ad imitationem. Arioſtus verò utrumque complexus eſt, ut etiam Taſſus, licet minori longe genio ad imitationem, ſed majori ornatu, ac eloquentiâ, quam ſupra cæteros adjunxit. Pindari, & Horatii poëmata imitantur magis quàm doceant agendorum & fugiendorum rationem. Maffæus Barberinus, nunc Urbanus octavus, ſapientiam propinat agendorum ac fugiendorum, cum elegantia, & imitationis declaratione, ad utilitatem informandorum animorum, quo minus fabularum inani cibo nutriantur, ac decipiantur. Tibullum, Catullum, Propertium, Martialem, Marinum, corruptores Reipublicæ per elegantiam ſermonis, & per ſcelus exempli dicimus, nec inter Poëtas artifices illos numeramus; Meliores iſtis Perſius & Iuvenalis haberi debent, quo-

quoniam ſaltem mala vitare docent: Petrarcha verò inter utroſque mediat. Lucanus moralitatem heroicam docet, Rempublicam militarem non prout eſſe debet, nec prout eſſe potuit, ſed, prout fuit, depinxit, ejuſque probitas ex mirificentia hiſtoriæ, non poëſeos elegantiâ commendatur. Similiter ſe habent Silius Italicus & Petrarcha in Scipionis Africa: Unus Dantes cæteris videtur eſſe præferendus in ideatione exemplorum, in mirificentia narrationis, in emolumentis Reipublicæ, & privatæ, in ſapientiæ utilitate, in imitationis ratione, ſolus elegantiæ neglectus illi obeſt; quanquam apud vulgus tantùm, doctiſſimi ſiquidem hunc minimè in ipſo deſiderant. Hiſpani Poëtæ quales Erzilla, & qui Columbeidem ſcripſit, ad hiſtoriam magis accedunt, ſed minus bene fictiones inſerunt, quas etiam plerumque ab Italis mutuantur; ſane Gargilaſſus Petrarchæ lyram feliciter æmulatur, Lopes verò Comœdias fingit in materia non Comica; ſed moribus Hiſpanis ſatis convenientes.

ARTICULUS III.

De Oratoribus.

IN Orationibus Græcos Latinis præfert Virgilius, ſicut etiam in reliquis ſcientiis, & artibus, dum canit in VI.

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſas melius, Cœlique meatus
Deſcribent radio, & fulgentia ſidera dicent:

At in Re militari, atque Politica Romanos cæteris omnibus antepoſuit, cùm ſubdit:

Tu regere Imperio populos, Romane, memento
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem:
Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Sed Cicero Demoſthene apud Petrarcham in Famæ triumpho excellentior judicatur.

Doppo venia Demoſthene, che fuori
E di ſperanza homai del primo loco
Non ben contento de ſecondi honori.

Quod ad reliquos ſpectat, Iſocrates, Æſchines, & Lyſias, & Gorgias laudantur vulgò, at philoſophis non placent, quoniam, ut inquit Plato in epitaphio, à feminis iſte dicendi modus manavit; loquor de Demonſtrativo; Orationes enim Cæſaris ad milites, Catonis in Senatu ad judicum deliberationem ſpectantes, Magiam animorum redolent, ut in Rhetorica conſiderabamus. Quas interſerunt Livius, Salluſtius, Guicciardinus, aliique Hiſtorici, quantæ ſint utilitatis, nemo non videt, niſi qui ad virtutem ſe concinnari non ſinit, Atheiſmo, aut ruditate infectus. Iſocratis Panegyricus & quæ ad Nicoclem & Dæmonicum ſcripſit, eadem utilitate pollent, elegantiâ, & concinnitate; Speronii orationes non item, melior enim fuit in dialogiſmo: in concionibus verò Chryſoſtomus, & Leo valent, quia movent ſimul, docentque, atque delectant, præcipuè autem Leo qui res abſtruſas faciles omnino reddit. Chryſologus affectat nimis dictionem, ac ſententias; ſicut & D. Auguſtinus, qui ſeipſum in Civitate Dei ſuperavit. Florent, & non fructificant Cornelius Muzus, & concionatores cæteri recentiores: ſermones enim D. Thomæ verè Theologici, ac Philoſophici cenſeri debent, ſiquidem paucis verbis definit, diſtinguit, dicendáque propinat, ut ex illis nihil non ad rem, nihil indoctè, nihil inutiliter ſinat profluere. Savonarola pariter, licet in multis erraverit, plurimum tamen in concionibus valuit, dum ſpiritus auditorum accendit, ſemina virtutum ad fructificandum cogit, animum ex futili-

bus

bus fortiter abſtrahit, vitia denique reſerat, & urit.

ARTICULUS IV.
De Hiſtoricis.

QUi Hiſtoriographiæ artem tradiderit, neminem invenio, nec utrum ego iſtud præſtiterim, dicere debeo, ſingula tuo examini atque judicio ſubjiciens. Inter Hiſtoricos verò elegans, doctus, artificioſus, clarus, & ſolers videtur Livius. Tacitus plus Politici quam Hiſtorici habet; Salluſtius mediat; Flavius Ioſephus mirificus eſt in cunctis, & ſimilis Livio; ex noſtratibus Baronius felicior eſt ſerie, veracitate, & utilitate, quam omnibus præſtat. Hiſtoriam univerſalem nec Pineda puram, nec Tarcagnota non impuram ſcripſere: ille enim Theologica, iſte fabulas pro Hiſtoria miſcet. Sabellicum non trutinavi, nec qui omnium regionum Hiſtorias confarcinarent convenientes temporibus ad invicem invenio; Moſes certè dedit exemplum, ſed nemo ſequi potuit: deſideratur ergo qui omnium nationum utriuſque Hemiſphærii, origines, genealogias, geſta, tempora, Regiones, mutationes, tranſmigrationes, & eventus cœleſtes, & terreſtres, & maritimos enarret, ab exordio Mundi uſque ad nos: hanc ego texere optavi, ſed Principes dare commoditatem neſciunt, nec curant divinum opus. Inter Biographos, philoſophorum vitas Laërtius unus omnium optimè ſcripſit, quoniam bona & mala ipſorum, quidquid ſenſere, & alii luſere Poëtæ, de iiſdem non tacuit. Sic vitas Cæſarum tradit Suetonius, veraciter & eleganti ſtylo, perutilique, quem utinam recentiores imitarentur. Plutarchus etiam in vitis deſcribendis valet, ſed Græcis favet pluſquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quam ratio Hiſtoriæ ferat, præſertim in Parallelo inter Alexandrum magnum atque Romanos, in cæteris æquior. Gregorius Nyſſenus ſollers & utilis eſt valde; cui conſimilis eſt Hieronymus, ſed brevior; qui autem vitas Philoſophorum, ac clarorum virorum tacitis eorum vitiis, turpibuſque geſtis deſcribunt, ii Poëtæ potius dicendi ſunt, quoniam imitanda ſcribunt; non autem narranda narrant.

Hiſtoriam Temporum Scaligeri admirantur Germani, eamque ſequuntur etiam plurimi noſtrates, inter quos recenſetur Vechettus Florentinus, qui ſcripſit de anno ſacro tam ſubtiliter quam imprudenter: voluit enim per eclipſes, atque Cyclos Lunares in Hiſtoriis antiquiorum extantes, numerum annorum corrigere, ſed cum ante Hiſtoriam Herodoti, & Iuſtini nihil ejuſmodi habeamus, non bene potuit præteritos ante Nini tempora annos colligere, neque corrigere. Adde quod Chronologiæ adeò ſunt variæ inter Hebræos, Græcos, & Latinos & iterum inter ſingulos ipſorum, ut Cyclos multos aliæ excedant, aliæ excedantur, & quibus innitaris conjecturæ omnino deſint. Præterea ſupponit curſum Aſtrorum ſemper eundem, cùm recentiora phænomena, & antiquiora etiam, longè varium ipſum eſſe in anticipationibus Tropicorum, apogeorum, Eclipſium declarent; ut non mirum ſit, quod nativitatem & mortem Chriſti ad alia tempora ipſi trahant, contra traditionem, ac ritum à primordio naſcentis Eccleſiæ ſervatum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ARTICULUS IV.

De Scriptoribus Epiſtolarum.

Epiſtolarum genera multa, inquit Cicero, eſſe non ignoras, alterum familiare & jocoſum, alterum ſeverum & grave, ſed unum illud certiſſimum quo certiores facimus abſentes, ſi quid eſt quod illorum aut noſtrum ſcire interſit, & hoc rectè quidem, quoniam ad hoc inventæ ſunt epiſtolæ, ut quæ propter abſentiam ſignificare non poſſumus, quaſi præſentia faciamus. Quæ verò dicuntur Philoſophicæ, apud Senecam & Platonem, & Aſtronomicæ apud Tychonem; & quæ medicinales apud Manardum, Mundellam, Geſnerum, & alios; & quæ Politicæ ſunt Ciceronis ad Atticum; & quæ Theologicæ, ut Apoſtolorum, & Diſcipulorum Ignatii, Polycarpi, Martialis & Dioniſii, Hieronymique, & Auguſtini; & Grammaticales Lipſii ac Parrhaſii, epiſtolarem rationem excedunt, & potius ad ſyntagmata doctrinalia ſpectant; ideóque de iis ſentiendum ſicuti de ſermonibus, qui ex principiis ſcientiarum depromi conſuevere. Hoc tantummodo animadvertendum, quod cum genus mixtum ex ſermone ſcientifico & epiſtolari conſtituant, principia habere debent, ac fines, atque enunciationes paulo cultiori ſermone exaratas, cujuſmodi in epiſtolis ſimplicibus ex arte fieri conſuevit, in quibus verbis claris apprimè dicendum eſt, ne abſentia quam epiſtola tollit foveatur; ac propterea haud rudis erit, vel metaphoricus ſermo, niſi ubi quæ vel pudet dicere, vel imprimere in animo cupimus, ad hoc nos cogunt, quemadmodum in Rhetorica monebamus, Brevitas affectata nocet ſenſui, neceſſaria prodeſt tollendo faſtidio; repetitio vero earumdem ſententiarum omnino ſtomachoſa, niſi ubi multa impreſſio, & ex impreſſione

preſſione voluntas, & ex voluntate actio procuratur.

ARTICULUS V.

De Mathematicis.

MAthematicas bene ſcripſit Euclides, licet quædam in ipſo deſideremus; circa cœleſtia bene Ptolemæus numerat menſurátque, ſed clarior acutiórque Copernicus. Tycho verò ſollertior & diligentior, ſed minus ad judicandum per percepta obſervataque idoneus, præterquam ſtylo lutulento fluit, non diſtincto reſolutoque, qualis eſt in Copernico, aut Ptolemæo.

Coſmographiam ex arte Ptolemæus, haud tamen totam depinxit; Ortelius verò & Mercator ex ſola peritia deſcribunt tabulas, artem nullam tradendo, ſed eorum imitatione, qui poſt ſcientiam tractatus faciunt, & poſt Rhetoricam orationes; nos autem conati ſumus Coſmographiam artificiosè componere, quã neſcio utrum in præcedenti Catalogo recenſuerim.

ARTICULUS VII.

De Medicis.

MEdicinam Hippocrates methodicè non ſcripſit, ſed per præcepta tradidit breviſſima, ſicuti Salomon Ethicen in Proverbiis; nemo tamen ipſo melior inter antiquos exſtitit in ſententia brevi, veridica, magiſtrali, & licet rationem dictorum non attulerit, ipſorum tamen veritas in experimentis intus illico ſe prodit, Galenus non tantumdem ſapit, proptereáque nec tamen facile docet verborum copia luxurians, eſt tamen optimi judicii cum ex propriis aut Hippocraticis loquitur, dum verò Platoni-

zat

zat aut Ariſtotelizat non item;& in diſſectionibus mirificus exſiſtit, unde Veſalio, cæteriſque viam aperuit, quam Ariſtoteles loquendo de partibus animalium obſtruxerat. Scripſit methodo haud inepta, dictorúmque ſuorum rationem reddit aliquando; ſed quaternitas elementorum & qualitatum, & elementatio & reductio omnium ad illa fefellit valde virum ſolleriſſimum, qui præterea non immoratur cum de febribus, & pulſibus, aliiſque rebus ſermocinatur, quantum erat opus ad præſtigias & præjudicia phyſicorum eludendas. Celſus ſcientiæ propior; Avicenna ordinem complexus eſt præclariſſimum, & materiam Medicam longè uberiorem fecit, ut propterea Galeno ſit proximus, & dignus omnino qui nova interpretatione à barbarie liberetur, quanquā meliora præſtare potuiſſet, ſi plus ſibi, ac viribus propriis, quàm antiquorum teſtimoniis indulſiſſet.

ARTICULUS VIII.

De Legiſtis.

LEges ſcribendæ ſunt ſtylo claro vulgari, & ab omnibus qui ſub illis vivunt facilè perceptibili, commodoque utentibus; creſcunt autem illæ quando legiſlator non omnia complexus eſt methodicè, ſuccedentibus ex caſibus; unde commentatores qui non ſcripta tractant, fermè legiſlatores evadunt in omni ſecta. Poſſunt autem ubi nimium excrevere, in compendium redigi, velut Iulius Cæſar, teſte Suetonio, cogitabat, & Iuſtinianus tandem fecit erga Romanas, & addiditque artem quam Inſtitutiones vocat, ſed Compendium melius dixeris, cùm non ex certis principiis & ſemper veris, concluſiones ac deciſiones occurrentium caſuum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

exinde deducere promptum ſit, quod verum eſſe probat tot, tantorumque expoſitorum moles. Moyſes quoque ex quatuor libris qui Phyſiologiam, Theologiam, Hiſtoriam, & leges continent, quamvis compendioſis, unum tamen fecit Deuteronomium; & in aliis ſectis abbreviatores legum vidi permultos; deſideratur tamen in Chriſtiana, ut ex tot Codicibus Decretorum, Decretalium, Clementinarum, Extravagantium, Bullarum, corpus aliquod omnia ſemel complexum conficiatur, quod item in Civili utiliſſimum foret; nemo enim ignorat, legum multitudinem incommodam perniciosamque eſſe judicibus, clientibus, Reipublicę, & leguleiis tantum prodeſſe, ut quidquid volunt defendentes lucra ſectentur, ac Principibus tyrannis, ut hoc modo ſubditos emungant pecuniâ. Sapientia autem Dei incarnata leges omnes ad dilectionem Dei, & proximi reducit: quo præcepto neglecto nihil valent leges cæteræ; obſervato, ſuperfluunt exceptis cerimonialibus, quibus populus Deo ſubjicitur, ejus auxilium imploraturis, & proximo ordinatur commodis mutuò futuris.

ARTICULUS IX.

De Theologis.

IN Theologia Methodici habentur Damaſcenus, Petrus Lombardus, & D. Thomas in Summa; cæteri ſunt commentatores, aut quæſtionarii. Antiquorum verò Patrum alii ad Hiſtoriam meliores habentur, ut Hieronymus; alii ad allegoricos ſenſus, ut Ambroſius; alii ad Morales, ut Gregorius & Chryſoſtomus; alii ad omnes ut Origenes, licet myſticos magis ambiat, Auguſtinus inter controverſias & ſubtilitates eloquentiam optat, ſed non habet quantam Ambroſius minus optans. In numeroſo

meroſo autem dicendi genere, & ſuavi eloquentiâ Leo antecellit, cùm præſertim dogmata abſtruſiſſima clarè & ſuaviter explanat, licet ſtylus ejus ſit magis oratorius quàm dogmaticus. Modus verò ſcribendi Theologiam per quæſtiones incepit ab Alberto magno, & Alexandro de Ales Franciſcano, eſtque ſatis utilis tum ad brevitatem, tum ad veritatem enucleandam; cum ad contrarias falſaſque opiniones explodendas citra tædium, & in hoc deinde claruerunt D. Thomas, Sanctus Bonaventura, & Ioannes Scotus ut utriſque ſubtilior, ſic & obſcurior: ſubtilis etiam eſt Durandus, & ſolidus, ac clarus & liberior in opinando; Occam verò ininveniendo mirus, & liber; quem ſtylo conſimili, non autem libertate, inſequitur Herveus. Denique Cajetanus ſubtilis eſt, reſolutus, brevis, & ubi loquitur abſque ductore, acumen addit, plus quam in reliquis commentis facere ſoleat, ſed omnes æquè expertes eloquentiæ fuerunt. Quibus ſuccedunt qui elegantiam quidem affectavere, cæterum nihil de ſuo proferunt, ſed meri recitatores exſiſtunt, quales ſunt omnes fere moderni. Bellarminus controverſias hac tempeſtate plurimum illuſtravit, clarus, non inelegans, magnus in labore, ſed modicus tamen in inventione. Deſideratur adhuc Theologica ſcientia, cum confutatione ſectarum novi Orbis & Mahometiſtarum, & Thalmudiſtarum; quam utinam nos præſtiterimus!

Sanè in perquirenda ac defendenda Religione, philoſophorumque dogmatis examinandis, prævalet Clemens Alexandrinus, nihilque intacti reliquit; hunc verò excipit D. Auguſtinus in libris de civitate, varietate hiſtoriarum, multiplicitate queſtionum, & electione meliorum mirus: Lactantius melior in confutando, quàm in docendo: Thomas verò è contra, iis in libris

quos adverſus Gentiles ſcripſit, Iuſtinus optimè docet, probat, examinat, reſpondet, ut Philoſophus ſuadens, non credenda imperans, religionemque in totum genus humanum ſeminatam demonſtrat, quam alii, ſuis tantum viridariis implantatam putant; Tertullianus denique ut Theologorum magiſter, plus probat duobus verbis, quàm cæteri mille argumentis, gravis, arduus, acer, efficax, brevis, concinnus, Philoſophicæ grammaticæ, non autem civilis cultor & ſuo Africaniſmo homines velut ad peregrinas merces alliciens.

ARTICULUS X.

De iis qui varia ſcripſerunt.

IN tractatibus variis Plutarchus ſuperat omnes ſcriptores dicendi methodo, & utilitate ac varietate doctrinæ, ſi quidem hiſtorias, & moralia, & phyſica, ac metaphyſica etiam, complexus eſt non ineptè: Xenophon tamen brevitate concinnâ ipſum ſuperat, & ea quæ tractat, Platonem æmulando, eleganter admodum ac philoſophicè perſequitur; Lucianus verò ſophiſticè, addo ac ironicè ſcripſit, & irreligioſè, ut omnes vacillantes in virtute animos reddat impios, ac propterea ejus lectione non ſecus ac Mazutii, Franci Aretini, Boccatii, aliorumque iſtius generis optimo ſanè Concilio interdictum eſt. At verò inter modernos Volaterranus quidem non modo varius eſt in tractando, ſed inſuper univerſalis, qualis Plinius, quoniam quicquid ad generis humani informationem utile erat conſarcinavit, ut Cœlius Rhodiginus quidquid ad eruditionem, & Laurentius Valla quidquid ad Grammaticationes; quemadmodum etiam fecit Eraſmus in Theologicis Grammaticæ, & in Grammaticis, Theologiæ gloriam ambiens. Politianus autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

autem, Calcagninus, & ſimiles eruditionis ſuæ rationem habent, nec illam ut ſuperiores proſtituunt, Cardanus denique phyſiologica, & curioſa plura confirmat ex moralibus, Medicina, & omnibus ferè ſcientiis, additque ſuperſtitioſa multa ut Apulejus; & hoc præſertim nomine bonus eſt, quia nihil negligit, nihil intacti relinquit, unde homo conſiderationes augeat, & ſcientias locupletet; quemadmodum nuperrimé Boccalinus principibus atque populis ſtudium veritatis faſtidientibus, quaſi per ludum politicas verſutias, ac veritates inſtillans, quanquam philoſophis non ita gratus eſt, quibus ſimplex veritas breviſque & ſola tantum arridet.

Atque hæc ipſa erant, amiciſſime Naudæe, quæ tibi ſciſcitanti, ac fortiter emulgenti effundere coactus fui, utinam tam utiliter & ex arte, quam ex veritate, & animo, quæ ſi tibi tuiſque amicis fratribus Puteanis, Moreau, Diodato, Motteo, Vajerio, Gaſſendo, Gaffarello, Patino, Merſennio, Slingelando, clariſſimis, doctiſſimiſque viris, quorum mihi benevolentiam dudum conciliaſti, placuiſſe intellexero; quod meum erat me aſſecutum fuiſſe gaudebo ſummopere, multumq; me tuo & ſimilium optimorum hominum judicio efferam. Plura etiam in tui & ipſorum gratiam dicturus, niſi iſta mihi conſultius tacere viſum fuiſſet, propter æmulorum invidiam, quam toties expertus non poſſum adhuc non plurimum reformidare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

LEONARDUS ARETINUS, DE STUDIIS & LITERIS.

Illuſtri Dominæ,

ISABELLÆ MALATESTÆ.

Leonardus Arentinus

S. P. D.

COMPULSUS crebro rumore admirabilium virtutum tuarum, ſcribere ad te conſtitui,ut ingenio illi de quo tam ampla, magnificáque audîſſem, vel gratularer jam perfectionem conſecuto, vel certè ad eam conſequendam meis literis cohortarer. Neque enim deſunt mihi clariſſimarum mulierum exempla, quæ & literis, & ſtudiis claruerunt; per quarum commemorationem te provocare ad excellentiam poſſim: ſi quidem Corneliæ Scipionis Africani filiæ, multa ſecula poſt ejus mortem exſtabant epiſtolæ elegantiſſimo ſtylo perſcriptæ; & Sapphus poëtriæ libri ſummo in honore apud Græcos, propter ſingularem facundiam, & ſcribendi artem, habiti ſunt; Aſpaſia quoque per Socratis tempora,fuit doctiſſima mulier,& eloquentiâ, literiſque præcellens, à qua Socratem philoſophum tantum,ſe didiciſſe quædam non pudet confiteri. Fuerunt & aliæ,quas referre non poſſum, ſed tamen hæc tria ſatis eſt famoſiſſimarum exempla retuliſſe.

Ad illarum igitur præſtantiam quæſo mentem erige, atque extolle: tantam enim intelligentiam, ac tam ſingulare ingenium, nec fruſtra tibi datum, nec mediocribus contentum eſſe decet, ſed ad ſumma ſpectare, atque adniti. Et tua quidem laus illuſtrior erit, quàm illarum fuerit, propterea quòd illæ his ſeculis floruerunt, in quibus eruditorum hominum magna inſuper erat copia, ut multitudo ipſa minueret admirationem; Tu autem his temporibus florebis, in quibus uſque adeò prolapſa ſtudia ſunt, ut miraculi loco habeatur, videre virum, nedum feminam eruditam. Eruditionem autem intelligo non vulgarem iſtam, & protritam, quali utuntur hi qui nunc Theologiam profitentur; ſed legitimam illam & ingenuam, quæ literarum peritiam cum rerum ſcientia conjungit, qualis in Lactantio Firmiano, qualis in Aurelio Auguſtino, qualis in Hieronymo fuit, ſummis profectò theologis, ac perfectis in omni literatura viris. Nunc verò qui eam ſcientiam profitentur, pudendum eſt, quàm parumper ſciant Literarum. Atque ego licet non eâ qua volui januâ ingreſſus ſum, proſequar tamen ſermonem, non quò te doceam, aut dirigam (puto enim te non indigere) ſed quò tibi, quid ipſe ſentiam, innoteſcat. Omnibus igitur ad excellentiam ipſam illam, ad quam nunc te voco, contendentibus, in primis neceſſariam puto, non exiguam, neque vulgarem, ſed magnam, & tritam, & accuratam, & reconditam literarum peritiam; ſine quo fundamento nihil altum, neque magnificum ſibi ædificare quiſquam poteſt. Nam neque doctorum hominum ſcripta ſatis conſpicuè intelligere, qui non iſtâ fuerit peritiâ eruditus, neque ipſe ſi quid literis mandabit, poterit non ridiculus exiſtimari. Ad hanc autem comparandam, tum quoque præ-

ceptio valet,tum noſtra multo magis diligentia, atque cura: & de præceptione quidem vix quicquam attinet dicere; quis enim neſcit, ante omnia tritum eſſe oportere ingenium, & quaſi initiatum præceptoris operâ,ut non ſolum partes ſtructuramque earum, ſed etiam minutiora illa, ac velut elementa cognoſcat. Verùm hæc tanquam ſomniantes in pueritia capimus, poſtea verò ad majora provecti, neſcio quomodo eadem ipſa ad os revocamus, & quaſi ruminamus, ac tunc demum illorum fructus ſuccique velut exprimuntur. Eſt aliud genus præceptionis robuſtius, nec tam pueris, quàm adultis perutile, eorum ſcilicet qui Grammatici appellantur, qui longo robore ſingula proſecuti, diſciplinam quandam literarum effecerunt, quo in genere Servius, Donatus, & Priſcianus Cæſarienſis haberi poſſunt; ſed omnia mihi crede, ſuperat, atque vincit diligentia noſtra; hæc enim non verba ſolùm, & ſyllabas, ſed etiam tropos, & figuras, ac omnem ornatum, pulchritudinemque orationis aperit nobis, atque oſtendit: ab hac informamur, ac veluti inſtituimur: Denique per hanc multa diſcimus quæ doceri à præceptore vix poſſunt, ſonum, elegantiam, concinnitatem, venuſtatem. Caput verò hujus diligentiæ fuerit, videre primùm, ut in eorum tantum librorum, qui ab optimis, probatiſſimiſque Latinæ linguæ auctoribus ſcripti ſunt, lectione verſemur; ab imperitis verò, ineleganterque ſcriptis ita caveamus, quaſi à calamitate quadam, & labe ingenii noſtri; inquinatè ineptéque ſcriptorum lectio, vitia ſua lectori affigit, & mentem ſimili coinquinat tabe: eſt enim veluti pabulum animæ, quo mens induitur, atque nutritur. Quamobrem ut hi qui ſtomachi curam habent, non quemvis cibum illi infundunt; ita qui ſinceritatem

tem

tem animi conſervare volet , non qnamvis lectionem illi permittet. Erit ergo prima diligentia, ut nihil niſi optimum, probatiſſimumque legamus ; ſecunda verò, ut hæc ipſa optima, probatiſſimaque nobis acri judicio aſſeramus ; videat legens quo quidque loco ſit poſitum , quid deſignent ſingula , & quid valeant , nec majora tantùm , ſed minutiora diſcutiat ; cumque ſint plures orationis particulæ, quæ ſit bona, quæque dyſcola cognoſcet : conſuetudinem certè, rerum illarum , ab his quos leget autoribus reportabit. Sive igitur ſacris libris delectabitur mulier , Auguſtinum ſibi adſumet , & Hieronymum , & ſi qui ſint alii non diſſimiles, ut Ambroſius & Cyp[r]ianus Carthaginenſis; Maximè verò inter omnes , qui de Chriſtiana religione unquam ſcripſerunt , eminet & excellit nitore quodam , & copiâ Lactantius Firmianus , vir omnium Chriſtianorum proculdubio eloquentiſſimus , cujus facundia & dicendi figura ingenium tuum præclarè inſtituere, atque alere poteſt : maxime autem probo eos libros , quos adverſus falſam religionem conſcripſit ; item de ira Dei, & de opificio hominis , quos lege quæſo , ſi literas amas, eorúmque ſuavitate quaſi Ambroſiâ , & nectare imbueris. Si qua præterea vel de Gregorio Nazianzeno , vel de Ioanne Chryſoſtomo , vel de Magno Baſilio tranſlata ſunt , ea legas cenſeo; modò qui traduxit , in Latinum converterit ea, non autem perverterit. Sive ſecularibus delectetur, Tullium arripiet, quem virum, Deus immortalis ! quanta facundia, quanta copia , quam perfectum in literis , in omni genere laudis ſingularem ! Proximus huic Virgilius erit decus ac deliciæ literarum noſtrarum ; Livius deinde , & Salluſtius,& alii Poëtæ ac ſcriptores ſuo ordine ſubſequentur. Ipſa verò curabit quàm diligen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ter, ut quotiens ei vel loquendum ſit, vel ſcribendum, nullum ponat verbum, quod non antea in aliquo ipſorum repererit. Quin-etiam contentâ interdum voce legere juvabit: ſunt enim non verſu modo, verùm etiam ſoluta in oratione numeri quidam, & veluti concentus à ſenſu demenſi, & cogniti, flexioneſque, & gradus aliqui, ut modò ſe demittat vox, modo attollat, colaque, & commata, & periodi mirâ concinnitate inter ſe connexa, quæ in optimo quoque ſcriptore maximè apparent; ea ergo cum altè leget, manifeſtius deprehendet repleri aures veluti harmoniâ quadam, quam & ſentiens, poſtea ſcribens, imitabitur. Illud præterea ex hac lectione conſequetur, ut verba ſuo tempore proferat, neve properet, cùm immorandum ſit, neve cum properandum ſit immoretur. Volo inſuper ne ſit ſcribendi ignara, neque nunc de digitorum motu loquor, quem & ipſum ſi non abſit, probo; ſed de literis, & ſtudiis ſyllabarum: teneat igitur quodcumque ſcribendum ſit, quæve ſit natura literarum, & quæ in alteras tranſire, quæ coire inter ſe, aut in propinquam tranſire poſſint: hæc enim res quanquam puſilla, magnum tamen affert vituperium diſciplinæ noſtræ, & manifeſtam detegit ruditatem. Illud quoque perſpectum, & cognitum habere oportet, quanta ſit unaquæque ſyllabarum, hoc eſt, longa, an brevis, aut anceps & dubia: eſt enim neceſſaria cognitio, cùm quia multa incidunt quæ intelligi tantùm hac ratione poſſunt, quale eſt Virgilianum illud,

Omnibus in morem tonſa coma preſſa corona.

& alia hujuſmodi, tum quia fœditas ſumma eſt homini ſibi literas arroganti, ne ſyllabas quidem tenere, præſertim cum non contemnenda pars literarum verſibus conſtet; verſus autem pedibus,

bus, pedes verò longitudine, brevitatéque ſyllabarum, quas qui non retinet, quid ipſe in eo genere de ſe polliceri, aut quem guſtum in Poetis habere poſſit, non equidem intelligo. In proſa quoque oratione eadem ipſa cognitio ſcribenti, dictantique neceſſaria videtur: neque enim ſi multitudo non ſentit, propterea ſolutâ in oratione pedes non inſunt; ſed quod delectat aures, quod ſonat, quod mulcet, inde eſt. Refert enim multum, ut Ariſtoteli placet, à quo pede incipiendum ſit, & in quem finiendum, in mediis autem, qui recipiendi ſint pedes, & qui rejiciendi. Itaque probat ille Pæona maximè: is autem eſt duplex, aut enim eſt ex longa, quam tres breves ſubſequuntur; aut ex tribus brevibus & longa poſtremâ, hunc ultimum ille clauſulis aptum putat, in principiis verò primum convenire, in mediis quoque hunc ipſum pedem quàm optimè cadere: Dactylum verò ac Iambum rejicit, alterum ut nimis elatum, alterum ut depreſſum. Cicero autem in clauſulis Dichoræum probat, maximè qui eſt ex duobus trochæis, & Creticum qui eſt ex longa & brevi, ut & Pæona, de quo ſuprà dixi. In mediis autem, ſi demiſſo humilique ſermone utamur, Iambum maximè convenire putat, ſi ampliore Dactylum, vel Pæona, vel Dochmium qui eſt ex quinque ſyllabis, brevibus duabus, duabus longis, & brevi vel longa, quem cunctis etiam in partibus aptè cadere exiſtimat. Nec dubium eſt, alios in contentionibus pedes; alios dum narramus; alios dum conquerimur, eſſe frequentandos. ira enim, & concitatio animi Spondæum repudiat, nihil enim, niſi properum ac rapidum amat, dum autem narramus aliquid, aut docemus, moram & ſtabilitatem ſermo depoſcit, itaque pedes non amat qui per devia currunt: omnis ergo oratio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

pedibus ſuis communienda erit; quod ſi ignoret ſcribens, velut in tenebris ambulet neceſſe eſt, nullo certo ductu, ſed fortuitò gradiens. Erunt fortaſſe quamplures, quibus mea iſta cura nimis anxia videatur, ſed meminerint, me de ingenio loqui magno, & ſumma omnia de ſe pollicenti, ad quod nemo certè perveniet; qui non fuerit horum omnium & uſu tritus, & diſciplinis imbutus: Denique mea hæc de literis ſententia eſt, nihil ut ignoret quot in uſum venire ſoleat, & præterea nitorem, elegantiam, deliciaſque omnes in oratione ſectetur, ſitque illi ad omne genus ſcribendi modus quidam, & ornatus, &, ut ita dixerim, abundantiſſima domi ſupellex, quam ut occaſio ſe dabit promat, & in lucem educat. At quoniam eruditionem legitimam, experitiâ literarum, & ſcientiâ rerum conſtare diximus, & quid de literis nobis placeret, oſtendimus: addatur nunc ſanè illa pars quæ ad ſcientiam pertinet; volo enim huic ingenio quod ſumma mihi omnia de ſe promittat, ardentiſſimam cupiditatem ineſſe diſcendi, ita ut nullum genus diſciplinæ aſpernetur, nullum à ſe alienum exiſtimet, rapiaturque incenſum mirabili cupiditate, ad rerum int elligentiam, & cognitionem. Huic ergo & ardenti per ſe partim ſtimulos adhibebo, & multo inſuper clamore adhortabor; partim fræna injiciam, & velut receptui canam; ſunt enim diſciplinarum quædam, in quibus ut rudem omnino eſſe non ſatis decorum, ſic etiam ad cacumina illarum evadere, nequaquam glorioſum, ut in Geometria & Arithmetica, in quibus ſi multum temporis conſumere velit, & ſubtilitates omnes, obſcuritateſque rimari, retraham manum, atque divellam: quod idem faciam in Aſtrologia, atque etiam fortaſſe in Arte Rhetorica: mitius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

verò de hac poſtrema dixi, quoniam ſi quiſquam viventium illi affectus fuit, me unum ex hoc numero eſſe profiteor; ſed multarum rerum incunda mihi ratio eſt, & in primis cui ſcribam videndum. Quid enim ſtatuum ſubtilitates; & epicherematum curæ, & illa quæ appellantur crinomena, & mille in ea arte difficultates mulieris interſunt, quæ forte nunquam ſit adſpectura. Iam verò actio artificioſa quam Græci Apocriſin, noſtri pronunciationem dixère, cui Demoſthenes primas, & ſecundas, & tertias tribuit, ut auctori neceſſaria, ita mulieri nequaquam obſervanda, quæ ſi brachium raptabit loquens, aut clamorem vehementius attollat, veſana coërcendaque videatur. Iſta quidem virorum ſunt ut bella & pugnæ, ſic Fori quæſtiones, atque certamina: non igitur pro teſtibus, neque contra teſtes dicere addiſcet mulier, neque ſe communibus locis exercebit, neque interrogationes bicipites, ac reſponſiones veteratorias meditabitur; totam denique Fori aſperitatem viris relinquet. Quando igitur calcaria adhibebo, quando currentem incitabo? cum illi rei ſeſe dabit, quæ ad religionem aut ad bene vivendum pertinet, tunc ſe diffundat, tunc animum explicet, tunc die docteque inſiſtat obſecrabo, de quibus nunc ſigillatim docere haud quoque pigebit. Primùm igitur ſacrarum literarum cognitionem ſibi acquirere ſtudeat Chriſtiana mulier: quid enim prius illi ſuadeam? multa de his inquirat, multa diſceptet, multa ſciſcitetur, ſed veteres illarum amet ſcriptores: novos autem iſtos ſi boni ſint viri, honoret quidem ac veneretur, cæterùm eorum ſcripta non unquam attingat: quid eſt enim quod literata mulier ab Auguſtino diſcere non poſſit? ab iſtis autem quid poſſit? præſertim cum ille affe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rat orationem eruditam, & auribus dignam, iſti nihil adferant quod legi mereatur. Nec ſacris literis contentam eſſe volo, ſed ad ſecularia traducam ſtudia, videatque quid de his quæ pertinent ad bene vivendum exſculptiſſima Philoſophorum ingenia tradidêre; quid item de continentia, de temperantia, de modeſtia, de Juſtitia, de Fortitudine, de liberalitate, non ignoret quæ ſit de beata vita illorum ſententia: numquid virtus ipſa ſatis ſit ad beatitudinem, aut tormenta, & carcer, & exſilium illam impediant, & ſi hæc felici accidunt, nunquid miſerum faciant? an auferant ſolùm felicitatem, miſeriam haudquaquam inducant. Præterea an in voluptate, vacuitateque doloris felicitas conſiſtat humana, ut Epicuro placuit? an in honeſtate, ut Xenophonti viſum eſt? an in uſu virtutis, ut Ariſtoteli; hæc mihi crede præclariſſima ſunt, & digniſſima cogitatione noſtrâ, nec ad vitam ſolùm dirigendam utilitatem afferunt, verùm etiam in ſermone admirabilem quandam cùm ſcribendi venuſtatem, tum copiam ſuppeditant: Hæc igitur duo, quorum alterum ad religionem, alterum ad bene vivendum ſpectat, reliquis præferenda ſunt. Cæterùm ad iſta referuntur, quæ poſſunt hæc ipſa vel adjuvare, vel quaſi ornatum quendam illis afferre: Prorſus enim excellentia hominis illa admirabilis, quæ veram inclytamque famam nomini conciliat, non niſi ex multarum, variarumque rerum fit cognitione. Itaque multa legendo & diſcendo undique capere, cumulareque oportet, cunctaque omnifariàm ſcrutari, atque rimari; unde nobis ad ſtudia noſtra aliqua ſit perventura utilitas, modò tamen adhibeatur ſelectio diligens, & circumſpecta temporis diſtributio, quo potiora, commodioraque præponantur. Placet igitur ad ſtudia de quibus ſuprà dixi,

dixi, inprimis Hiſtoriæ cognitionem adjungere, rem ſtudioſis hominibus nullo modo negligendam; eſt enim decorum, tum propriæ gentis originem, & progreſſus, tum liberorum populorum, Regúmque maximorum, & bello & pace res geſtas cognoſcere: dirigit enim & prudentiam, & conſilium præteritorum notitia, exituſque ſimilium cœptorum, nos pro re nata aut hortantur, aut deterrent. Præterea exemplorum copiam, quibus plerumque dicta noſtra illuſtrare oportet, non aliunde quàm ab Hiſtoria commodius ſumet: eſt enim genus quidem ſcriptorum in ea parte egregium ſanè, atque præcellens omni ornatu nitoréque perpolitum, quos ſcilicet ad uſum literarum legere operæprecium ſit; Livium dico, & Salluſtium, & Curtium, & in primis Cæſarem ipſum, res geſtas ſuas commentariis ſummâ facilitate, venuſtateque explicantem. Hos igitur & leget mulier ſummæ ſpei, & ſibi acquirere perget, præſertim cum eos addiſcere ludus ſit: neque enim ſubtilitas ulla in his extimeſcenda eſt, nec quæſtio enodanda: in narratione enim rerum facillimarum omnis conſiſtit hiſtoria, quam ſi ſemel arripuerit ingenium illud de quo loquor, perpetuò ejus memoriæ adhærebit. Oratores etiam ut minimè negligat, perſuadebo: quis enim aut virtutes extollere ardentius, aut vitia fulminare atrocius ſolet? ab his & laudare benefacta, & deteſtari facinora addiſcemus; ab his conſolari, cohortari, impellere, abſterrere, quæ licet omnia fiant à Philoſophis, tamen neſcio quo modo, & ira, & miſericordia, & omnis animi ſuſcitatio, & repreſſio eſt in poteſtate oratoris. Iam verò illa ſententiarum, verborumque ornamenta, quæ tanquam ſtellæ quædam, & faces orationem illuſtrant, & admirabilem reddunt, inſtrumenta Oratorum,

propria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

propria ſunt, quæ mutuabimur ab illis ſcribentes, loquentes, & in uſum noſtrum cùm res poſcet convertemus: Denique omnem opulentiam verborum, omnem dicendi vim, & quaſi ornatum, omnem Orationis, ut ita dixerim, vivacitatem & ſanguinem ab iſtis ſumemus. Poëtas inſuper ut hæc legat & intelligat volo: quem enim ſummorum virorum expertem hujus cognitionis fuiſſe videmus? Ariſtoteles certè Homeri, Heſiodi, Pindari, Euripidis, cæterorumque Poëtarum verſus frequentiſſimè ponit, tenetque omnes memoriter & facillimè reddit, ut appareat illum non Poëtarum fere minus, quàm Philoſophorum ſtudioſum fuiſſe. Apud Platonem quoque Poëtarum uſus eſt frequentiſſimus, occurruntque illi ubique, atque ultro ſe offerunt, auctoritateque illorum ſuâ ſæpe confirmat. Dixi de Græcis; Quid autem noſtri? an Cicero parum inſtructus Poëtarum cognitione videtur, qui non contentus Ennio, Accio, cæteriſque noſtris, Græcorum poëmata in Latinum convertit, totoſque libros ſuos illis referſit. Quid Seneca, durus profectò vir, & ſeverus, nempe & ipſe poëmata ſcripſit, & totus interdum ſcaturit verſibus. Mitto Auguſtinum, Hieronymum, Lactantium, Boëthium, in quibus quanta cognitio Poëtarum fuerit, ſcripta eorum, diſputataque oſtendunt. Meâ quidem ſententiâ, mancus quodammodo in literis eſt, qui Poëtas non didicit; nam & naturæ quæſtiones, principia, & cauſæ, ac quaſi doctrinarum omnium ſemina in illis reperiuntur, & ineſt auctoritas magna propter opinionem ſapientiæ, ac vetuſtatem, ac ſplendor eximius propter elegantiam, & ingenuitas quædam liberis hominibus digna, ut cui hæc non adſint, pene ſubruſticus videatur. Quid Homero deeſt, quominus in omni ſapientia verſatiſſimus exiſti-

exiſtimari poſſit? ejus poëſim quis neget totam complecti doctrinam viventium, quam contendunt in belli tempora, paciſque diviſam? & in bello quidem quæ proviſio ducis? qui aut aſtus, aut formido militum, quod inſidiarum genus, vel cavendum, vel faciendum. Quæ monitio, quod conſilium ab eo eſt prætermiſſum? Æneas quodam prælio Græcos dudum magnâ vi impulſos in caſtra redegerat, cum itaque audacius urgeret, ac jam totum agmen caſtris educeret, advolat ad eum Hector, ac circumſpectè pedetentimque agere monet, affirmatque eum qui exercitum ducat, non tam audacem, quàm cautum eſſe debere. Quanti ô Deus immortalis! præceptum hoc exiſtimandum eſt, præſertim ab Hectore audaciſſimo traditum; & quo neglecto, ætatis noſtræ duces in magnam ſe & ſuos ruinam, cladem que prope miſerabilem conjecerunt. Apud eundem Poëtam Iris ad Atridem miſſa, cum dormientem reperiſſet, corripit illum verbis, negatque dormiendum eſſe viro, cui & populi ſalus commiſſa ſit, & tantarum rerum incumbat proviſio. Hoc rurſus quàm ſapiens eſt ſive præceptum, ſive conſilium. Quid Socrates, aut Plato, aut Pythagoras majus imperatori, meliuſve conſulerent? Atque in illo Poëta hujuſmodi bellorum documenta infinita ſunt, quæ referrem perlibens, niſi vererer prolixitatem. In pace autem alia rurſus nec pauciora ſunt; nec minus egregia. Age verò, ne cuncta ad Homerum, Græcoſque referamus. Maronis noſtri ſapientia quàm multi facienda eſt, dum tanquam ex Oraculo abdita illa naturæ revelat,

Principio Cœlum ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra.

Spiritus

Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet:
Inde hominum, pecudumque genus vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus,
Igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo
Seminibus.

Et reliqua, quæ cùm legimus, quem Philoſophum non contemnimus? aut quis unquam de natura animi tam enucleatè, ſcientérque locutus eſt. Quid cum idem Poëta quaſi Deo plenus vaticinatur parum ante Salvatoris adventum, dicens:

Vltima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies Cœlo demititur alto.

Nempe mentem divinam ineſſe Poëtis ſapientiſſimi veterum tradidere, vateſque inde nuncupari, quòd non tam ex ſe, quàm concitatione animi quadam, afflatuque divino loquerentur. Quanquam Virgilius hîc ad Cumanam ſeſe referat Sibyllam, quam adventum Chriſti prædixiſſe Lactantius probat. Sibylla igitur adventum Chriſti vaticinata eſt; tempus verò, quo venturus foret, non ſatis aperuit: Virgilius autem multa poſt Sibyllam natus ſecula, venire jam id tempus recognoſcit, novamque progeniem ex Cœlo demitti, veluti admirabundus ſtupenſque denunciat. & negant quidam Poëtas eſſe legendos, divinum ut verè dicam literarum genus: quod tamen ii ſoli facere conſueverunt, qui nullâ ipſi diſciplinâ politiore imbuti, neque intelligunt præſtantiam ullam in literis, neque exiſtimant. Mihi verò in ſtudia hæc noſtra intuenti, neceſſaria in-primis videri ſolet Poëta-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

rum cognitio, cùm propter utilitatem, de qua ſupra dixi, variamque multarum rerum notitiam, tum ob ſermonis excellentiſſimi nitorem. Præterea nihil eſt ex omnibus ſtudiis, quod minus nobis auferat temporis; nam & addiſcuntur in pueritia, cum aliis fere vacare non poſſumus, & inhærent memoriæ ob rotundam concinnitatem, & peregrinantur unà nobſcum, & ſine libris ultrò recurſant, ut velut aliud agens, hoc etiam agas. Quanta verò ſit naturæ ipſi ad poëticam convenientia, vel ex hoc patere arbitror, quod vulgò inerudi:i homines, quamvis literarum, doctrinæque expertes, tamen ſi ingenio valent, ea ipſa qua poſſunt ruditate, ſonitus quoſdam, & rhythmos facere amant; & verò licet hæc eadem ſolutis verbis dicere commodius poſſent, attamen tum demum aliquid dignum auditu ſe feciſſe putant, ſi illa numero, rhythmiſque incluſerint. Quin-etiam ipſa Miſſarum ſollemnia, quanquam omni ſtudio perpolita ſint, tamen cum aguntur in templis, dormitare nonnunquam animus noſter, oſcitareque videtur. At enim, ſi inter iſta Chorus Poëtica illa decantet, *Primo dierum omnium*, vel, *Iſte Confeſſor*. vel, *Ut queant laxis*, cujus uſque adeò mens humi depreſſa eſt, ut non elevetur, & quaſi ſubſultet? Ex quo opinati ſunt quidam antiquorum, animum noſtrum ad harmoniæ leges, & numerorum rationem eſſe compoſitum, quoniam exploratum ſit cuncta ſecundùm naturam ſimili, cognatô que maximè gaudere: nihil eſt autem, quo tantum animus noſter demulceatur, & gaudeat, quantum harmoniâ, & numeris. Sed hæc majora ſunt, quàm ſermo præſens requirat, tantùm illud intelligi volo, nos naturâ magis ad poëticam duci, quàm ad aliud genus literarum, & eſſe in ea utilitatem plurimam, & delectationem, & in-

ge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

genuitatem, cujus qui expers ſit, minimè liberaliter eruditus videatur. Et verò prolixiorem me fuiſſe in hac parte intelligo, quàm ego ipſe ab initio propoſuerim; verùm ubi inceperis, tam multa occurrunt, ut difficilius ſit retinere quod ultro ſe offert, quàm reperire quod dicas. Feci præterea non invitus, quòd principem Familiæ veſtræ ſi hæc forſan audierit, in hac quidem parte refragaturum eſſe ſciebam virum ad omnia ſumma natum, & multis magniſque virtutibus præcellentem, ſed ita pertinacem in diſputando, ut quod ſemel dixit, ſemper defendat; is ergo quia quandoque negavit poëtas eſſe legendos, uſque ad mortem hunc errorem proſequitur; ſed nolo cum eo ſcriptis præſertim contendere, cui etiam abſenti reverentiam debeo. Sed ab alio quodam iſtorum, qui Poëtas inſectantur, perlibenter quærerem, quænam ſit cauſa, cur legendos eos non putent. Si, cùm plane nihil ſit quod imputare illis queant, dicent tamen quòd amores & flagitia in illis reperiuntur: ego verò affirmare auſim in nullis ſcriptoribus tanta pudicitiæ, bonarúmque rerum exempla, quanta in poëtis reperiri. Nam & Penelope circa Ulyſſem, fideliſſimam caſtitatem; & Alceſte in Admetum incredibilem pudicitiam, & utraque admirabilem conſtantiam in abſentiis, calamitatibuſque maritorum exhibent, ac multa hujuſmodi in Poëtis leguntur maxima documenta uxoriæ diſciplinæ. Quod ſi aliquando amores deſcribunt, ut Phœbi & Danaës, Vulcanique & Veneris, quis uſque adeò hebes eſt, ut non fictas res, & aliud pro alio ſignificantes intelligat. Denique iſta quæ tu damnas pauca ſunt; optima verò permulta & digniſſima cognitu, ut de Homero, & Virgilio ſupra oſtendi. Eſt autem perquam injuſtum, eorum

quæ

quæ laudis ſunt obliviſci, meminiſſe verò illorum quæ cauſam aliquam præbeant inſectandi. At nolunt iſta miſceri, dicet mihi ſeverus quidam Cato, potiùſque relinquenda bona malorum metu, quàm ſpe bonorum mala incurrant; itaque nec ipſe legam Poëtas, nec aliis uti legant permittam. At Plato & Ariſtoteles legebant, quibus ſi te aut gravitate morum, aut intelligentiâ rerum, anteponas, nullo modo feram. An tute aliquid diſcernere putas quod illi non viderint? Chriſtianus, inquit, ſum, at illi forte ſuo more vixerunt? quaſi verò honeſtas, graviváſque morum, non tunc eadem fuerit quæ nunc eſt, aut quaſi non hæc ipſa, vel etiam deteriora in ſacris reperiantur literis? An non ibi Samſonis amores referuntur, & robuſtiſſimus vir gremio mulierculæ impoſitus, & fortitudinis detonſus crinis, an non hæc Poëtica, an non flagitioſa? Taceo filiarum Loth ſcelus, & Sodomitarum exſecrandam obſcœnitatem, quæ duo mehercle flagitia, ego ille qui Poëtas laudo, commemorare nequaquam ſuſtineo: At enim David amorem, & ſcelus in Uriam, Salomoniſque fratricidium, & tam numeroſum concubinarum gregem, quòrſum ſpectare dicam; an quia hæc mala ſunt, & flagitioſa, obſcœna, proptera negabimus ſacros libros eſſe legendos? nequaquam: nec Poëtæ igitur reſpuendi ſunt, quia interdum aliqua ad detractionem hominum ſcripſiſſe reperiantur. Equidem quando Didonis Æneæque amores apud Virgilium lego, ingenium Poëtæ admirari ſoleo, rem autem ipſam, quia fictam eſſe ſcio, nequaquam attendere; quod idem mihi accidit in aliis fictionibus Poëtarum, quæ animum mihi non movent, eo quòd fabulas tantum continent, & aliud pro alio ſignificant. At cùm in ſacris lego quæ vera fuiſſe non

eſt

eſt dubium, ſæpe inflector. Sed ne pertinax ipſe ſim, placet aliquid de jure meo remittere, præſertim cùm ad mulierem ſcribam; Fateor ergo, ut populus in nobilitatem plebémque dividitur, ita inter Poëtas gradus quoſdam eſſe dignitatis: ſi quid igitur vel à Comico non ſatis pudico argumento pertexitur: vel à Satyrico vitium aliquod apertius exprobratur, neque legat hæc mulier, neque inſpiciat; ſunt enim veluti vulgus Poëtarum. At enim proceres illos, Virgilium dico, & Senecam, & Statium, cæteroſque hujuſmodi niſi legerit, maximum ſibi ornamentum ſciat deeſſe literarum, nec ſummum in illis ſperet, cui hæc pars deſit: Oratio enim, præſtantiaque illa de qua loquor, non niſi ex multarum, variarumque rerum cognitione fit; itaque multa vidiſſe, legiſſeque oportet, & Poëtis, & Oratoribus, & Hiſtoricis & aliis omnibus ſcriptoribus operam impertiſſe; ſic enim reſultat plenum quiddam, ac ſufficiens, ut copioſi, ut varii, ut ornati, ut in nulla re vacui, rudéſque videamur. Sed adhibenda inſuper eſt literarum peritia non tenuis, neque contemnenda; hæc enim duo ſeſe invicem juvant, mutuóque ſibi deſerviunt: nam & literæ ſine rerum ſcientia ſteriles ſunt, & inanes; & ſcientia rerum quamvis ingens, ſi ſplendore careat literarum, abdita quidem, obſcuraque videtur. Et amabo, quid juvat aliquem multa & pulchra ſcire, ſi neque loqui de his cum dignitate, neque mandare literis, niſi ridiculè, poſſit? Atque ita conjugata quodammodo ſunt peritia literarum, & ſcientia rerum, quæ duo ſimul conjuncta, veteres illos, quorum memoriam veneramur, ad celebritatem nominis, & gloriam perduxerunt Platonem, Democritum, Ariſtotelem, Theophraſtum, Varronem, Ciceronem, Senecam, Auguſtinum, Hierony-

ronymum, Lactantium: in quibus omnibus diſcerni vix poteſt, major ne ſcientia rerum an peritia fuerit literarum. Ut autem ad extremum concludam, ingenium quod ſumma omnia de ſe mihi repromittat, his duobus inſtructum eſſe oportere affirmo; horumque comparandorum gratiâ undique legenda multa, & coacervanda eſſe: habendam quoque rationem temporis, ut potioribus ſemper, utilioribuſque incumbat, nec aut nimium obſcuris, aut parum profuturis, occupetur, Religionis denique & bene vivendi ſtudia mihi præcipua ſunt, cætera verò omnia, tanquam adminicula quædam, ad iſta referri debent vel adjuvanda, vel illuſtranda; eaque de cauſa Poëtis, & oratoribus, & ſcriptoribus aliis inhærendum. Providendum autem in literis ut perceptio adſit ingenua, & pervigil ſollertia, nec unquam niſi optima probatiſſimaque legamus. Habes meum de libris, ſtudiiſque judicium, de quibus ſi forſan aliter exiſtimes, faciliter credam; non enim quaſi præcipiens ad te ſcripſi, (non tantum mih arrogo) ſed quaſi unus de turba erga tuam excellentiam affectus, conferre tecum volui opinionem meam, & currentem, ut ajunt, ad gloriam cohortari,

CASPA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

CASPARIS SCIOPPII
Comitis à Claravalle,

CONSULTATIONES
De Scholarum & Studiorum ratione;
Deque Prudentiæ & Eloquentiæ parandæ modis.

ILLVSTRISS. MARCHIONI D. Trajano Guiſcardo Magno Montisferrati Cancellario;

CASPAR SCIOPPIUS S. D.

I*Am multi ſunt anni, quod à compluribus amicorum rogatus de conſtituendis Scholis, deque ratione literai compendio docendi ac diſcendi nonnulla commentatus ſum, nihil minus co. gitans, quam ut ea in vulgus ederentur. Sed poſteaquam multi in Italia & Germani ſummates viri ea legerunt ac probarunt, inque neceſſariorum ſuorum uſus deſcribenda cenſuerunt, nonnulli etiam adoleſcentes conſilio meo uſi, tantos brevi tempore in literis progreſſus fecerunt, ut omnibus admira tioni eſſent: cujus rei ſpecimen cernere eſt in Leonard Pappo, Conſtantinenſi Canonico & Auſtriæ demu Conſiliario, in Octavio Ferrario, clariſſimo ac diſer tiſſimo politiorum literarum in Patavino Athenæ Doctore, & in Marianglo à Fano Benedicti, omnibus a nimi & ingenii dotibus ornatiſſimo: quin ea prelo ſub jicerem, typiſque deſcriptæ exire pateret, amicis it*

conten

contendentibus negare non potui. Viſum autem mihi fuit, libellum tuo nomine præſcriptum emittere, cum te non minus de literis rectè judicandi facultate præditum, quam in obeundis Principum legationibus, inque Repub. adminiſtranda majorem vitæ partem cum laude verſatum, nec minus eo nomine, quam ob patriam proximis annis tuâ potiſsimum fide, prudentia & conſilio conſervatam. Sereniſsimo Principi ac patrono noſtro Mantuano Duci acceptiſsimum eſſe compererim, quo accedit, quod tuæ erga me benevolentiæ non ſemel rebus ipſis ſpectatæ memoris gratæque voluntatis profeſsionem debere me ſaltem tantiſper cenſui, dum aliquid multiplici virtute tua, tum amicitiâ noſtra, meaque erga te obſervantia dignius ad te mitto. (Cujus rei ſponſorem ſatis, opinor, locupletem admittes Paulum Bombinum noſtrum, virum inter præcipua ætatis noſtræ ornamenta numerandum, cum quo mihi colendi tui certamen eſt. Tu Vir Illuſtriſsime, pro humanitate tua munuſculum hoc interea boni conſulas rogo, utque diu ſalvus ſoſpeſque ſis, ex animo voveo. Kal. Iul. Anni M. DC. XXXVI.

PÆDIA ELOQUENTIÆ.
compendio contracta.

Eloquentia eſt facultas animi ſenſa variis linguis efferendi, ſive id voce, ſive ſcripto fiat.

Ejus parandæ adjumenta ſive media ſunt tria, Diſciplina, uſus, & Ordo in utroque. *Diſciplina* eſt cognitio eorum, quæ eloquentiam conficiunt: quorum alia ſunt ſubſtructionis ſeu fundamenti, alia exſtructionis ſive operis.

Subſtructio partim eſt communior, partim eloquentiæ magis propria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Communior ſubſtructio eſt partim Intelligentia linguarum ſine ullis regulis, partim præceptio regularum ad etymologiam & ſyntaxin pertinentium. Utraque res Logicæ & Rhetoricæ communiter ſubſtruitur.

Propria eloquentiæ ſubſtructio eſt præceptio Logica de Argumentorum generibus & locis, deque Argumentationum formis: quæ niſi prius habeantur, plurima Rhetoricæ artis præcognita præcepta de Inventione, Diſpoſitione & Elocutione longè difficilius & tardius diſcuntur.

Exſtructio eſt Ars Rhetorica, ſive ſyſtema aut conſtitutio præceptorum de inventione, diſpoſitione & elocutione.

Uſus, ſive loquendi ſcribendique Exercitatio, eſt partim ſecundum Artem, partim ſecundum Artificem.

Exercitatio ſecundum Artem eſt vel Analyſis, vel Geneſis.

Analyſis eſt alieni operis cum Logicis & Rhetoricis præceptis comparatio.

Geneſis eſt novi operis ſecundum Logicæ & Rhetoricæ præcepta effectio.

Exercitatio ſecundum Artificem eſt imitatio ejus, quem quis vel legit, vel audit.

Ordo eſt eorum quæ diſcuntur & exercentur, in ſua tempora diviſio, ut ea ſcilicet præmittantur, ſine quibus Eloquentiam majore laboris & temporis impenſa parari ineceſſe eſt.

Ordo parandæ Eloquentiæ Latinæ.

Primo ſtudii anno.

OMnium primum eſt, ut, diſcantur Declinationum & Conjugationum Paradigmata, quæ in *Mercurio* noſtro *bilingui* Mediolani edito

edito continentur: quod vel uno, aut ſummum duobus menſibus fieri poteſt.

Proximum, ut linguæ Latinæ intelligentia paretur memoriæ mandandis mille ac ducentis ſententiis in eodem Mercurio bilingui comprehenſis, una cum *Conjugatis*, ſive primitivis, derivativis, ſimplicibus & compoſitis eorum nominum & verborum, quæ in iiſdem ſententiis includuntur. quod quidem mediocri ingenio præditi octo vel novem menſium ſtudio facile conſequentur.

Tertium, ut primi anni poſtremi duo menſes conſumantur memoria complectendis etymologiæ & ſyntaxeos præceptis, quæ *Rudimenta Grammaticæ* noſtræ *Philoſophicæ* exhibent: quæ ſunt 140. verſus Hexametri (quibus Regulæ & Exceptiones de Nominum generibus & caſibus continentur) tum quindecim Regulæ de tota ſyntaxi unà cum Figuris, ſeu figurata vel irregulari ſyntaxi.

Secundo Studii anno.

QUartum, ut ſtudioſi exerceantur partim ſecundùm Artis præcepta, quæ jam didicerunt, partim ſecundùm Artificum exempla, quæ legendo cognoſcunt. Magiſter enim eis præleget atque explanabit hoc anno faciliores Ciceronis epiſtolas, Cornelii Nepotis ſive Æmylii Probi vitas, Terentii Comœdias, Phædri fabulas, Ovidii libros Triſtium & de Ponto: ipſi verò quotidie aliquid ex ſermone vernaculo Latinè convertent, quod Magiſter legat & corrigat, indicando ſcilicet, ſi quid invenerit ſive cum Regulis etymologiæ aut ſyntaxis minimè congruens (quod genus ſermonis vitia Barbariſmus & Solœciſmus vocantur) ſive à Ciceronis, Cæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſaris, Nepotis, Livii, Plauti & Terentii conſuetudine alienum, quod *Inſolentiæ* vitium eſt, cujus genera ſunt Archaiſmus, Neoteriſmus & Idiotiſmus vel Peregrinitas, de quibus *Propædia* noſtra *Rhetorica* videri poteſt.

Tertio Studii anno.

Quinctum, ut ex *Propædia* noſtra *Logica* diſcant ſtudioſi genera Argumentorum, Prædicamenta, propoſitionum definitiones & diviſiones, Argumentationis ſpecies, Syllogiſmum, Enthymema, Inductionem, Soriten, Dilemma, cum Syllogiſmorum figuris, modis & affectionibus: quibus omnibus diſcendis tres menſes mediocri ingenio ſatis eſſe experimento eſt cognitum, quoniam nullus hic ſcholaſticarum Quæſtionum uſus eſt.

Sextum, ut ex *Propædia* noſtra *Rhetorica* ſex menſibus Inventionis, Diſpoſitionis & Elocutionis præcepta memoriæ mandent: quo tempore ſimul verſus *Alvari de Proſodia* ſeu ſyllabarum quantitate unà cum *Annotationibus Mariangeli à Fano Benedicti* eis prælegi & explanari poſſunt, ſimiliterque libri aliquot Virgilianæ Æneidos, aut epiſtolæ Horatii.

Septimum, ut poſtremo trimeſtri ſex hebdomadæ impendantur noſtro *Pervigilio bonæ mentis*, ſive Introductioni in Philoſophiam Moralem: unde diſcent, quid & quot generum ſint Affectus, ſive animi perturbationes; quid Virtutes, eiſque oppoſita Vitia.

Octavum, ut aliæ ſex hebdomadæ impendantur *Introductioni in Phyſicam*, quam Peripateticorum princeps Petrus Iohannes Nugneſius Hiſpanus edidit. Toto autem anno diſcipuli quotidie ſtylum exercebunt, Magiſtro ea quæ ſinguli ſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſcripſerint, ad Grammaticæ & Rhetoricæ præcepta ſedulo exigente.

Quarto Studii anno.

NOnum, ut priore ſemeſtri exerceantur partim in *Geneſi* ſecundum Artem Grammaticam & Rhetoricam, conponendo epiſtolas, oratiunculas & carmina, ſi tamen non ſint abhorrentia & abſurda ad poëticam ingenia, partim in *Analyſi*, ſive in reſolvendis Ciceronis orationibus & epiſtolis, in Livianis concionibus, in Odis Horatii, Elegiis Propertii, Tibulli & Ovidii: ut ſcilicet obſervetur, quo modo iſti magni artifices inventionis, diſpoſitionis & elocutionis oratoriæ ac poëticæ præcepta cuſtodierint, ut eorum exemplum ſtudioſi poſtea in Geneſi, ſeu componendis novis operibus imitari poſſint.

Decimum, ut poſteriore ſemeſtri exerceantur in *Geneſi ſecundum artem & artificem*, id eſt, ut aliquid novi operis, epiſtolam puta, narrationem, orationem, elegiam, epos, Satyram, odam, epigramma, aut quid aliud componant, quod à Magiſtro corrigatur, ita ſcilicet ut moneantur de vitiis non tantum *Sermonis*, quæ artis regulis, aut bene loquentium conſuetudini adverſantur; (qualia eſſe diximus Barbariſmum, Solœciſmum, Archaiſmum, Neoteriſmum & Idiotiſmum) ſed etiam oratoriæ *Dictionis*, quæ ſunt Plebitas, ſeu Vilitas, ſive Sordes, χοινισμὸς ſive oratio verſicoloria aut multiformis & inæqualis, ſimiliterque oratio nullis Troporum & Figurarum luminibus diſtincta, exilis, attenuata & exſucca, parum bene collocata, male juncta, minus numeroſa, & jejuna, ſive inops ſine verborum varietate & copia: de quibus vitiis ſatis multa in *Propædia Rhetorica* diximus. quæ vitia qui cavere ac virtutibus mutare

tare noverit, ſtylo quotidie per omnem vitam exercendo, conſummare Eloquentiam, ſive ad ſummum perducere poterit. Ut enim ait Cicero: *Caput eſt quam plurimum ſcribere. Stylus quippe optimus & præſtantiſſimus eſt dicendi effector ac magiſter.* Sin autem quotidianum ſcribendi aut loquendi exercitium iſta ſermonis & dictionis vitia non excludat, evitari non poteſt, quin oratio fluat lutulenta, nec puncta doctorum auferat, velut hac altera ejuſdem Ciceronis ſententia docemur: *Perverſe dicere homines perverſe dicendo facillime conſequuntur.*

PÆDIA PRUDENTIÆ
compendio contracta.

PRudentia eſt rectè vivendi & imperandi ſcientia. Eſtque vel Moralis, vel Civilis. Moralis, ſive Ethica, eſt ſcientia recte vivendi.

Civilis, ſeu Politica, eſt ſcientia recte imperandi.

Prudentiæ parandæ adjumenta ſive media ſunt tria: Diſciplina, Uſus & Ordo in utroque.

Diſciplina eſt cognitio eorum, quæ Prudentiam conficiunt: quæ ſunt cum Materia ſive Objectum, id eſt, res diſcendæ, tum Modi, quorum in diſcendo uſus eſt.

Materia diſciplinæ alia eſt princeps, alia adminiſtra principi ſubſerviens.

Materia princeps ſunt cum Regulæ, tum Exempla vivendi & imperandi.

Regulæ ſunt decreta & præcepta Ethica & Politica. quid autem Decreta præceptis interſint, in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

in *Elementis Philoſophiæ Stoicæ* Moguntiæ editis declaravimus.

Exempla ſunt cum præterita, quæ in libris leguntur, tum præſentia, quæ in vita agenda videntur.

Materia adminiſtra eſt Geographia, Chronologia & Genealogia, de quibus dictum in prima Conſultatione.

Modi diſciplinæ ſunt Lectio, Auditio ſeu Converſatio, & Peregrinatio.

Uſus eſt partim obnoxius, partim liber & voluntarius.

Obnoxius paret vel Docentibus; cum quis vivit aut imperat ſecundum conſilia & monita aliorum prudentium: vel Imperantibus; cum quis eorum excipit imperium, & juſſa exſequitur.

Liber eſt, cum quis ſuæ ſpontis eſt, ſuoque modo vivendi & imperandi regulas & exempla ad rem confert, ſive opere ipſo exſequitur.

Ordo eſt præmiſſio eorum, ſine quibus alia ad prudentiam idonea tardius aut difficilius addiſcuntur.

Ordo parandæ Prudentiæ.

OMnium primum eſt, ut quis doceri & imperari aſſueſcat, hoc eſt, ut conſuetudinem ducat ea faciendi, quæ recte vivendi & imperandi diſciplinæ ſunt conſentanea. Nam ſine tali conſuetudine nec regulas facile intelliget, nec in iis, quæ regulis & exemplis facere doctus fuerit, exerceri animum inducet.

Proximum eſt, ut vivendi & imperandi regulas magiſtris audiendis & libris legendis addiſcat. Quales verò libri eam ad rem uſui eſſe poſſint, in prima Conſultatione diſtinctius expoſui.

Tertium, ut præterita vivendi & imperandi exempla & variorum populorum Hiſtoriis cognoſcat, ſemper agendi conſilia & eventa cum Regulis conferendo, ut nempe conſideret, quo quidque conſilio actum fuerit, quaque de cauſa eventus conſilio æquè aut minus reſponderit. Nam ſine tali examine Hiiſtoriarum lectio voluptatis quidem habet non minimum, ad prudentiam tamen non multo plus nihilo conferre ſolet.

Quartum, ut peregrinabundus variorum populorum vivendi & imperandi morem videndo & audiendo, ſive converſando, addiſcat. De generibus verò & utilitatibus Converſationis in prima Conſultatione uberius diſſerui.

Quinctum, ut ſive ſibi vivens, ſive Principi aut Patriæ in muneribus obeundis inſerviens quæ facienda didicit, ad rem conferre ſtudeat.

De *Prudentia Cauſis & effectis, Eccleſiaſtici Cap.* 39.

SApientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, (*id eſt, Philoſophorum libros ethicos & politicos*) & in Prophetis vacabit, (*id eſt, in ſacris literis*) Narrationem virorum nominatorum conſervabit (*libros Hiſtoricos*) & in verſutias parabolarum ſimul introibit: occulta proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur (*quales Salomonis libris continentur*) In medio Magnatum miniſtrabit, & in conſpectu Præſidis apparebit, (*muneribus publicis fungetur.*) In terram alienigenarum gentium pertranſibit. Bona enim & mala in hominibus tentabit (*peregrinatione bona & mala populorum inſtituta cognoſcet.*) Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. Si enim Dominus magnus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

gnus voluerit eum, ſpiritu intelligentiæ replebit illum (*Vult autem ſive amat Deus Sapientiam diſcere aventes.* Qui diligunt illam, eos diligit Deus, *Eccl.* 4. *Exemplo eſt Salomo, ad quem Dei verba ſunt* 3. *Reg.* 3. Quia non petiiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulâſti tibi Sapientiam ad diſcernendum judicium, ut populum judicare poſſis: ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens: ſed & hæc quæ non poſtulaſti, dedi tibi, divitias ſcilicet & gloriam,) Ipſe palàm faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ, & in lege teſtamenti Domini gloriabitur (*ſive glorioſus erit, & celebris docendo prudentiam legis divinæ ſtudio partam.*) Collaudabunt multi ſapientiam ejus, & uſque in ſeculum non delebitur. Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enunciabit eccleſia.

CONSULTATIO PRIMA
De Studiorum ratione.

Ad nobilem & ornatiſſimum adoleſcentem Mariangelum à Fano Benedicti, Patricium Mediolanenſem.

Quicquid de Studiorum tuorum ratione afferri poteſt, vel ad Finem pertinet, qui tibi propoſitus eſſe debet, vel ad Inſtrumenta, ſive Adjumenta (vulgo Media) quæ ut fine propoſito potiri poſſis, ſunt neceſſaria.

Finis vel ultimus eſt, vel medius, ſeu ſubordinatus.

Ultimus finis tuus eſſe debet gloria Dei creatoris, redemtoris & ſanctificatoris tui, ut is ſcilicet in te,per te,& propter te glorificetur.

Medius finis tuus primarius eſt felicitas vitæ futuræ, conſiſtens in viſione & fruitione Dei: & vitæ præſentis partim Contemplationi, partim Actioni deditæ, Secundarius finis eſt honorum & opum mediocritas, ac tandem cum dignitate otium.

Media horum finium potiundi ſunt Eloquentia Prudentia & Sapientia.

Eloquentia eſt facultas animi ſenſa explicandi cum ſermone, tum ſcripto in linguis compluribus: quarum aliæ neceſſariæ ſunt ad eruditionem,ut Græca: aliæ ad uſum ſeu commercium, ut Hetruſca, Gallica, Hiſpanica, Germanica & Sclavonica: aliæ ad utrumque, id eſt, ad eruditionem & commercium, ut Latina.

Prudentia eſt notitia cum ejus quod juſtum eſt,ut eſt ſcientia Iuris Civilis & Canonici: tum ejus quod eſt utile imperio aut regimini, ut eſt ſcientia Civilis, cujus partes ſunt Ethica & Politica: Adminiſtræ vero ſunt Chronologia, Geographia & Genealogia. Chronologia, ut quis ſciat, quæ quibus ſeculis primaria orbis Imperia ab orbe condito, aut poſt diluvium fuerint, quamque diu ſingula perduraverint. quam ad rem uſui eſt Turſellini Epitome hiſtoriarum, pereleganti ſtylo ſcripta,ut facile politiſſimi Mureti diſcipulum agnoſcas. Geographia, ut quis ſciat, quæ orbis partes, quaque in parte præcipua regna ſita ſint. cui rei uſui eſt Atlas major & minor Mercatoris. Genealogia, ut quis ſciat, quæ præcipuæ Regum ac Principum familiæ hodie ſint, & prioribus ſeculis fuerint. Hac de re exſtant volumina Henningis,Reuſneri,Panvinii, Ammirati,Miræi,Quercetani,aliorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Sapientia eſt vel Divina, quæ niſi Deo revelante nemini contingit, de Dei natura & operibus: vel Humana, ſive humano ſtudio parabilis de rebus Phyſicis, Metaphyſicis & Mathematicis. Ad Phyſicam pertinent utraque mundi Sphæra ſive Globus cœleſtis & terreſtris: ad Mathematica vero; Arithmetica & Arcium munitio ſeu Fortificatio.

Modi, quibus Media iſta comparantur.

IN Genere duo ſunt Modi, Diſciplina & Uſus ſive Exercitatio. Prius enim diſcere, tum id quod didiceris exercere, ſive ad uſum conferre debes. Diſciplina fit per Regulas & Exempla. Eorum ergo, quæ diſcere velis, regulas ſive præcepta loquendi & faciendi audire, tum eorum, qui loquuntur & faciunt, exempla videre oportet.

In ſpecie Eloquentia comparatur legendo, audiendo, loquendo & ſcribendo. Latinam, Hetruſcam & Hiſpanicam linguam jam ſatis noſti: Gallicam uno menſe intelligere diſces. Germanicam unius anni uſu reddes tibi perfacilem. Slavonicam biennio, etiam ſine aliorum ſtudiorum detrimento. Græca eſt omnium difficillima. Si tamen Mercurii mei ſententias Græcè converſas habueris, uno anno tantum proficies, ut pleroſque auctores Græcos, qui ſoluta oratione utuntur, minime laborioſe intelligas: quo quidem contentus eſſe poteris.

Iuriſprudentiæ Romanæ diſciplina poſtulat, ut Legum textus probè intelligantur, quod lectio & auditio eorum Interpretum tibi præſtabit, qui non longe à textu recedunt, ſed Legum verba explanare, & rationes eorum reddere ſatis habent, & quæſtionibus ſive difficilioribus, ſive

loco præſente alienioribus Tironum ingenia onerare cavent. qualem interpretem ſe præbuit Hubertus Gifanius, meus olim doctor.

Exercitatio omnis in diſputando, & reſpondendo, ſive in litibus dirigendis conſumitur. In Germania Iuris profeſſores longe diligentius diſputationibus auditores, quam in Italia, exercent. Si ergo Friburgi biennium in Profeſſoris convictu & contubernio exigeres, & Diſputationibus, quæ ſingulis hebdomadis domi ejus habentur, intereſſes, proximo autem biennio Spiræ apud aliquem Imperialis illius tribunalis Aſſeſſorem, aut clarioris nominis Advocatum Praxi cognoſcendæ vacares, cum exquiſitam linguæ Germanicæ notitiam, tum eam Iuris ſcientiam tibi parares, qua majorem vix eorum quiſquam affert, qui ex Nobilium ordine cum paſſim alibi, tum in Cæſaris præcipuè Regia juri reddundo primum admoventur.

Civilis Prudentia, ſive Ethica & Politica, lectione, peregrinatione & converſatione, ſeu conſuetudine hominum paratur,

Lectio eſt librorum, qui cum præcepta, tum exempla ſuppeditant.

Libri præcepta Ethicæ & Politicæ continentes, alii à priſcis, alii à novis ſcripti ſunt. Priſci ſunt Plàto, Ariſtoteles, Plutarchus, Cicero, Seneca, Epictetus, ac ſimiles, quorum inſignia fragmenta Stobæus collecta habet.

Novi trium fere ſunt generum. Nam vel veterum libros Commentariis explanant (ut Gifanius & Iohan. Magirus Ariſtotelis Ethica: ſicut Politica idem Gifanius & Philippus Scherbius) vel artium Syſtemata conficiunt per definitiones, diviſiones & regulas, id eſt, per decreta & præcepta procedendo (cujuſmodi ſunt Bart. Kekermanni & Clementis Timpleri Syſtemata Ethica,

Ethica, Oeconomica & Politica, ex quibus tamen tollenda fuerint, quæ Hæreſin ſapiunt) vel denique de variis quæſtionibus diſſerunt, ſive ut vulgo loquuntur Diſcurſus faciunt, cujus generis libri paſſim exſtant, ut Iani Gruteri, Scipionis Ammirati, Virgilii Malvezzi & aliorum in Tacitum; de quo ſcriptore quid mei ſit judicii, in libro meo *de Virtutibus ſtyli hiſtorici* expoſitum vidiſti.

Libri Exempla continentes ſunt Hiſtoriæ veterum ac recentiorum: item Onufrii Panvinii, Iohanis Roſini, Glandorpii, Lipſii ac ſimilium de Romanis antiquitatibus lucubrationes. Theatrum quoque vitæ humanæ Theodori Zuingeri totum coacervandis exemplis occupatur.

Peregrinatio, de qua nunc agimus, eſt præcipuarum Europæ partium perluſtratio, ut mores variarum gentium cognoſcantur, & linguæ commerciis plus neceſſariæ addiſcantur. Germaniæ Nobiles hunc fere in peregrinando ſervant ordinem, ut perluſtratâ ſuperiore & inferiore Germaniâ in Angliam trajiciant, inde in Galliam, porrò in Hiſpaniam, poſt in Italiam ac Siciliam; ac domum tandem ſe recipiant. Qui verò hanc peregrinationem minore temporis ac pecuniarum impenſa, nec minima cum utilitate conficere cupiunt, iſta obſervare ſolent. I. Operam dant, ut linguam gentis illius, ad quam ſe conferre cogitant, prius probe intelligant. II. Ejuſdem gentis Hiſtoricum aliquem prius legunt, & Chorographiam ejus, ſive Tabulam Geographicam ſibi familiarem reddunt: quod ipſum faciunt de Genealogiis præcipuarum illius gentis familiarum. III. Relationes de eadem gente conſulunt, quæ in Iohan. Botero, in Theſauro Politico, ac ſimilibus libris extant: tum Itineraria ab iis edita, qui priores eandem provinciam per-

luſtrarunt. IV. Comites ſe adjungunt aliis Nobilibus idem iter ſuſcepturis, idque ſedulo dant operam, ut aliquis ſit in comitatu, qui jam eandem peregrinationem confecerit, aut ſaltem linguam populi, quo contendunt, probe calleat. Hæc quippe res plurimi ſolet fieri, eoque contingit, ut qui varias linguas novit, is facile occaſionem nanciſcatur alienis impenſis plura regna ac provincias perluſtrandi. Ultro enim Magnates talem ambiunt, ac liberis ſuis peregre ituris ducem itineris additum exoptant.

Converſatio proximus Peregrinationis fructus eſt. Ad Prudentiam enim parandam perparum in videndis variis locis momentum eſt, plurimum verò in uſu hominum & convictu. Ut autem ſperatus ex converſatione fructus percipi poſſit, ad hæc tria reſpiciendum tibi noveris. I. de quibus rebus converſandum aut colloquendum ſit. II. cum quibus. III. quibus in locis. Quod ad primum attinet, omnis converſatio ad ea dirigi debet, quæ ſunt vel Gnoſeos ſive Indicii, vel Criſeos ſive Iudicii. Indicium præſtat multarum rerum ſingularum notitiam, innatumque plura ſciendi deſiderium alit. Hanc ad rem uſui tibi fuerit Zuingeri Methodus Apodemica, peregrinandi artem docens. Inde diſces, cujuſmodi ſint ea, quorum judicium & notitiam interrogando perſequi, ſive quibus de rebus peregre delatus percunctari debeas, ut multarum rerum ſcientiâ inſtructior aliquando domum reverti poſſis. Iudicium docet, quæ facienda aut fugienda ſint, quæ ſcilicet ſint vel honeſta aut turpia, vel utilia aut noxia. Converſationis ergo fructus erit, ut quis varias res habeat cognitas, id eſt, ut nôrit quid eſſe aut fieri ſoleat, tum quid eſſe aut fieri debeat. Ad alterum quod attinet, cum iis converſandum eſt, qui vel docere poſſint, vel diſcere

parati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

parati ſint. Docere norunt qui vel longa ætate, vel multâ lectione, vel peregrinationibus, vel denique diuturno hominum rerumque uſu multarum rerum notitiam, deque faciendis & fugiendis, ſive de honeſtis ac turpibus, deque utilibus ac noxiis judicandi facultatem conſequi potuere. Ab horum congreſſu vix unquam niſi ſcientior, aut intelligentior diſcedes, modo ipſe tibi non defueris, nec ea quæ ignoras dextre percunctari, aut quoquo modo ſermonis de iis inferendi occaſionem neglexeris. Ex eorum verò, qui diſcere cupiunt, convictu hoc conſequi poteris, ut & memoriam eorum quæ videris audieriſve corrobores, & animum ad ea quæ rogaris intendas, ut quæ neſcis inveſtiges, atque aliunde exquirenda tibi memineris. Idonea tandem converſationis loca ſunt, quo potiſſimum confluere homines ſolent, qui multa vidiſſe, legiſſe, audiviſſe aut geſſiſſe, ſive adminiſtraſſe judicantur, tanquam Aulæ Regum, Romæ puta, Viennæ, Lutetiæ, Bruxellæ & Madriti. Ibi enim Principum Oratores & Curatores negociorum magno numero invenies, qui cæteris plura norint, & ex longo rerum hominumque uſu judicio polleant. Et ad horum domos plerique ſive officii & ſalutationes ac deductionis cauſa, ſive converſatione tempus fallere cupientes ſubinde ventitant, ut multa cognoſcendi occaſio nemini, qui eam quærat, ibi deeſſe poſſit. Neque verò cuiquam ad Oratorum amicitiam interpretis opera, aut commendationibus opus eſt, cum illi etiam ultro iis ſe debere putent, qui ad ſe officii ergo veniunt, ſibique apparitura & deductione ſeu comitatu operam navare ſtudent.

Divina ſapientia, quanta homini Chriſtiano, eidemque nec indocto, & ſupra plebem eminenti ſatis ſit, quotidiana Sacrorum Bibliorum, tum

libro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

librorum Catorthomaticorum lectione parari poteſt. Sunt autem Catorthomatici, qui perfectum hominis officium docent, quod Ciceroni eſt Catorthoma, actio ſcilicet aut perfectam & heroicam virtutem conſtituens, aut ex talis virtutis habitu profecta. Tales libri ſunt, quos Thomas de Kempis, Iohan. Gerſon, Abbas Bloſius, Ludovic. Granatenſis, Iohan. Avila, Franciſcus, Arias, Alfonſus Rodriquez, aliique vitæ ſpiritualis magiſtri, magno Reipublicæ Chriſtianæ bono ediderunt: qui hoc præcipue præſtant, ut & ſe ipſum homo rectius noverit, & cognita ſua utilitate ac pravitate ſuas ipſius cogitationes & actiones maxime ſuſpectas habeat, & ad Dei miſericordis opem ſupplex ſe recipere meminerit. Ipſum verò ſapientiæ omnis fontem, codicem dico ſacræ ſcripturæ lecturus, præter Nicolai Lirani Commentarium, etiam Annotationes in eum Emmanuelis Sà, & Iohannis Marianæ adhibendas tibi noveris, quas ſuo in S. Biblia Commentario inſeruit doctiſſimus P. Stephanus Menochius. Earum enim opera *Literalem*, quem vocant, Scripturæ ſenſum minimo negotio diſces, ac ſubinde de Hebræa, Chaldæa, Syra & Græca lectione admoneberis.

Scientia rerum Naturalium in vulgaribus Philoſophorum ſcholis parum addiſcitur, ſive quod Magiſtri plerumque ad hoc alios doceant, ut ipſi diſcant, ſive quod in otioſis, inutilibus, & loco ac tempore alienis quæſtionibus occupentur, ſive quod Auditores nec arte Logica ut oportebat inſtructi ſint, nec aliquod diſciplinæ phyſicæ Syſtema prius cognoverint, quale habes in phyſicis Inſtitutionibus Petri Iohannis Nunneſii, Philoſophiæ Peripateticæ facile principis, & interiore Græcarum ac Latinarum literarum notitia ſermoniſque elegantiâ nemini ſecundi. O-

mnino

mnino auctor tibi ſim, ut Timpleri Syſtema Phyſiologicum diligenter evolvas, ac ſubinde de iis, quæ minus ibi intellexeris, aliquem Philoſophica doctum conſulas. Ita rerum naturalium cauſas & affectiones ſatis cognitas habebis, nec de frivolis illis quæſtionibus, quibus Cathedræ vulgo perſonant, multum eris ſolicitus. In primis autem ex Timpleriano Syſtemate ea te velim probe diſcere, quæ ad utriusque Globi, cœleſtis & terreſtris explicationem pertinent: quoniam ſine Aſtrologia & Geographia non quantum res poſcet in Chronologicis & Hiſtoricis proficere poteris. Gemmarum, itemque Plantarum complurium genera ac virtutes pernoviſſe, cum varias habet utilitates, tum homini, cum Principibus ac Magnatibus verſanti ad gratiam & Polymathiæ, ſeu multiplicis doctrinæ opinionem ſuffragari ſolet.

Metaphyſicam, ſeu primam Philoſophiam, ex ejuſdem Timpleri Syſtemate commodiſſimè haurire poteris. Nam pleraque omnia, quæ à Fonſeca, Suario, aliisque majorum gentium Philoſophis uberius ſunt explicata, miro ille compendio contraxit. Duo tamen in eo facienda tibi memineris. Unum, ut prius à docto aliquo Theologo inducenda ac delenda cures pauca illa loca, in quibus Eccleſiæ Catholicæ doctrina non minus imperitè, quam impiè impugnatur, cujus generis ſunt quæ lib. 3. cap. 8. problemat. 1. 4. 5. & 13. leguntur: & lib. 4. cap. 4. problem. 27. Alterum ut ex Propædia noſtra Logica corrigas, quæ ille de Entis attributis reſpectivis minus methodicè diſpoſuit. Diviſio quippe illa in certas Attributorum claſſes eſt omnino arbitraria, & Agricola numerante, quam Philoſopho generibus res varias digerente dignior.

Mathematicarum ſcientiarum quantum tibi
varüs

variis nominibus uſus venire poteſt, tantum tibi, aut etiam aliquanto plus Kekermanni liber exhibuerit, qui *Syſtema totius Mathematices* inſcriptus exſtat. Cum ergo hominem inveneris idoneum, ut librum illum tibi interpretari poſſit, eam tibi occaſionem nequaquam omittendam cenſeo. Et quoniam in Arithmeticis ſatis exercitatus es, Graphidem quoque, ſive artem rerum quas velis imagines lineamentis cretâ, carbone vel atramento ductis adumbrandi vel deſignandi calles, perfacile tibi futurum conjicio, ut Architectonices principia ex Vitruvio, tum hodiernam arcium muniendarum rationem Magiſtrum nactus addiſcas. quod tamen non niſi ſubſecivis horis, & bono modo, nullaque ſtudiorum magis neceſſariorum remorâ & impedimento facere te moneo. Vale. Mediolani, Menſe Auguſto Anni 1629.

CONSULTATIO SECUNDA, De Prudentiæ & Eloquentiæ parandæ modis in adoleſcentis cujuſdam Germani uſum.

VT aliquando, quod te velle video, reipub. operam minimè vulgarem navare, & nominis claritatem generiſis, tuo inferre poſſis, opus eſt, ut de Fine, quem in ſtudiis tui ſpectes, rectè conſtituas, & Adjumentis ſeu Mediis, quæ vulgò vocant, iis utaris, quæ te ad finem animo deſtinatum quam commodiſſimè perducant.

Finis proximus ſtudiorum tuorum eſſe debet Habitus Prudentiæ & Eloquentiæ. Prudentia verò partim eſt Senatoria ſeu Conſiliaria, par-

tim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tim Forenſis, Judiciaria ſeu Juridica, quemadmodum vulgò loquuntur, Illam Græci βουλευτικὴν hanc δικαστικὴν appellant, Quid inter eas interſit, hinc cognoſces. Rex, ſive Princeps omninoque is, penes quem eſt πολίτευμα ſive ſumma imperii aut Reipublicæ, cum conſultat, tum judicat. Conſultatio eſt de Utili, hoc eſt, de eo quod Statum, ſive imperium, aut rempub. conſervare & augere poteſt. Iudicium verò de jure hoc eſt, de eo, quod vel lege ſcripta vel more aut conſuetudine juſtum perhibetur. Ad Conſultationem ſive Conſilium Status, ſeu Senatum adhibentur Politici, qui nimirum Politicam didicerunt, quæ eſt Ars condendi, conſervandi, & augendi Status ſive Reipublicæ. Ad Iudicia verò, ſive Tribunalia Iuriſconſulti adhibentur, qui Iuris artem tenent, ſive, qui eis, qui litigant, reſpondere ſciunt, quo jure ſua reſpub. in teſtamentis, contractibus cæteriſque privatorum negotiis utatur. Ut igitur non modò Cauſidicum ſive Advocatum agere, ſed etiam à Regibus & Principibus in ſanctius Conſilium non tam illorum errore, quàm merito tuo cooptari poſſis, utraque Arte, hoc eſt, tam Politica, quam Iuriſprudentiâ inſtructus eſſe, adeóque ad eas parandas ſtudia & actiones tuas dirigere debes.

Eloquentiam voco facultatem ea, quæ animo conceperis & ſentias, pluribus linguis planè & ornatè proloquendi ac ſcribendi. Linguas porrò alias ornamenti, alias uſus ſive utilitatis cauſa diſces. Ornabit te & in magna apud pleroſq; exiſtimatione ponet Græcæ linguæ notitia. Uſui tibi erunt præcipuè quidem Germanica, Latina, & Italica ſive Hetruſca; ſecundariò verò Hiſpanica & Gallica: quas quidem omnes intra quatuor annos non magno negotio condiſces, velut multorum mihi exempla ſpondent.

Iam

Iam de modis ac rationibus ſive Mediis, quibus Prudentia & Eloquentia parari poſſit, habitâ non tam rei, quam captus tui ratione, quædam breviter monebo.

Prudentia conſiliaria ſeu Politica, quantum ad Studium attinet (nam de Praxi ſive Uſu & exercitio hic non loquor) cum legendo, tum audiendo acquiritur. Lectio eſt partim præceptorum, partim exemplorum. Præcepta duum generum libris continentur. Nam alii Syſtema ſeu corpus totius Artis Politicæ complectuntur; alii de certis quibuſdam materiis diſputant, ſeu *diſcurrunt*, quemadmodum ipſis appellare placet. Prioris generis libri aut priſcorum ſunt auctorum, aut recentium: Inter priſcos familiam ducunt Ariſtoteles & Plato. Ariſtoteles octo libros Politicorum ſcripſit, & tres Rhetoricorum, qui quavis commendatione majores ſunt. In libros Politicos exſtat Oberti Gifanii principis Iuriſconſulti commentarius, Danielis Heinſii paraphraſis, & Philippi Scherbii eminentiſſimi Philoſophi annotationes, ex ejus ore ab adoleſcentibus quibuſdam properanter exceptę, In libros Rhetoricos notas quaſdam Muretus, & juſtam ParaphraſinRiccobonus edidit. Illę Ingolſtadii ſunt typis vulgatæ, hæc Francofurti. Iuſtum verò in eoſdem Commentarium edidit Majoragius & P. Victorius, litterarum princeps, Platonis libros de Republica & de Legibus ſatis explanatos invenies in Montecatini commentario, quem in ſecundum librum Politicorum Ariſtotelis Ferrariæ edidit. Inter recentiores qui multi ſunt, maximè probo Syſtema Politicum Keckermanni & Timpleri, & ejuſdem Keckermanni Apparatum Practicum, dum tamen paucula illa loca, quæ Hæreſin ſapiunt (uterque enim Calvinum ſectatur) in iis libris ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

expuncta fuerint, quæ quidem aliàs tibi indicabo.

Alterius generis libri proximo ſeculo pænè innumerabiles prodiere, qui nimirum Diſputationes ſeu *Diſcurſus* de variis materiis Politicis complectuntur. Eos paſſim in librariorum tabernis invenies. Et Francofurti quidem Theſaurus Politicus Latino & Hetruſco ſermone ſcriptus exiit, quem tibi parare memineris. In Italia Ioannis Boteri libros non ſine fructu leges.

Exempla eorum quæ libris Politicis præcipiuntur in Hiſtoricis invenies, in quibus legendis quomodo verſari te oporteat, cùm ex aliis libris, tum ex Apparatu illo Practico Keckermanni diſces.

Audiendo Prudentiam parabis, ſi peregrineris, multumq; cum iis, qui vel ipſi rempub. adminiſtrarunt, vel peregrinando multorum mores hominum & urbes cognoverunt, verſari voles: cujus quidem rei copiam Romæ vel maximè habebis, quippe ad quam præſtantiſſima quæque non modo Italiæ illius Politicorum nutriculæ, ſed etiam totius Chriſtiani orbis ingenia confluere conſueverunt.

De paranda Iuriſprudentia vix tibi conſilium ſubjicere audeo, cùm ipſos annos viginti ab eo ſtudio abfuerim, animumque aliis curis occupârim. Quia tamen cum præſtantiſſimis orbis totius Iuriſconſultis familiariſſimè vixi, eoſque de Arte ſua non ſemel diſſerentes audivi (cum præſertim is, qui familiam inter eos ducere videtur, Antonius Faber Romæ anno 1601. quotidie domum meam ventitans mihi Plautinas fabulas interpretanti operam dare, ſeque diſcipulum meum profiteri haud erubeſceret) non dubitabo rationem tibi monſtrare, qua intra vertens biennium labore minimè magno tantum in eo

ſtudio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſtudio proficere queas, quantum tibi ad tuendum Iuriſconſulti nomen & rem ſtrenuè faciendam ſatis ſit futurum. Omnium ergo primùm in manus ſumito *Epitomen Inſtitutionum Iuris* à Dionyſio Gotofredo ſcriptam, quæ cum libello Inſtitutionum à Gotofredo editarum circumfertur, atque etiam in corpore Iuris Civilis ejuſdem Gotofredi inter Inſtitutiones & Codicem interjecta viſitur. Eam Epitomen ſi velis, itidem ut ipſe adhuc adoleſcens faciebam; uno menſe totum ediſces; ſed ego trimeſtre tibi conſtituo, ut ſubinde textum Inſtitutionum conſulere, & ſi quid non æquè intelliges, Gifanii commentariũ inſpicere poſſis. nam is non perinde, ut vulgus interpretum, inſanit, qui libellum illum invito Iuſtiniano verboſiſſimis commentariis onerant, quæ nequaquam minor eſt ineptia, quàm ſi Grammaticus pueris, cùm literas colligere & pronunciare diſcunt. Etymologiæ & Syntaxios regulas inculcet. Poſtquam vero Epitomen illam memoriæ penitùs infixeris, omneſque definitiones & diviſiones promptiſſimè reddere ex ea poteris, proxima tibi cura erit ut Titulos Digeſtorum & Codicis tibi familiares reddas. quod quidem ſi Memoriæ Localis (quam vocant) artificium ſcires, uno ſolo octiduo facillimè præſtares. Sed etiam ſine illo artificio non parum proficies, ſi Titulos omnes uno folio aperto ac patente deſcriptos ſic parieti cubiculi tui affixeris, ut ſemper in conſpectu ſint, & quotidie perlegere volueris. Interea verò lectionem Paratitlorum Matthæi VVeſembecii incipies, in qua cum annum unum conſumpſeris, tantum te profecturum præſtabo, quantum vix centeſimus eorum, qui hodie Iuriſconſulti ab Academicis, *nemine nemineque penitùs diſſentiente*, renunciantur, & partim animo ad Praxin converſo lucrum non pœnitendum faciunt, Te tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

men, quod ad biennium tibi temporis erit reliquum, cognoſcendo Iuri Canonico tribuere velim, Danielis Venatorii Analyſi juris Pontificii adjutum, quo facto, quin quæ didiceris ad rem transferas, hoc eſt, in Praxi te exercere incipias, & hodiernam fori conſuetudinem; ac de jure reſpondendi & advocandi rationem addiſcas, nihil te videbitur remorari poſſe. Tam multi enim & laborioſi exſtant materiarum Iuris indices ſeu Repertoria, ut nihil dubitarit aſſeverare Cardinalis Seraphinus Olivarius, qui quadraginta tres annos Rotæ Romanæ Auditorem ſive Aſſeſſorem magna cum omnium commendatione egit, hominem vel mediocris ingenii, qui nihil niſi Artis hujus propria vocabula ſive Terminos intelligat, ejuſmodi Repertoriis inſtructum non triduo, quod de ſe Cicero promittebat, ſed tribus horis Iuriſconſultum ſe profeſſurum. Aliam eorum rationem eſſe minime nego, qui Anteceſſores fieri, Iuriſq; libros aliis de ſuperiore loco interpretari cupiunt, quod facere non poſſunt, niſi ingenti divinarum & humanarum literarum flumine inundati. Sed iis, qui omne hoc ſtudium emolumento ſeu lucro metiuntur, veteriſque Romanæ Iuriſprudentiæ, tanquam mulieris cùm annoſæ, tum pannoſæ & indotatæ amorem miſſum faciunt, ea, quæ expoſui, ſatis futura cùm magnorum, velut dixi, Iuriſconſultorum auctoritas, tum eorum, quos non alia via ad magnas opes brevi ſpacio duxit, exempla pollicentur.

De adjumentis parandæ Eloquentiæ quædam universè & generatim, quædam ſigillatim & in ſpecie commemorare libet. In genere Linguæ cujuſqe habitus, vel lectione, vel auditione, vel ſcriptione, vel ſermocinatione comparatur. Lectio eſt librorum, qui vel notitiam vocum loquendique generum, vel elegantiam, vel utrum-

que

que docent, ut ſunt Lexica, phraſiologiæ, Comœdiæ, Dialogi, epiſtolæ, in quibus ea diſcuntur, quorum quotidianus ferè in vita uſus eſt. Auditio eſt vel hiſtrionum ſeu mimorum, vel Concionatorum. Scriptio partim libera eſt, cùm quis argumentum quod libeat tractat, partim alienis verbis velut adſtricta & obnoxia, cum quid ex alia lingua vertendum ſuſcipitur. Sermocinatio præſtat, ut quæ quis legendo & audiendo didicit, cùm facilitate tandem poſſit expromere. Atque hæc in genere.

Iam de Græca lingua hoc modò monendus videris, operam tibi eſſe dandam, ut ex Grammatica declinationes, quas vocant, nominum, verborumque conjugationes memoriæ mandes, uſum quoque pronominum, conjunctionum, præpoſitionum & adverbiorum (quod ipſum in omnibus linguis addiſcendis obſervari oportet) ex iis exemplis, quæ doctiores Grammatici repræſentare ſolent, probè condiſcas. quo facto, Mythologiam Græcolatinam lectitare poteris, Francofurti, in 8. anno 1610. editam, & Luciani opera quatuor partibus ſive tomis diſtincta, quæ Baſileæ Græcolatina abhinc circiter biennium prodiere. Novum quoque Teſtamentum Græcolatinum non inutiliter verſaveris. Nam verſio, ſive interpretatio è regione verbis Græcis oppoſita faciet, ut vivam magiſtri vocem non æquè requiras, quamvis eam cum copia ejus dabitur, te repudiare nolim. Scapulæ deniq; Lexicon Græcum quod nuperrime Baſileæ recuſum eſt, comparare debes, idq; inter legendum ſubinde conſulere. Hoc modo conſequeris, ut Græcè doctiſſimus habearis, quod homini in negotiis gerendis occupato & in reipub. luce verſanti meritò ſatis videri debet, tametſi longè illè abſuturus ſit, ut cum Græculis illis de ſchola hominibus æquari poſſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

De Gallica lingua quod ſigillatim & diſtinctè moneam, non habeo, cum animum, ut eam addiſcerem, numquam inducere potuerim. neſcio enim quomodo ſemper fui ſuſpicatus, ejuſdem hominis eſſe aliter loqui, quàm ſcribat, & aliter ſentire quàm loquatur: in qua quidem ſuſpicione non parum me confirmavit, quod ex magno eorum numero, qui in Galliis fuerunt, & linguam illam egregiè dividiſſe viſi ſunt, neminem adhuc cognovi, qui melior, quàm illuc profectus fuerat, in Germaniam reverterit. Pleroſque omnes, ſi minùs ab honeſtate animique integritate, à Germanica quidem certè gravitate & maturitate plurimum deſciviſſe & animos regulis quibuſdam ſine Maximis ſtatui Romani Imperii infeſtiſſimis, imbutos retuliſſe, multi boni atque intelligentes viri non minimo cum dolore compererunt. Itaque ſi quis me audiat, aut in tenera adhuc ætate liberos in Galliam mittet, cùm & linguam facilius pronunciare diſcunt, neque corruptelas illas imbibere poſſunt, aut eos in vicinia Comitatus Burgundiæ vel Lotharingiæ ſubſiſtere, & illic linguam diſcere jubebit. quamvis enim non eam ibi pronunciationem paraturi videantur, ut pro Aurelianenſibus aut Pariſienſibus haberi poſſint: tanti tamen eſt, eos animum ſincerum, incorruptum & à patriæ rationibus minimè alienum reportare, neque parùm feliciter in ejus linguæ ſtudio profeciſſe videri poſſunt, ſi nihilo deterius quàm politiores Burgundi aut Lotharingi, eam pronuncient.

Hiſpanicam linguam nullo ferè negotio addiſcet, qui cum Latinæ cognitione ſive Hetruſcam, ſive Gallicam conjunxerit. Inſtitutiones ejus linguæ, quas Henricus Dœrgang Coloniæ anno 1614, edidit, maximo erunt uſui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Si quis etiam habeat librum Salmanticæ editum, qui inſcribitur *Ianua linguarum*, ſententiis ejus Hiſpanicis, quibus interpretatio Latina è regione reſpondet, memoriæ mandandis uno menſe vel ſine magiſtro tantum proficiet, ut cum libros Hiſpanicos intelligere, tum epiſtolam minimè faſtidiendam ejus linguę verbis ſcribere queat. Optandum verò foret, exſtare apud nos Terentii Comœdias à Simone Aprilęo in Hiſpanicum ſermonem elegantiſſimè converſas, & Compluti poſtremum editas, tum librum, quo cujuſquemodi Epiſtolarum formulæ hodiè uſitatæ continentur, cujus inſcriptio eſt: *Eſtilo y Metodo de eſcrivir cartas miſſivas y reſponder como conviene a ellas*. Vulgatus eſt Madriti in 8. anno 1608. & iterum Mediolani anno 1616. Lexicon ſive Vocabularium ejus linguæ nullum adhuc vidi, in quo non permulta meritò deſideres. Antonii Nebriſſenſis Dictionarium Antuerpiæ annis abhinc ſexaginta circiter editum, nuper admodum Madriti recuſum eſt, quod modò Latina verba Hiſpanicis, modo Hiſpanica Latinis ſubjectis interpretatur. Quod Chriſtophorus Caſa Venetiis in 8. edidit Vocabularium, quo Hiſpanica & Italica vocabula interpretari ſe profitetur, extremæ eſt notæ, & nulli omnino uſui. Madriti anno 1611, exiit Theſaurus linguæ Caſtellanæ, à Sebaſtiano Covarruvia conſcriptus. Sed eo non niſi qui jam Hiſpanicum ſermonem callent, uti poſſunt, tum plurima propter ignaviam auctoris & oſcitantiam in eo deſunt; non pauciora viciſſim redundant, quæ auctor idem nullo prorſus judicio ad oſtentandam eruditiotionis varietatem ineptiſſimè congeſſit. Omnium accuratiſſimus eſt Theſaurus Hiſpanicæ, Gallicæ & Italicæ linguæ ab Hieronymo Victore Bononienſi

nienſi Italo, compoſitus, & Genevæ in 4. anno 1609. editus, quem linguarum illarum ſtudioſus, qui me audiet, incunctanter comparabit.

De ratione diſcendi linguam Hetruſcam ſive Italicam, pænè ſupervacuum videtur, quicquam à me in medium afferri. Paſſim enim invenias, qui eam paucis menſibus labore minimè magno ſcribere ac loqui didicerint. quorum vix quiſquam futurus videtur, quin de addiſcenda ea deliberanti conſilium utile ſuppeditare poſſit. Itaque aliud nihil monebo, niſi rectiſſimè facturum, qui ſibi Euphroſyni Lapinii inſtitutiones linguæ Florentinæ, Cruſcæ Vocabularium, Mundi Fabricam, Fabrini Terentium, & Ideam Secretarii comparaverit. Horum enim librorum maxima eſt ad vim vocabulorum cognoſcendam & ad epiſtolas ſcribendas utilitas. Cætera hominum Italorum uſus ſatis docebit.

De Germanica lingua rectè diſcenda te hominem Germanum moneri, minùs mirabitur qui ſciat, quanta ſit Dialectorum ejus linguæ varietas, quamque parùm rectè Auſtriæ provinciæ homines, qua pronunciare, qua ſcribere ſoleant. Dialectos alias vocare Principes placet, ſive generales, alias principibus ſubjectas ſive ſpeciales, quæ quamvis in multis à principe aliqua Dialecto recedant, in multo pluribus tamen ad eam referuntur. Inter principes familiam ducit & primas obtinet dialectus Miſnica, quæ Germanis idem eſt, quod Græcis Attica, Italis Florentina, Gallis Aurelianenſis, Hiſpanis Toletana. Miſnenſes enim optimis & probatiſſimis vocabulis ac phraſibus utuntur, quamvis in pronunciandis diphthongis & conſonantium nonnullis, riſum cæteris Germanis meritò debeant. Verbi gratiâ cùm di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

cunt, *Heebt* pro *Haubt*, *Zeeberer*, pro *Zauberer*, *Iot*
pro *Got*, *Gar* pro *Iar*. *Iott jeb euch ein jutes naues
gar*, pro *Gott geb euch ein gutes neues jar*. Miſnicæ
ſubjectæ ſunt Turingica, Francica, Haſſica. Se-
cundum locum tribuo Rhenenſi Dialecto, qua
Rheni accolæ ad fines uſque Belgii magnam par-
tem utuntur. Moguntiæ cives eam reliquis
emendatius pronunciare judicantur. Tertia eſt
Suevica, quæ & ipſa ſuas in diverſis Sueviæ parti-
bus varietates habet. Quarta Helvetica, qua
quondam omnes ferè Alemanni, hodie Helvetii
tantùm utuntur, quam haud ſcio an omnium
ſuperioris Germaniæ copioſiſſimam miniméque
depravatam rectè dixerim. Homines enim ſuo
contenti, & Aularum contemtores (ex quibus fe-
rè Helvetiorum reſpublicæ conſtant) exteris mi-
nus miſceri, neque de lingua polienda & adſcitis
peregrinis vocibus loquendique generibus exor-
nanda ſoliciti eſſe ſolent. Quincta dialectus eſt
Saxonica, qua cùm Saxones, tum VVeſtpha-
li, Holſati, Mechelburgenſes, Pomerani &
Brandeburgenſes, utuntur. Sexta eſt Bava-
rica, cujus in Bavaria, Tiroli, Stiria, Ca-
rinthia, Auſtria & trans Danubium in Aiſtadienſi
Epiſcopatu, & apud Nariſcos, qui & *Armalauſi*
quondam dicti, ſive in ſuperiore Palatinatu uſus
eſt. Exteri cùm eam audiunt, ex ipſo ſono longo-
que vocalium tractu homines ea loquentes diſ-
ſolutos, ignavos & animo omiſſiores eſſe ſuſpi-
cantur. Alacritas enim linguæ & pronunciationis
celeritas, ingenii acris ac vividi index putatur. qui
ergò vel conſonantes alioqui minimè aſperas
proferre pigratur, vel Vocales longo pronun-
ciationis tractu uſque eo producere gaudet, ut
ex ſingulis ternas vel quaternas facere videatur,
quod Bavari & Auſtriaci ſolent, cum exempli
cauſa *Aaa* dicunt pro *Auch*, *Pfaffenhoooofen*,
Schrobn-

Schrobnhaaauſen, *VVaaarle*, pro VVarlich, *Yyyngl-ſtat*, *gooold*, *eiiiſen*, *triiiinck*, *kuut*, *Graaaz* pro *Græz*, *Taaaler*, pro *Teller*: talis igitur facile Italis, Gallis & aliis ſuſpicionem movet, ut eum *Vervecum in patria craſſoque ſub aëre natum* credant. In qua ſuſpicione ſaltem de plebejis hominibus non multũ eos falli, vel opificum, qui eâ dialecto magis utuntur, exempla fidem faciunt, quos magnam partem obtuſi ingenii, ignavos & laboris fugitantes eſſe conſtat. Sicut etiam in eorum cenſu, qui Germanicum nomen literis & ingeniorum monumentis illuſtrarunt, quique vel in Societate Ieſu, vel inter Lutheraniſmi Præcones ingeniis, eruditione, & eloquentiâ excellunt, multò pauciores Bavari, Auſtriaci, Tirolenſes, quàm Suevi, Franci, Rhenenſes & Saxones numerantur. Neque tamen negaverim Auſtriacos, qui vel in Aula Viennæ, vel in vicina ac velut ſuburbana Pannonia multum conſuetudine exterorum uſi ſunt, Bavaricæ ſtribliginis aliquantum deterſiſſe, eaque ex re ſic jam animis efferri, ut emendatæ terſæque locutionis palmam non Bavaris modò, ſed etiam quod maximè eſt ridiculum, ipſis Miſnenſibus & Rhenanis ereptum eant. Verùm, ſi quod res eſt dicere volumus, etiam quos inter ipſos eſſe cultiſſimi purgatiſſimique ſermonis oportebat, tamen idiotiſmis Bavaricis nòn modò cædendis ſermonibus, ſed neque ſcribendo abſtinere poſſunt. Non longè abiero, Melchiore Cleſelio Viennenſi Epiſcopo non temerè quiſquam Auſtriacorum, quantumtumvis ipſe ſibi placeat, ſe Germanicè melius loqui aut ſcribere perſuaſum habet. Eum enim haud alia res, quàm Germanica facundia, qua Hæreſin pro concione multis annis feliciter flagellaverat, ex humillimo loco ad tam celſum honorum faſtigium evexit. Ex hos tamen au-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

dias, partim etiam in ſcriptis ejus legas *Mir* pro *VVir*; *Enck* pro *Euch*; *Ees* pro *Ihr*; *Enten* pro *Dary-ben* aut *Ieſeit*: *Thaan* pro *thun*: *Kaan*, pro *Kuen*: *Graaaz* pro *Graz*. *Es gehœrt mein, dein, ſein*, pro *es gehœrt mir, dir, ihm*, vel *es' iſt mein, dein, ſein*. Quem porrò mihi dabis Auſtriacum ex omni Cæſaris comitatu, qui non iiſdem aut fœdioribus Bavariſmis orationem inficere ſoleat? ut quicunque eos exaudiunt, ſine controverſia ſtatim rogare poſſint, *Numquid omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt*? Nam hæc verba Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi Concionator Aulicus Pater Baltaſar Nimitſch Ieſuita, equeſtris apud Sileſios familiæ, in celeberrima concione Penteco-ſtes anni 1609. non alium habere ſenſum ajebat, quàm ſi quis hodiè diceret: *Nonne omnes iſti ſunt obtuſi & craſſi Bavari*? qua tamen interpretatione, meo quidem judicio, ſuperſedere non uno nomine debuit. Primùm enim cum humanitatis cauſa, tum propter religioſum, quod profitetur, vitæ genus cautum ab eo oportuit, ne ſic integram nationem palàm ſtuporis inſimularet, in qua præſertim viros pietate in Deum & multiplici virtute ſpectatos, neque nullos ingenii ornamentis & eloquentiâ claros numerari ne ipſe quidem abnueret auderet. Deinde etiam ingenui gratique animi officium erat, nequaquam tam malam Bavaris gratiam rependere, qui primi omnium Germanorum Societati Ieſu receptum apud ſe præbuere, eamque in hodiernum uſque diem fovere non deſiſtunt. Adhæc auribus & rubori Bavarorum, qui ei concioni intererant, conſulere debebat, quoniam ſe non modò à Nobiliſſimis Bavaris Archiducum Cubiculariis, ſed etiam ab ipſâ Principis conjuge, cui ipſe à ſacris Confeſſionibus eſſet, audiri minimè ignorabat, cujus pater Sereniſſimus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

mus Bavariæ Dux Gulielmus Collegiis in Baſilicis illis quæ Ieſuitæ Ingolſtadii & Landſpergæ habitant, à ſolo excitandis & ditandis, tum vel maximè binûm millionum impenſa, quam in unum Monachienſe Collegium feciſſe exiſtimatur, quidvis potius meruit, quàm ut ſtuporem Bavaris ullus Ieſuita exprobret. Poſtremò hominis non ſatis ſani fuit Bavaros tam inclementer apud eos accipere, qui ejuſdem eſſent linguæ participes, neque qua illis laude præſtent, planum facere poſſent. Sed ſunt iſta alterius loci, neque mihi nunc morum cenſuram exercere libet. Itaque ad Germanici ſermonis dialectos ex diverticulo revertor, quarũ longè omnibus præferri debet, quę Communis appellari poteſt, cujus loquendi genera ſive phraſes à Miſnenſibus potiſſimùm petuntur, pronunciatio verò Idiotiſmis & propriis ſingularum vitiis caret, ut ſi quis ea loquentem audiat, qui cæteroquin omnes Dialectos agnoſcit, ſermonem quidem ipſum probet, nequaquam tamen, cujus ille nationis ſit, conſtituere poſſit. Hæc Spiræ & in Aula Cæſaria facile addiſcitur, quòd eò ex omnibus Germaniæ partibus multi confluere ſoleant, qui magnoperè cavent, ne vernaculæ linguæ idiotiſmis, quos cæteri omnes ut vitioſos exſibilant, riſum iis, quibuſcum verſantur, commoveant.

Iam ut quos potiſſimum libros diſcendi Germanici ſermonis cauſa legere debeas, exponam, alios tibi propter verba cùm ſingula, tum conjuncta ſive phraſes, alios propter integram orationem ſive compoſitionem legendos memineris. Prioris generis ſunt Trilingue Lexicon, Latinum puta, Græcum & Germanicum, Argentinæ typis Rihelianis excuſum, Phraſiologia & Rhetorica Germanica Satleri, & Ulneri phraſes. Poſterioris verò Conſtitutiones ſive Receſſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Imperii & Georgii Schereri Ieſuitæ opera. Ioannis Piſtorii libri ſublimi modò generi dicendi verba ac phraſes ſuppeditant, cujus in Principum epiſtolis & edictis uſus eſt. Conradus Vetter Ieſuita verborum & phraſium copiam augere poteſt, ſed in poſtremis ſuis libris, cùm idiotiſmos Suevicos ac Bavaricos, tum plebeja non pauca nimiſque humilia & ſordida orationi infercit, cæterum feſtiviſſimus & verè Germanorum Plautus, ſi tamen graviſſimas de Religione controverſias id genus ſale condiri non dedecet.

Reliquum eſt, ut de modis & adjumentis diſcendæ Latinæ linguæ ſententiam meam tibi aperiam. Aut igitur mediocri & imperfecta ejus linguæ notitia contentus es, quæ ſcilicet homini in repub. negotiis occupato ſatis futura videatur, aut propoſitum tibi eſt eam perfectè cognoſcere, omniaque ejus myſteria perſpecta habere, ita ut non modo animi ſenſa tolerabili, vel etiam laudabili verborum genere exprimere, ſed hoc amplius de cujuſcumque ſcriptoris Stylo ac Latinitate explorato ac ſine errore judicare poſſis. Si prius placuerit, duplicis generis libros legas oportet, quorum alii culpâ ac vitio carere, alii laudem aliquam mereri te doceant. Vitia verò orationis aut præceptis ſive Grammaticorum regulis, aut conſuetudini & idiomati eorum, qui optimè locuti ſunt & ſcripſerunt, adverſantur. Præceptis adverſantur Barbariſmus & Solœciſmus. Illo enim Orthographiæ, Proſodiæ & etymologiæ, hoc autem Syntaxeos ſeu Conſtructionis regulæ violantur. Conſuetudini repugnat partim Archaiſmus, ſive veterum & obſoletorum verborum uſus, partim Neoteriſmus, Novatio ſeu Novitas, cùm quis verbis utitur, quæ nemo ante Ciceronem uſurpavit, partim denique

que Idiotiſmus alterius linguæ, ſive Peregrinitas, cum quis verbi gratia propriam Italis aut Germanis loquendi conſuetudinem Latinis verbis imitatur. ut ſi dicas *Pati damnum*, uteris quidem verbis Latinis, ſed minimè Latinè. nam Latinus Idiotiſmus poſtulat *Facere damnum*, aut *capere* vel *accipere*, vel etiam *Affici damno*. Sed Idioma Italorum eſt aliarumque nationum, *Pati domum*. Solœciſmos & Barbariſmos boni Grammatici cavere docent, ut fuerunt ætate noſtrâ Franciſcus Sanctius Brocenſis, Nicodemus Friſchlinus, & (ſi Jeſuitis fides) Emmanuel Alvarus. Ab Archaiſmo nullum eſt hodie periculum niſi iis, qui Plautum, Terentium, Salluſtium, Lucretium, Varronem & vetuſtiſſimorum fragmenta nullo cum judicio legerunt. Peregrinarum linguarum Idiotiſmos Hadrianus Cardinalis, Maturinus Corderius, & Antonius Schorus curioſè notarunt.

Novationis culpam ut effugias, vulgaria Lexica Latina utiliter conſules, in primiſque Latinę Linguæ Theſaurum à Roberto Stephano editum. nam quę ibi aut nullū, aut non niſi poſteriorum temporum auctorem habent (poſt Hadriani ſcilicet Imperatoris ætatem) iis velut Novis & apud ſuperiores ætates nondum auditis, meritò abſtinebis. Decipiunt quidem id genus libri judicium non ſemel, cùm vel quæ Latina ac bonis auctoribus uſurpata ſunt omittunt, vel quę idoneum nullum auctorem habent, pro Latinis venditant, vel Latina perperam interpretantur, eoque pacto Latinis verbis barbarè loqui docent, vel vitioſa denique auctorum exemplaria in recitandis eorum verbis ſequuntur. quam ob cauſam viri docti Lexicis non velut Magiſtris, ſed tanquam Miniſtris, ac velut in memoriæ ſubſidium utuntur. Ei tamen qui primarum inter literatos partium eſſe non poſtulet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſed mediocritate contentus ſit, Lexicographorum fidei ſe permittere, nequaquam turpe aut pudendum videtur.

Laudes orationis præcipuæ ſunt, Perſpicuitas, Puritas & Elegantia: quas ut aſſequaris, Ciceronem in primis, & ut quiſque eſt Ciceronis ſimillimus, ſæpe legere & ſcribendo imitari te oportebit. Nam ut rectè minor Plinius cenſuit: *Stultiſsimum eſt, ad imitandum non optima quæque proponere*. Optimam porrò fuiſſe eorum linguam, qui circa Ciceronis & Auguſti ætatem floruerunt, & eâ ipſa ætate longe omnibus Ciceronem præſtitiſſe, maximi omnium ſeculorum viri uno ore conteſtantur. quorum conſentiens judicium contemnere, & inferiorum ætatum auctores potius imitandos arbitrari, hominis eſt, cui vel pudor omnis perierit, vel minimè ſanum ſit ſinciput, atque helleboro indigeat. Ex omnibus porrò Ciceronis operibus Orationes, libri de Officiis, & Tuſculanarum diſputationum diligentiſſimam ac ſæpius iteratam lectionem merentur. Epiſtolæ verò omnes, ſi quis eas familiariſſimas ſibi reddiderit, hoc præſtant, ut ne ſi velit quidem poſſit non eleganter ſcribere. Similiores Ciceroni ſunt Cæſar, Cornelius Nepos, Livius, Curtius, Valerius Maximus, & Vellejus. In Trogi Pompeji hiſtoriam nonnulla Iuſtinus degenerantis poſteriorū ætatum Latinitatis vocabula invexit, quod ipſum Aſconio Pediano. quamvis rarioribus locis, uſuvenit. Illos igitur priores tutius à te legi exiſtimabis, cum quibus, ſi vacat, Terentium conjunges. Uſui quoque erunt Ciceronianus Nizolii index, Schori, Manutii, Giſanii, aliorumque phraſiologiæ, ludimagiſtris, quàm mihi, notiores. Franciſci quoque Sylvii Progymnaſmatis & Formulis Briſſonii cognoſcendis non pœnitendum feceris operę precium, ſed

ſed magis, quæ Godeſcalcus Stenechius, & poſt eum Turſellinus de Latinæ linguæ Particulis commentati ſunt.

Atque iſta quidem ei, qui nihil niſi perſpicuè, puré atque eleganter ſcribere cupiat, ſatis eſſe poſſunt. Verùm ei, qui exactam perfectamque Linguæ Latinæ notitiam & rectè de alieno Stylo judicandi facultatem parare velit, longe improbior præſumendus eſt labor. Primùm enim omnes cujuſcunque generis Grammaticos Latinos cognitos habeat oportet, ſive illi verborum origines ac ſignificationes tradant, ſive artis præcepta doceant, ſive denique auctores Latinos explanent aut emendent, quod genus Critici vocantur. Tales ex veteribus quidem ſunt Varro, Pedianus, Feſtus, Agellius, Nonius, Macrobius, Servius, Donatus & Eugraphius; ex recentioribus verò Chariſius, Diomedes, Priſcianus, cæterique in corpore Latinorum Grammaticorum à Putſchio comprehenſi: ex noviſſimis denique Critici in Gruteri Theſauro Critico relati, Gloſſarum interpretes, Lexicographi, Valla, Linacer, Saturnius, uterque Burdoſcaliger, Sanctius, Schorus, Hadrianus Cardinalis, Friſchlinus, Becmannus, & Critici, quorum opera in Theſauro Gruteri non comparent. quo in genere familiam ducunt, inter Italos Fulvius Urſinus, inter Hiſpanos Petrus Ciacconius, inter Gallos Hadrianus Turnebus, inter Germanos Iuſtus Lipſius.

Deinde auctores & conditores Latinæ linguæ, pro cujuſque ætate atque precio legat atque imitetur neceſſe eſt, qui turbæ literatorum eximi & inter principes cenſeri poſtulat. Ut enim ex ipſorummet auctorum teſtimonio ſatis conſtat, variæ Latini ſermonis ætates fuere: quarum aliam quidem Auream, aliam Argenteam, Æne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

am, Ferream , Ligneam, Luteam denique vocare ſoleo.

Aurea mihi eſt,qua cæteri,qui conſecutis ſeculis literarum & eloquentiæ laude polluerunt,homines Romæ quàm puriſſimè, emendatiſſimè & elegantiſſimè loqui & ſcribere ſolitos fatentur. Hanc à temporibus belli Punici ſecundi ad extremos uſque Auguſti annos produco, quibus linguam corrumpi cœpiſſe ex utroque Seneca, Suetonio, Quintiliano, & Hadriani Imperatoris apud Chariſium verbis diſcimus. Hujus ætatis ſcriptores alios facio veteres,alios medios, alios noviſſimos. Veteres vocat Cicero Plautũ,Terentium,Ennium& ſimiles, quorum hodie non niſi fragmenta quædã exſtant. Horum dictio Aurum eſt,ſed cui nonnihil ſcorię vel purgamenti ſit admiſtum. Scoria iſta eſt partim uſus vocabulorum, quæ poſteriores judicio repudiarunt velut obſoleta & impolita,partim Compoſitio hiulca,aſpera & ſcabroſa, atq; ἀνάριθμος ſive nullis numeris colligata,partim deniq; verba & loquendi genera exotica ſeu peregrina,& ex aliis Italiæ partibus in Latium deportata, quibus Statium Cæcilium Inſubrem, & Pacuvium Calabrum orationem infuſcare ſolitos ipſe teſtatur Tullius. Medios appello, qui quamvis tempore conjunctiores eſſent Noviſſimis, tamẽ neq; priſca verba miſſa facere, neq; aptæ verborum alioquin optimorum ſtructuræ & compoſitioni aliquid curæ impertiri animum induxerunt. Tales ſunt duo Ciceronis amici Varro,& Lucretius,totidem clientes,Catullus & Cælius, cujus eſt octavus inter libros epiſtolarum Ciceronis ad familiares, unus denique inimicus Salluſtius: de quo quid partim æquales illorum temporum,partim ei ætati ſuppares judicarint,in libello,quo meum de Styli hiſtorici virtutibus judicium aperio, diſtinctius expoſitum invenies.

Noviſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Noviſſimos facio Ciceronem, Cæſarem, Corn. Nepotē, Livium, Trogum Pompejum, Vitruvium, Virgilium, Horatium, Tibullum, Propertium, & Ovidium. In Nepotis tamen vitas dubium non eſt nonnulla poſterioribus ſeculis irrepſiſſe ab ævi Auguſtæi auro remotiora, Æmylii credo Probi opera, cujus nomen multis ſeculis libellus Nepotis præſcriptum habuit. Trogi certè Hiſtoriam Iuſtinus non ſolùm admutilavit, ſed non uno etiam loco verbis ferreâ demum ætate uſurpari cœptis inquinavit. Vitruvius orationem peregrinitate & plebitate, ideſt, verbis loquendique generibus infimæ plebi familiaribus, aut ad tranſmarini ſeu Græcanici ſermonis conſuetudinem ineptiuſcule conformatis paſſim infuſcat: quæ vitia una cum archaiſmis & novitatibus etiam apud Varronem inveniuntur, cui propterea elegantiam defuiſſe notavit P. Lavinius in libro de verbis ſordidis, velut apud Agellium videre eſt lib. 20. cap .2. Ovidius quoque magna in verbis novandis licentia utitur, ac neque humilia & à plebe petita faſtidit, eaquere non nemini viſus eſt Argenteæ potius ætati accenſendus.

Argentea porrò Latinæ linguæ ætas, præcipite jam & vergente ad finem Auguſti imperio, cœpit, ſimulque cum Neronis interitu finem habuit. Hujus ætatis eſt Curtius, ſed propè aureâ dignior tum Vellejus, Valerius Maximus, Manilius, uterque Seneca (Rhetor inquam & Philoſophus,) Aſconius Pedianus, Petronius, Mela, Columella, Phædrus fabularum ſcriptor, Hyginus, Lucanus, Perſius, & Tragœdiarum Thebaidis ac Medeæ ſcriptor, nam cæteræ Tragœdiæ, quæ Senecæ nomen præferunt, nec ſententiarum acumine, nec dictionis puritate cultuq; ad duarum illarum ſummam procedunt. Phædrum tamen & Hyginum, velut eleganti minus ſtudioſos plebeia

pluſculum uſu paſſe apparet: quo ſermonis utio neque Petronius abſtinere ſe potuit, qui paſſim etiam habet *Singularia* præter omnium veterum & æqualium conſuetudinem: quæ tamen vitia aliis vitiis, ſed dulcibus, nec paucis acutè, ſalsè & eleganter dictis redimit. In Aſconium nonnulla poſteriorum Grammaticorum gloſſemata palàm barbara alicubi irrepſerunt.

Æneam ætatem imperio Veſpaſiani ac filiorum, Nervæ, Trajani & Hadriani determino, qua principes ſunt in verſu quidem Iuvenalis, nemini argenteæ ſecundus; in ſoluta verò oratione Quintilianus. Ejuſdem ſunt uterque Plinius, quorum major eſt copioſior & acutior, minor dilucidior cultiorque. Ejuſdem Suetonius, Tacitus, Florus, Solinus, Statius, Valerius Flaccus, Sulpicius, Silius Italicus, & Martialis. Etiam Iuriſconſulti hujus ætatis, quorum in Iuſtiniani Pandectis fragmenta legimus, longè cæteris, qui poſteriùs floruere, purius & cultius loquuntur. Itaque hac ætate imitandi licentiam definire placet, ut videlicet horum modò ſcriptorum, non etiam illorum, qui poſterioribus ætatibus vixere, verbis loquendique generibus, tutò ac ſine juſta reprehenſione utaris, hactenus tamen ſi meliora ex ſuperiorum ætatum auctoribus non ſuppeditent. nam ubi Aurea deſinit, argenteis; ſin autem hæc quoq; deficiant, æneis uti jus eſt.

Ferrea ætas ab Hadriani fine ad minoris uſque Theodoſii tempora extenditur, ad quam plerique Sancti Patres & Eccleſiæ Doctores pertinent, quorum ſermone cæteris præſtant S. Ambroſius, eique proximus S. Hieronymus. Lactantius Ciceronem ſatis feliciter imitatur, Agellius, Tertullianus, Arnobius, Minutius & Appulejus propter eruditionis varietatem omnino legendi ſunt, ſed imitatio eorum ſtoliditatis opinionem con-

conficit. Prudentius ſanè tolerabilis eſt poëta, ſed aliàs ætatis conſuetudine abripitur, aliàs priſcorum verborum uſui & Lucretii imitationi nimium indulget. Auſonius, & Claudianus vel melioribus ſeculis inſerere ſe poſſunt. Symmachus in epiſtolis quoties ſuo, quàm Theodoſiani ſeculi more ac modo loqui mavult, non multum neque optimis concedit. Ejuſdem ætatis, ſed precii non ejuſdem ſunt Macrobius, Panegyriſtæ quidam, Vegetius, Nemeſianus, Olympius, Frontinus, Cenſorinus, Aurel. Victor, Fl. Vopiſcus, Aur. Spartianus, Æl. Lampridius, Trebellius Pollio, Iul. Capitolinus, & Vulcatius Gallicanus. Hos ſatis fuerit ſemel legiſſe, & ex iis annotaſſe, ſi quid ad ſuperiorum intelligentiam uſui futurum videatur.

Scriptores, qui Ligneâ & Lutea ætate vixerunt (quorum illam Iuſtiniani Imp. temporibus defìnio, hæc non multo poſt non magis Imperii, quam ſermonis Romani interitum vidit) quoniam nulla eorum ad id, quod hoc loco quærimus, utilitas eſſe poteſt, meritò à me prætermittuntur.

Inſcriptionem veterum Latinarum, quoniam plurimæ melioribus ſeculis natæ fuerunt, magnam meritò rationem duxerit, qui eam, quam dixi, in Latinis literis perfectionem & abſolutionem deſiderat. Multum igitur Iano Grutero optimo ac doctiſſimo viro hoc etiam nomine debent literæ, quod Inſcriptiones omnes laborioſiſſimè undique collectas in unum volumen redegit ac digeſſit, & Indicibus, qui ſæpe explanationis quoque vicem eſſe poſſint, ornavit.

Verùm an tanti ſit tantum in hujus linguæ ſtudio temporis ac laboris impendere, meritò ambigitur. Ego quidem, cui ſit res anguſta domi, niſi gloriam ac nominis claritatem lucro potiorem

ducat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ducat, nunquam ejus rei auctor ei fuero, *Neſcio quomodo bonæ mentis ſoror eſt paupertas*, ait ſenex ille apud Arbitrum. At ego non neſcio, quæ res faciat, ut politiores literas interius docti cum rei familiaris anguſtiis plerumque luctentur. Principes hodie nullum literarum guſtum habent, neque quicquam cuiquam temerè largiuntur, niſi quo vel voluptatis ſuæ, vel utilitatis adminiſtro uti queant. Itaq; Aſſentatores & Ridiculi, ſive Paraſiti hilaritatis per meliora dicta artifices, tum vel maximè Lenones ac perductores & ſtuprorum atque adulteriorum interpretes ac ſequeſtri in benè aucta parte paſſim apud Reges & cujuſcunque generis Principes inveniuntur, quoniam eis jucundi ſunt & Voluptatem creant, in qua illi ferè, placitis Epicuri convenienter, felicitatis humanæ ſummam collocare ſolent. Audi ſodes eundem exercitati vultûs ſenem, qui videtur neſcio quid magnum promittere:

Qui pelago credit, magno ſe fœnore tollit;
Qui pugnas & caſtra petit, præcingitur auro.
Vilis adulator picto jacet ebrius oſtro,
Et qui ſollicitat nuptas, ad præmia peccat.
Sola pruinoſis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua deſertas invocat artes.

Habes hic viam non unam, qua rectà ad lucrum hodie quoque curritur, Mercaturam videlicet, Militiam, Aſſentationem & Lenocinium. Sed ſi ſatis ingenium tuum pernovi, plurimum ab iis, velut partim periculoſis, partim illiberalibus ac turpibus, abhorrebis, nec temerè ullam earum ingredi voles, potiuſque ad Iuriſprudentiæ ſtudium animum appelles, quod eam juxta quæſtuoſam & honoratam eſſe videas. Sive enim ſacrum aut Eccleſiaſticum vitæ genus ſectari, ſive in hoc Laici hominis ſtatu permanere & liberis quærundis uxorem ducere volueris, iſta

Iuriſ-

Iuriſconſulti profeſſione non modò pauperta-tem expellere, ſed luculentum inſuper quæſtum facere poteris. Primum enim palàm eſt, majorem eorum partem, qui hodie vel maximis in Eccleſia dignitatibus præſunt, & unctiſſimis Epiſcopatibus atque Sacerdotiis fruuntur, quantulacumque juris ac legum notitiâ tinctos ad eos honores opeſque perveniſſe; cæterum Hebraicè, Græcè ac Latinè indoctiſſimos, tum Sacrarum literarum non magis, quàm Scythici, aut Iaponici ſermonis intelligentis eſſe. Quamvis enim S. Paulus eum, qui velit eſſe Epiſcopus, Doctorem eſſe jubeat, qui ſcilicet aut ab infantia ſacras literas didicerit, aut ſaltem in lege Domini die ac nocte meditetur; tamen adeò res hodie rediit, ut qui Theologiæ Doctor ſit, vix nomen inter Epiſcopatuum candidatos profiteri audeat, ſoliſque Legum ab impiis & paganis latarum Doctoribus ad Eccleſias aditus pateſcat. Hi ſcilicet ſunt, quos Eccleſiæ ſuæ Deus daturum ſe Ierem. 3. ſic promiſit: *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum, ipſi paſcent vos ſcientia & doctrinâ.* Quis enim dubitet, quin id genus Doctores ſcientia ac doctrina Chriſti oves paſcere noverint, cum Iuriſprudentia vel ipſorum prædicatione ſit *divinarum atque humanarum rerum notitia?* Sed ſi S. Paulum de iis percuncteris, aberit non longè, niſi ego longè fallor, quin ſua hæc verba rectè in eos conferri reſpondeat: *Volentes eſſe Legis doctores, non intelligunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

Deinde autem Principum vitio fieri conſtat, quoniam illi, quantum Iuriſprudentia arte bene imperandi ſive Politica interſit, prorſus non intelligunt, ut non modò in Tribunalibus, ubi de jure ſcripto aut moribus recepto agitur, Iuriſconſultos collocent, ſed etiam in ſanctius ſive Status conſilium, ubi de eo, quod Statui ſit utile, quæ-

quæritur, plerumque adſciſcant. Ipſi autem ei Principum ignorantiæ ſibi quæſtuoſiſſimæ refragari religioni habent, quamvis ſe non niſi formulas & litium jura didiciſſe, nullamque rem in Politicis ſapere probè ſint conſcii.

Poſtremo etiam illos rem facere ac patrimonia non conduplicare, ſed multiplicare paſſim videas, qui Cauſidicinæ modò dant operam, & lites aliorum ſeu voce, ſeu ſcripto, ſeu conſilio ſolùm moderantur. Nec enim ulla tam palàm iniqua aut deplorata eſt cauſa, cui iſti ſi libeat (libet autem, quoties eis doloſi ſpes refulſerit nummi) colorem obducere & vincibilem probabilemque reddere nequeant. quo nomine qui eos accuſant, miniméque ferendos putant, meminiſſe debent, à graviori reprehenſione eos abeſſe oportere, qui quod male faciunt, palàm profitentur, potiuſque omnem illis culpam aſſignari debere, qui profeſſioni ejuſmodi locum in repub. relinquunt. Apertè autem ferunt iſti, ſe Iuriſconſultos, ſive Iuris utriuſque Doctores eſſe, ac de Iure conſulentibus reſpondere, Iudicibus denique Ius illud ſuum obtrudere, Ius porrò ſuum partim juſtum, partim injuſtum eſſe minimè diſſimulant. *Iuriſprudentia* (ajunt) *eſt juſti & injuſti ſcientia.* Nimirum Genus per Species ſuas declarant. Prudentia vel ſcientia Iuris alia juſti eſt, alia injuſti. Atque hujus ſententiæ adſtipulatorem habent Ciceronem, cujus verba ſunt in ſecundo de Legibus: *Stultiſſimum eſt exiſtimare, omnia juſta eſſe, quæ ſcita ſint in populorum inſtitutis aut legibus.* qui poterat planius dicere Iura civilia partim juſta, partim injuſta: eſſe? Nimirum *Ius* priſcis erat *Iuſſum*, quod ſcilicet populus juſſiſſet, ſicut Os, teſtantibus Grammaticis, priùs erat *Oſſum*. Populus autem in jubendo non directam illam juſtitiæ & æquitatis regulam

lam, ſed utilitatem modò ſequitur, ac propterea *Vtilitas juſti propè mater & æqui* ab Horatio dicitur, & ſæpè in libris juris, Romani *aliquid propter utilitatem receptum* legimus. Atque hæc Platoni cauſa fuit cur Iuriſconſultos & Cauſidicos ſapientes eſſe, aut veræ Iuſtitiæ notitiam habere ullam, negaret. Ejus in Epinomide verba ſunt: *Neque Sapientes dici eos volumus, qui litigantibus ſuas in dicenda cauſa vires commodant: quippe cùm memoria & uſu, opinionis moribus ſe accommodent, & à veræ juſtitiæ intelligentiâ procul aberrent.* Utrovis ergò modò præſtant, quod profitentur iſti Iuris utriuſque ſive duplicis Doctores, ſive juſtum ſive injuſtum Ius clientes ſuos Iudiceſque doceant, ipſique propterea ab iis, qui profeſſionem tolerant, accuſari non merentur.

Fortaſſis autem ſtudium iſtud quamvis lucro auſpicatiſſimum hoc tibi nomine minus arridebit quod plerumque quo quis in iſta juſti & injuſti ſcientia melior & recoctior, tanto improbior ac nequior, tum etiam indoctior & à ſenſu bonarum literarum remotior perhibetur. Nam apud Germanos noſtros proverbio ferri non ignoras, *Gut Iuriſt, bœſer Chriſt*, id eſt, Bonus Iuriſta idem malus eſt Chriſtianus; & apud Italos pervulgatum eſt: *Purus Legiſta, purus aſiniſta.* Sed neutrum ſatis idoneum, non quidem omnibus; (nam quoſdam Iuriſconſultorum eximiè doctos veréque probos in Italia, Hiſpania, Gallia & Germania novi, & amicos habui atque etiamnum habeo) multo tamen maximæ eorum parti videtur, cur in alteram partem poſſidere palmam, hoc eſt, vel literati, vel valde boni viri audire poſtulent. Et contra Germanicum quidem adagium ſtrenuè frontem perfricant, commodante eis advocationem illo Iuvenalis monito:

——*illa tuo ſententia ſemper in ore*

Verſetur DIs atque ipſo Iove digna poëta:
Vnde habeas, quærit nemo, ſed oportet habere.

Igitur dum habeant, aliorum omnium de moribus ſuis exiſtimationem flocci non faciendam putant,

——— Vt quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives populi contemnere voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat: at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimulac nummos contemplor in arca.

Similiter autem & alterum de barbarie ac literarum inſcitia tritum in Italia verbum merito ſibi videntur infra fiduciam ponere ac velut frivolum contemnere, cum plerorumque omnium judicio opes cumulare, hoc demum ſit ſcire literas, & quemadmodum eſt apud Platonem: *Multi in hoc conſentiunt, ſapientem in primis ſibi ipſi ſapere oportere: hujus autem hæc eſt ſumma, ut argenti quam-plurimum acquiratur.*

Quod ſi tamen omnem iſtam barbariæ ac ruditatis opinionem à ſe amoliri velint, atque adeò varia doctrina culti ac literati videri affectent, minimè difficulter id conſequuntur, ſi eorum faciant exemplo, quos ipſe in Regia Cæſaris, Romæ, aliiſque locis paulo novi ac tractavi familiarius. Poſtquam ſcilicet rem familiarem conſtabilitam habere cœperint, Bibliothecam multis cujuſque generis libris inſtruere, & à Bibliopolis, ad quorum tabernas plurimi ſubinde confluunt, pro quibuſdam librorum helluonibus celebrari ſolent, cum ipſi interea Indices ſeu Titulos librorum, &, ſi fortè, Præfationes, in quibus argumentum operis & ſcribendi conſilium fere continetur, inſpicere ſatis habeant. Si quando etiam conſultores & adventores ſuos tranſactis, quorum cauſa venerant, negotiis à ſe dimiſſuri ſunt, captatâ aſturè occaſiuncula, libri alicujus ex nuperrimè emptis mentionem injiciunt, eum-

que procedente ſermone promunt, & inſpiciendum præbent. Eadem verò opera ſuam ipſi ſortem miſerantur, quibus vix tantillum à gravioribus negotiis otii ſuppeditet, ut quaſi furtim ad manſuetiores Muſas reviſere, animumque legendis id genus libris avocare ac recreare poſſint: quod cum audiunt homines vel ſemidocti, vel certè nihil de iſto famæ parandæ artificio ſuſpicantes, & ipſi eorum ingenium, quod tot curis ac ſtudiis ſufficiat ſecum admirantur, & alios porrò in eundem errorem prædicatione ſua inducunt. Verum haud ſcio, an vel maximum conficiendi literarum nominis in eo momentum collocent, quod Vocationibus, id eſt, conviviis aliiſque officiis Poëtas, Grammaticos, Oratores, quicumque denique humanioribus literis cenſentur, ſibi devinciunt. Primum enim eos cùm literarum impensè amantes, tum ipſos non vulgariter literatos eſſe, conſentaneum eſt, qui hominibus literatis familiariter uti gaudeant. Deinde fieri neceſſe eſt, ut in ſermone iſti literati eorum convivæ ſuum de aliis, qui habent aliquod in literis nomen, deque eorum operibus promant judicium, quod ipſi poſtea velut ſuum apud alios reddant, eoque pacto ſui admirationem in eis alant & augeant. Poſtremò cùm paſſim ab iis, quos jam ſibi fecerunt obnoxios, laudibus extollantur, etiamſi poſtea ſive iidem ipſi, ſive alii eorum inſcitiam caſu aliquo deprehenderint, tamen poſſeſſione partæ jam opinionis fruſtra eos dejicere conentur. quin immo periculum ſubeunt, ne ipſi potius aut levitatis aut invidiæ in ſe ſuſpicionem commoveant, qui vel infamatum eant, quem paulo prius celebrarint, vel eumdem hominem pariter in Iuriſprudentia & politioribus literis excellere videri æquis animis concoquere non poſſint. Sed de artibus iſtorum homi-

hominum plus ſatis. Nunc ecce tibi Syllabum auctorum & librorum, quos eum legiſſe, partim etiam multum triviſſe oportere cenſeo, qui conſummatam Latini ſermonis notitiam parare cupiat. Sed præmonitum te velim, me neque noviſſimas auctorum veterum editiones ſemper indicaſſe, quippe quas nondum viderim, neque etiam plerorumque Grammaticorum & Criticorum, qui nuperrime exſtiterunt, nomina ſatis cognita habere. Illud quidem & novi, & præſtare audeo, editiones auctorum, quibus manum Gruterus admovit, eſſe omnium emendatiſſimas, ac fere notis atque explanationibus doctiſſimorum virorum ornatas & inſtructas. qui ſi Ciceronem totum ſuâ & Iani Gulielmii induſtria & judicio recognitum nobis dederit, quod propediem ſe facturum nuper mihi per Davidem Hæſchelium ſignificavit, neminem paulo humaniorem futurum puto, quin vel aurea ſtatua, quæ ingentibus ejus de re literaria promeritis ſit monumentum, puncto ſuo dignum judicet. Vale. Auguſtæ Vindelicor. a. d. XII. Iunii Anno MDCXVI.

AUCTORES LINGUÆ LATINÆ ÆTATIS AUREÆ.

M. Tullii Ciceronis opera omnia cum Commentariis Manutiorum, & aliorum. Venetiis in folio, anno 1583.

Ejuſdem Opera omnia, edente Alexandro Scoto, Lugduni in 12. anno 1588. quibus reſpondet Index Nizolianus ab eodem Scoto interpolatus, quem inſcripſit Apparatum Latinæ locutionis: in cujus priore editione prodigioſi errores magno numero inveniuntur, quos haud ſcio an in poſteriore ſuſtulerit. Eidem Indici reſpondet editio Lambini, in fol. Genevæ, 1616.

Cicero-

Ciceronis opera omnia correctiſſima ex Iani Gruteri recenſione. Hamburgi, 1620.

Ciceronis epiſtolæ familiares cum Freigii notis in 8. Francofurti apud VVechelum, 1592.

Ciceronis orationum Tomi tres cum ejuſdem Freigii notis in 8. Ibidem, 1592.

Plauti Comœdiæ cum commentario Taubmanni in 4.

Terentii Comœdiæ cum commentario Donati & Eugraphii in 4. Pariſiis 1602.

Auguſtini Gambarelli Index in Terentium, Bergomi in 8.

Ennii Fragmenta collecta & illuſtrata ab Hieronymo Columna in 4. Neapoli 1590.

Ennii Annales editi à Paulo Merula in 4. Lugduni Batavorum.

Lucillii fragmenta collecta à Franciſco Douſa in 4. Lugduni Batavorum.

Fragmenta veterum poëtarum edita ab Henrico Stephano, in 8.

Fragmenta Hiſtoricorum collecta ab Antonio Auguſtino cum notis Fulvii Urſini, Antuerpiæ in 8. apud Plantinum anno, 1595.

Lucretii poëmata cum Commentariis Dionyſii Lamb ni, Francofurt. in 8.

Lucretius cnm indice & obſervationibus Oberti Gifanii in 8. Lugduni Batavorum.

Cæſaris opera cum variorum notis, Francofurti, 1606, in 4.

Cornelii Nepotis liber cum, Comment. Lambini & aliorum, editus ab Andrea Scotto in fol. Francof. 1608.

Catullus, Tibullus, Propertius, cum Comment. variorum, in fol. 1615.

Catullus, Tibullus, Propertius cum ſummi viri Ioh. Paſſeratii notis & Conmentario in

Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Propertium, Pariſiis in folio, anno 1608. & niſi fallor in 4. Hanoviæ.

Catullus, Tibullus, Propertius, cum Indice Horatii Tuſcanellæ, Baſileæ in 8. 1592.

Varronis opera omnia cum notis Ant. Auguſtini, Ioſephi Scaligeri, Pet. Victorii, Pariſiis in 8. anno 1585.

Varronis opera ex editione Auſonii à Popma, Lugduni Batav. in 8.

Varronis de Lingua latina editio nova, recenſente Scioppio in 8. Ingolſtadii 1605.

Virgilii opera cum Comment. Servii ex bibliotheca Petri Danielis & G. Scioppii, Pariſiis in fol. anno. 1600.

Virgilii opera cum Comment. Iacobi Pontani Ieſuitæ, qui niſi fallor libros Æneidos paraphraſtice expoſuit, ſicut prius Nicodemus Friſchlinus Bucolica & Georgica: quod genus explanationis adoleſcentibus ſtudioſis eſt utiliſſimum, Auguſtæ fol.

Virgilii opera cum Comment. Ioan. Ludovici de la Cerda Ieſuitæ doctiſſimi, Lugduni.

Ioann Pierii Valeriani Caſtigationes in Virgil. Romæ in fol. anno 1521. & Baſileæ 8. 1541.

Varia lectio in Virgilium, Paulo Gabiano Collectore, Brixiæ in 8. anno 1565.

Horatii opera cum commentar. Lambini & Theodori Marſilii, Paris. fol.

Salluſtii opera cum notis & comment. variorum, edente Iano Grutero in 8. Francofurti.

Livius ex editione Iani Gruteri 1609. & Franciſci Modii, Francofurti.

Trogi Pompeji hiſtoriæ à Iuſtino abbreviatæ cum Modii & Bongarſii notis, Franofurti, in 8.

Horatii opera cum paraphraſi, Federici Ceruti Veronæ in 4.

Virgi-

Virgilius cum Erythræi Indice in 8. apud Comelinum anno 1599. & Francofurti anno 1583.

Cato, Varro, Columella, Palladius, rei ruſticæ Scriptores cum Victorii, Urſini & aliorum notis. Heidelbergæ, apud Comelinum in 8. anno 1593.

Catonis opera quæ exſtant ab Auſonio Popma collecta & reſtituta, Lugd. Bat. 8. 1590.

Virgilii appendix cum Catalectis veterum Poëtarum, & notis Ioſephi Scaligeri Lug. Bat. in 8.

Marci Vitruvii Pollionis de Architectura & in eum Commentar. Gulielmi Philandri editus, ni fallor, Lugduni in 4. anno 1587. Item cum comment. Danielis Barbari, Venetiis in fol. anno 1567.

Bernardi Baldi Urbinatis de Vitruvianorum verborum ſignificatione. Auguſtæ in 4. 1612.

Ovidii opera cum comment. variorum, Francofurti, in fol. anno 1601.

Ejuſdem Metamorphoſis, Triſtia & de Ponto cum Comment. Iacobi Pontani.

Ætatis Argenteæ.

Curtii hiſtoria cum Franciſci Modii & Valentis Acidalii Notis.

Vellejus Paterculus, à Jano Grutero recenſitus, niſi fallor. Exſtant in eum notæ Aldi Manutii, Scheckii, Lipſii, Acidalii & Claudii Puteani.

Valerius Maximus cum Pigii, Lipſii, Coleri, forſan & Gruteri notis.

Cornelius Celſus de re medica.

Dictys Cretenſis de bello Trojano cum Ioſiæ Merceri notis, Pariſiis.

Phædri Auguſti liberti Fabulæ, cum Rittershu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſii notis in 8. Lugd. Batav. anno 1597. & Pariſiis cum Rigaltii notis.

Mythologici Latini, in quibus familiam ducit C. Iulius Hyginus Auguſti libertus, qui ſæpius plebejam loquendi conſuetudinem amplecti videtur, quod etiam patronum ejus facere ſolitum ex Suetonio & Chariſio diſcimus. Editi ſunt à Comelino in 8. anno 1599.

Senecæ Rhetoris & Senecæ philoſophi opera cum Pinciani, Mureti, Gruteri, Fabri, Iureti, Lipſii & Schotti notis. Pariſiis, atque haud ſcio an & alibi edita.

Senecæ Tragœdiæ cum Commentario M. Antonii Del Rio.

Perſii Satyræ cum Vineti, Pithœi, Marcilii, &c. notis in 4. Pariſiis, anno 1613.

Perſius cum Paraphraſi Federici Ceruti, Veronæ in 4. anno 1600.

Lucanus cum Comment. Hortenſii & Ioannis Sulpitii, Baſileæ in fol. 1578.

Aſconius Pedianus in Ciceronem cum Hottomanni notis, Lugduni in 8. anno 1551.

Columella cum Varrone & Palladio de re ruſtica, & in omnes Fulvii Urſini, Victorii, aliorumque notæ, apud Comelin. 8. anno 1593.

Pomponius Mela & Iulius Solinus ex emendatione Andreæ Schotti in 4. Antuerpiæ 1582.

In eundem Melam à ſe recognitum Petrus Ciacconius commentarium, ſi ſatis memini, reliquit, quem vidiſſe videor Madriti apud D. Ioannem Fonſecam.

Perſius cum Caſauboni comment. Paris. in 8. anno 1615.

Petronius cum variorum notis & obſervationibus in 16, & 12. Lug. Bat. & Pariſiis.

M. Manilii Aſtronomicon libri quinque cum Ioſephi Scaligeri. comment. Pariſ. in 8. anno 1579.

Gratii

Gratii Cynægeticon editum à Petro Pithœo Pariſiis inter poëmatia vetera.

Ætatis Ænea.

M.Fabii Quinctiliani Oratoriæ Inſtitutiones à Gallandio editæ Paris. in fol. 1549. aut Genevæ apud Iacobum Stoer in 8. anno. 1604. una cum Declamationibus eidem tribui ſolitis.

Iuvenalis Satyræ cum Comment. & notis variorum, Pariſ. in 4. anno 1613.

Iuvenalis cum paraphraſi Federici Ceruti, Veronæ in 4. anno 1599.

Plinii majoris hiſtoria naturalis à Iacobo Dalecampio recognita Francofurt. in 8. anno 1618. donec prodeat Petri Ciacconii Toletani Plinius, qui ſuperioribus annis apud Ludovicum Caſtellam ſervabatur, nunc ut ſuſpicor, eſt penes D. Ioannem Fonſecam.

Plinii minoris epiſtolæ cum Commentar. Ioan. Mariæ Catanei, Genevæ anno 1600.

Plinii epiſtolæ & Panegyricus cum Minois & Caſauboni notis.

Suetonius cum Torrentii, Caſauboni, Gruteri, aliorumque notis & commentariis.

Tacitus cum variorum notis editus à Iano Grutero, in 8. Francofurti, anno 1607, aut in fol. Pariſiis 1608.

Flori hiſtoria cum variorum notis & caſtigationibus in 8. apud Ioan. Vignonium & Hieron. Comelinum. Puto editum etiam à Grutero.

Statii poëmata cum veteris Grammatici commentario ex bibliotheca Fr. Pithœi Pariſiis in 4. anno 1600,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Statius unà cum omnium veterum & novorum comment, & notis, Pariſiis in 4. anno 1618.

Valerius Flaccus cum Ludovici Carrionis notis, Antuerpiæ in 16. apud Plantinum.

Sulpitii Satyra reperitur in libello, quo continentur Epigrammata & poëmata vetera ex bibliotheca, ni fallor, Petri Pithœi edito Pariſiis in 16. anno 1590.

Maritalis cum Indice & Commentar. variorum, Pariſiis in 4. Anno 1601.

In Martialem ſcripſerunt etiam Raderus, Ramirez, Gruterus, alii.

Silius Italicus cum doctiſſimi pueri Danielis Heynſii Crepundiis, Lugduni Batavorum apud Raphelengium.

Solinus editus à M. Antonio Del-rio apud Plantinum, & cum Mela Schotti 1582.

Frontini Strategemata edita ſunt una cum Vegetio, Pariſ. in 4. anno 1607.

Ejuſdem de Aquæ-ductibus & Coloniis libelli editi ſunt ab Onuphrio Panvinio in Commentariis reipub. Romanæ, Pariſ. in 8. anno 1588.

Ætatis Ferreæ.

A Gellii, quem vulgo Aulum Gellium vocant. Noctes Atticæ cum Henrici Stephani animadverſionibus, Pariſiis in 8. anno 1585.

Appuleji opera cum Petri Colvii Notis, Antuerpiæ in 8. Apud Plantin. anno 1588.

Appulejus cum Beroaldi comment. & notis, Stevechii in 2. Banſieæ.

Appulejus cum Vulcanii notis in 8. Lugduni Batav. anno 1594.

In Appuleji opera Symbola Critica Scioppii in 8. Auguſtæ 1605.

Tertul-

Tertullianus cum comment. Iacobi, Pamelii & aliorum notis Colon. in folio anno 1617. & Pariſiis 1616.

Arnobius & Minutius Felix emendati à Petro Ciacconio & Fulvio Urſino, Romæ in 4. anno 1583. quorum pleraſque conjecturas alii poſtea in Belgio pro ſuis venditarunt.

Vegetii & Frontini militaria cum Comment. Godeſcalci Stevechii, &c. in 4. Pariſiis anno 1607.

Vegetii de re veterinaria ſive Mulo medicina, edente Iohan. Sambuco in 4. anno 1574.

Panegyrici duodecim à Grutero, Acidalio & Rittershuſio recogniti, Francofurti in 16. anno 1607.

Rhetores antiqui ex bibliotheca Fr. Pithœi quorum Rutilius Quintiliano eſt antiquior Pariſiis in 4. anno 1599.

Lactantius cum Michaëlis Thomaſii notis, Antuerpiæ in 8. anno 1568.

Cenſorinus de die Natali, cum Aldi Manutii notis, Veneriis in 8. anno 1581.

Aurelius Victor cum Andreæ Schotti notis, Antuerpiæ 1579. in 8.

Symmachi epiſtolæ cum Caſp. Scioppii notis, Moguntiæ in 4. anno 1608. cumque Fr. Iureti comment. Paris. in 4. anno 1604.

Macrobius cum Ioani Iſacii Pontani notis, Lug. Batavorum in 8. anno 1597.

Auſonius cum Eliæ Vineti Comment. in 4. cumque Ioſ. Scaligeri notis in 8. aut 16.

Prudentius cum Victoris Giſelini notis in 8. Antuerpiæ.

Claudianus cum M. Antonii Del-rio notis, Antuerpiæ in 8.

Calphurnii & Nemeſiani poëmata Robertus Titius cum notis edidit Florentiæ in 4. quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quoque exſtant inter Epigrammata & poëmata vetera, edita Pariſiis in 16. anno 1590.

Ammianus Marcellinus editus à Lindenbrugio, Hamburgi in 4. anno 1609.

Iulii Obſequentis de Prodigiis, Lugduni in 16. anno 1588.

Apicius de re Culinaria cum Gabrielis Humelburgii notis, Tiguri in 4.

Martianus Capella cum Hugonis Grotii notis, Lug. Batavor. in 8. anno 1600.

Iulii Firmici de errore profanarum religionum editus à Ioanne VVoverio, Hamburgi in 8. anno 1605.

Boëthius de Conſolatione Philoſophiæ editus à Rittershuſio Lug. Batavorum 1600.

Q. Sereni Sammonici carmen de Medicina exſtat inter poëmata vetera, Pariſiis anno 1590. edita, ut & Rutilii itinerarium & Sympoſii Ænigmata, quæ poëmata ſeparatim quoque exſtant.

Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, Spartianus, Lampridius, Trebellius Pollio, Capitolinus, Vulcatius & Vopiſcus, cum doctiſſimis Iſaaci Caſauboni, & literarum principis Claudii Salmaſii Comm. qui Salmaſius multa alia edidit, quæ doctorum omnium puncta tulerunt, ſed mihi necdum viſa.

Ætatis incertæ aut variæ.

Auctores finium regundorum cum Nicolai Rigaltii obſervationibus, qui etiam de ſingulorum ætate in præfatione monet, editi Pariſiis in 4. anno 1614.

Medici Latini veteres Cælius Aurelianus, qui Galeno antiquior videtur, Scribonius Largus & Marcellus Empiricus exſtant in corpore Medicorum, edito Genevæ.

In

Inſcriptionum antiquarum volumen ingens, Iani Gruteri, apud Comelinum in fol. anno 1602.

Grammatici & Critici veteres.

VArro & Pedianus non modò Grammatici ſunt, ſed etiam auctores linguæ, quos quis tutò imitetur, præterquam ubi nimis antiquarius eſt Varro, & Pedianus à poſterioribus interpolatus. Agellius ei, qui confirmati ſit judicii, etiam ipſe aliquid imitatione non indignum ſuppeditare queat. Poſterioribus tantum creditur, quantum ex locupletium auctorum ſcriptis probant.

Feſtus ex Verrio Flacco de verborum ſignificatione cum Auguſtini, Scaligeri, Urſini & aliorum notis, Pariſiis in 8. anno 1584.

Nonius Marcellus, & Fulgentius Placiades, cum variorum notis, Pariſ. in 8. anno 1583. item 1614.

Servius in Virgilium ex bibliotheca Petri Danielis, Paris. anno 1600.

Philargyrius in Virgilium conjunctus eſt cum Danielis Servio, editus priùs à Fulvio Urſino cum notis, inſcriptores rei ruſticæ. Romæ in 8. anno 1587.

Donatus & Eugraphius editi ſunt cum Terentio in 4. Pariſ. anno 1602.

Acron, ſeu quiſquis eſt Horatii vetus ſcholiaſtes, editus eſt à Iacobo Cruquio cum Horatio in 4. Antuerpiæ apud Plantinum.

Scholiaſtæ veteres in Perſium & Iuvenalem editi ſunt cum ipſis auctoribus, Pariſiis in 4. anno 1613. & apud Comelinum in 8. 1590.

Interpres vetus Statii cum ipſo poëta editus eſt Pariſiis in 4. anno 1600. & 1618.

Grammatici & Critici recentiores.

CHariſius, Diomedes, Priſcianus, Victorinus, Terentianus, Longus & alii ſimul editi ſunt ab Helia Putſchio in corpore Grammaticorum, Hanoviæ in 4. anno 1605. quorum nonnulli inter veteriores locum habere poſſunt.

Grammatici & Critici noviſſimi.

GLoſſaria Philoxeni & aliorum cum B. Vulcanii notis, Lug. Batavorum in folio.

Gloſſæ Iſidori cum reliquis ejus operibus editæ ſunt etiam cum Philoxeno.

Gloſſæ Placidi unquamne typis deſcriptæ exierint, neſcio.

Theſaurus linguæ Latinæ quatuor Tomis, Lugduni fol. 1573. Hoc Lexicon eſt omnium optimum, etſi nec paucis, nec levibus erroribus vacuum. Proximè accedit Forum Romanum Cælii Curionis, ni fallor, tribus Tomis, Baſileæ in fol. Et Theodoſii Trebellii promtuarium, itidem Baſileæ, anno 1545. editum: tum Theſaurus ſive Ærarium Latinæ linguæ à Ludovico Lucio, Francofurti fol. 1613. Sed ridiculum veréque Abderiticum eſt de Scriptoribus Latinis judicium neſcio cujus, inter inelegantes & imperfectos Plautum, Terentium & Lucretium; inter perfectos autem & elegantiſſimos Varronem & Salluſtium; inter poſtremos & deficientes Valerium Maximum, Senecam & Curtium, velut Appuleji æquales recenſentis.

Ambroſii Calepini Lexicon quovis ſuperiorum eſt deterius, etiam illud, cui avaritia Typographi nomen Ioan. Paſſeratii cum maxima doctiſſimi viri injuria præſcribere nihil dubitavit.

Ni-

Nizolii in Ciceronem Index, à Iacobo Cellario recognitus. Baſileæ in fol. 1595.

Roberti Conſtantini ſupplementum linguæ Latinæ, Lugduni in 4. anno 1573.

Barnabæ Briſſonii Lexicon Iuris, Pariſiis in fol.

Ejuſdem de Formulis ſive ſollemnibus populi Romani verbis, Francof. in 4.

Adriani Iunii Nomenclator in 8. Antuerpiæ & Francofurti.

Hadriani Cardinalis de ſermone Latino, Coloniæ in 8.

Franſciſci Sylvii Progymnaſmata in artem Oratoriam, Venetiis in 8. anno 1548. & Coloniæ in 12. anno 1589.

Antonii Schori Phraſes linguæ Latinæ, Argentinæ & Coloniæ in 8.

Chriſtiani Becmanni Origines linguæ Latinæ, VVitebergæ in 8. anno 1613.

Q. Marii Corradi de lingua Latina, Bononiæ in 4. anno 1575.

Ejuſdem de copia Latini ſermonis, Venetiis in 8. anno 1582.

Thomæ Linacri de emendata ſtructura Latini ſermonis.

Laurentii Vallæ elegantiæ latinæ linguæ.

Ejuſdem Antidotus in Pogium, Randenſem & Facium unà cum Elegantiis, Baſileæ 4.

Auguſtini Saturnii Mercurius major, Baſileæ in 8. anno 1546.

Iulii Burdonis, qui ſe Iulium Cæſarem Scaligerum vocat, de cauſis linguæ Latinæ, Lugduni in 4. anno 1540. & apud Comelinum in 8. anno 1609.

Franciſci Sanctii Brocenſis Hiſpani Minerva, ſive de cauſis linguæ Latinæ: quo libro meruit auctor communis literatorum omnium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

pater & doctor appellari. Salmanticæ in 8. anno 1587.

Ejuſdem Latina Grammatica omnium abſolutiſſima, eademque breviſſima. Salmanticæ in 8. anno 1587.

Ejuſdem Annotationes ad Virgilii Bucolica, Salmanticæ in 8. anno 1591.

Ejuſdem Paradoxa & de Auctoribus interpretandis ſive de Exercitatione, Antuerpiæ apud Plantinum in 8. anno 1582.

Ejuſdem Pentecontarchus à Laurentio Ramirez de Prado alicubi interpolatus, & editus Antuerpiæ in 4. anno 1612.

Nicodem Friſchlini Grammatica Latina, Francof. in 8. anno 1599.

Auſonii Popmæ de differentia verborum, deque uſu antiquæ locutionis, Lugduni Batavorum in 8. anno 1606.

Godeſcalci Stevecchii de particulis linguę Latinæ, Coloniæ in 8. anno 1581.

Horatii Turſellini de particulis linguæ Latinæ, Romæ & *Moguntiæ* in 16.

Theſaurus Criticus editus à Iano Grutero, cujus primo Tomo continentur opuſcula Critica Angeli Politiani, M. Antonii Sabellici, Philippi Beroaldi, Iohannis Bapiſtæ Egnatii, Domitii Calderini. Ioannis Baptiſtæ Pii, Cornelii VVitelli, Iacobi à Cruce, Pii Antonii Bartolini Iani Parrhaſii, viri in Latinis ac Græcis literis conſummatiſſimi, maximoque cum acumine, tum judicii elegantiâ præditi, Franciſci Floridi, qui & ipſe non facile cuiquam literatorum ſit ſecundus, Laurentii Abſtemii, Lucii Ioannis Scoppę, Ptolemęi Flavii, Petri Nannii & Franciſci Robortelli. Francofurti in 8. anno 1602.

Theſauri Critici Tomus ſecundus, in quo ſunt opuſcula Fr. Robortelli, Caroli Sigonii, Anto-

Antonii Bendinelli, Bernardini Realini, Lilii Gyraldi, Ioan. Brodei, Chriſtophori Rufi, Ioan. Hartungii, Petri Pithœi, Lucæ Fruterii, Achillis Statii, M. Antonii Mureti & Hieronymi Magiri, Francofurti, in 8. anno 1604.

Theſauri Critici Tomus tertius, in quo ſunt opuſcula Pauli Leopardi, Bartol. Barrienti, Franciſci Luiſini, Gulielmi Canteri, Theodori Canteri, Ludovici Carrionis, Iani Durantii Caſellii, Iani Gulielmii & Marſilii Cognati. Francofurti, in 8. anno 1604.

Theſauri Critici Tomus quartus, in quo ſunt opuſcula Ioan. Brodæi, Ioachimi Camerarii, Aldi Manutii, Adriani Iunii, Ioſephi Caſtalionis, Iani Melleri Palmerii, Ioan. Iacobi, Scheckii, Francof. in 8, anno 1605.

Theſauri Critici Tomus Sextus, in quo ſunt opera Valentis Acidalii & Marcelli Donati, hominis ſemidocti quidem, ſed induſtrii. Francof. in 8. anno 1606.

Theſauri Critici Tomis ſecuturis comprehendi poterunt opuſcula Budęi, Briſſonii, Petri Fabri, Nicolai Fabri, Petri Pithœi, Andreæ Alciati, Antonii Auguſtini, Petri Ciacconii, Fulvii Urſini, Sebaſtani Corradi, Antonii Riccoboni, Ioſephi Caſtalionis, Andreæ Schotti, Hieron. Mercurialis, Scipionis Gentilis, Deſiderii Heraldi, Martini de Royas, Roberti Titii, Erycii Puteani, Philippi Rubenii, Henrici Stephani, Ioannis Meurſii, & ipſius in primis Gruteri Suſpicionum libri, tum aliorum recentiorum, quos mihi nondum videre contigit.

Nicolai Loënſis Miſcellanea, Francofurti in 8. anno 1607.

Adriani Turnebi opera, Argentinæ in fol. anno 1600.

Petri Victorii variæ lectiones.

Iacobi Cujacii opera.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Iuſti Lipſii opera.

Io:ephi Burdoſcaligeri opuſcula poſthuma, Pariſ. anno 1610.

Claudii Salmaſii opera omnia.

Ioannis Roſini antiquitates Romanæ ex variis collectæ, cum Dempſteri auctario. Ioannis Glandorpii Onomaſticum hiſtoriæ Romanæ Francof. in folio, anno 1589.

Lexicon Philologicum Matthiæ Martinii, Bremæ in fol. 1623.

Onuphrii Panvinii Imperium & Reſpub. Romana.

Petri Iohannis Nunneſii Grammatiſtica & Grammatica Græca.

Alexandri Scoti Grammatica Græca.

CONSULTATIO TERTIA,

De Scholarum Claſſicarum Informatione.

PRimum conſtituendus eſt proximus harum Scholarum Finis, tum qua via ad eum quam compendioſſimè perveniri queat, conſiderandum.

Finis eſt, ut qui jam legere Latinè didicerunt & ad Scholas accedunt, uno quadriennio non modo linguam Latinam probe intelligant, & cum Grammaticæ Regulis, tum auctorum conſuetudini congruenter Latine ſcribant, ſed etiam Logicam, Rhetoricam, Phyſicam & Metaphyſicam, hoc amplius autem Ethicæ & Politicæ elementa ſic addiſcant, ut idonei ſint qui Profeſſoribus Academicis Philoſophiam, Theo-

Theologiam, Iuriſprudentiam & Medicinam docentibus multo, quam alii, melius & fructuoſius operam dare poſſint. Simul tamen priore biennio in Doctrina Chriſtiana ſic erudientur, ut Catholicæ fidei fundamenta firmiſſimè teneant, nulloque negotio ejus, quod credunt, rationem reddere, & Hæreticis, ſicubi uſus veniat, ſilentium poſſint imponere.

Medium ejus finis conſequendi eſt cum Scholarum, tum magiſtrorum informatio.

Informatio Scholarum.

Scholarum quatuor claſſes ſunto. Prima, qua primo anno diſcantur prius Nominum & Verborum Paradigmata, tum Mercurii bilinguis ſententiæ per octo vel novem menſes: reliquis tribus aut quatuor menſibus diſcantur Grammaticæ Rudimenta, ſive Regulæ Etymologiæ & Syntaxeos. Omnibus autem Sabbathis aliquid ediſcent ex libello Erotematum de Fidei Catholicæ fundamentis, Pontificis & Imperatoris auctoritate in Germania edito.

Secunda, qua ſecundo anno prælegantur faciliores Ciceronis epiſtolæ, Cornelii Nepotis vitæ, Terentii Comœdiæ, Ovidii Triſtia & de Ponto, & Phædri fabulæ Æſopicæ. Simul etiam explicabuntur regulæ Proſodiæ, & omnibus Sabbathis aliquid de fidei Catholicæ fundamentis proponetur. quotidie autem de vernaculis Latina facta corrigentur.

Tertia, qua tertio anno diſcatur illa pars Propædiæ Logicæ, quæ ad Rhetoricæ intelligentiam eſt neceſſaria, idque tribus menſibus: tum integra Propædia Rhetorica ſex menſibus, tandem quæ in Logicis ſunt reliqua, unà cum Pervigilio

bonæ mentis, ſive Introductione in Ethicam, & Phyſicis Inſtitutionibus. Simul autem quotidie exercebuntur Latinè ſcribendo, id eſt, ex vernaculis Latina faciendo unâ horâ. Quorum ingenia à poëticis non abhorrent, etiam verſibus ſcribendis exercebuntur.

Quarta, qua quarti anni primo ſemeſtri Syſtema Phyſicum, altero Metaphyſicum auditoribus ſine ulla dictatione declaretur, ſimulque auditores Analyſi & Geneſi exerceantur, ut nimirum in Ciceronis orationibus Horatii Odis, Propertii Elegiis, & Logicum & Rhetoricum artificium explicent, propoſitoque ſibi epiſtolæ, orationis, aut carminis argumento, ipſi ſuo Marte aliquid componere aſſueſcant. Simul autem Politicæ elementa, & adjumenta, id eſt, Chronologiam & Geographiam cognoſcent, ſi eis Turſellini Hiſtoriarum epitome prælegatur, & ex Phyſico Syſtemate ea declarentur, quæ ad Cœleſtem & Terreſtrem mundi Sphæram ſive globum pertinent.

Qui diſcipuli ad quas Scholas admitti debeant.

QUicunque ad Scholas admitti poſtulat, primum omnium explorabitur, num Ciceronis Epiſtolas Marte ſuo interpretari, ſciat. Si ſciat, admittetur ad ſecundam claſſem, ubi nullo negotio Syntaxeos regulas & figuras ediſcet, ac Latine ſcribendo exercebitur, donec ad tertiam claſſem tranſlatus Logicæ & Rhetoricæ operam dare poſſit. Sin neſciat, in prima claſſe retinendus erit, donec omnes Mercurii ſententias intelligat, nominaque omnia ac verba inflectere, cum etymologiæ & Syntaxis regulis didicerit.

Quod ſi jam alibi Rhetoricam didicit, in tertiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tiam admittetur, ut Logicam diſcat, & poſtea per Analyſin & Geneſin exerceatur.

Informatio Magiſtrorum,

DEcem omnino Magiſtrorum opera in Scholis iſtis requiritur.

Grammatiſtæ duo, unus Doctor, alter Exactor ſeu Repetitor: quorum munus erit, ut in prima claſſe Paradigmata, Sententias & Grammaticæ Rudimenta doceant.

Grammatici tres in ſecunda claſſe, unus Auctorum interpres, duo Correctores ſive emendatores ſtyli, qui quotidie Compoſitiones diſcipulorum corrigant, indicando eis, ſi quid cum etymologiæ aut ſyntaxeos præceptis non congruat.

Doctor Logicæ & Rhetoricæ in tertia claſſe; idemque exeunte anno myſtagogus ſive introductor in Ethicam & Phyſicam.

Philoſophus Phyſicus & Metaphyſicus in quarta claſſe: cujus etiam erit exeunte anno auditoribus declarare Sphæram cœleſtem & terreſtrem, & hiſtoriarum epitomen prælegere, tum Politicæ elementa præcipere.

Rhetores duo in quarta claſſe, alter Analyſeos ſeu Reſolutionis, alter Geneſeos ſeu Compoſitionis. Reſolutionis Magiſtri hoc opus habebunt, ut quotidie veterum auctorum opera interpretentur, & Logicum ac Rhetoricum in iis artificium oſtendant, ut appareat diſcipulis, quomodo auctores antiqui artis Logicæ & Rhetoricæ præceptis in ſcribendo uſi fuerint. Compoſitionis Magiſtri hoc opus habebunt, ut compoſitionum argumenta ſeu materias diſcipulis dictent, & corrigant, quæ illi ſeu verſa aut ligata, ſeu proſa aut ſoluta oratione conſcripſerint.

Catechiſtes, idemque Sacerdos Pœnitentiarius,

rius, ſive à Confeſſionibus, cujus munus erit omnibus Sabbathis Erotemata de fidei Catholicæ fundamentis præcipere & interpretari in prima & ſecunda claſſe.

Indiculus librorum, quibus Magiſtros inſtructos eſſe oportet.

OMnes illi Latini auctores, quorum Syllabus in ſecunda Conſultatione fuit expoſitus.

Ciceronis epiſtolæ familiares cum Iohannis Thomæ Freigii notis, item cum Italica interpretatione Fabrini.

Terentius Fabrini.

Horatius Fabrini.

Virgilius Fabrini.

Ciceronis orationes, cum Freigii annotationibus.

Ciceronis epiſtolæ & orationes cum Manutii Commentariis.

Huberti Giſanii Obſervationes linguæ Latinæ.

Hadriani Cardinalis de Latino ſermone.

Antonii Schori Phraſes linguæ Latinæ.

Manutii Elegantiæ.

Ærarium ſive Theſaurus Linguæ Latinæ Ludovici Lucii.

Calepinus Iohannis Paſſeratii.

Nizolii Index in Ciceronem.

Baſilii Fabri Theſaurus Scholaſticæ eruditionis.

Onomaſticon Romanum.

Ludovici Vivis Dialogi, ſive Exercitationes Linguæ Latinæ.

Franciſci Sanctii Brocenſis Minerva, ſive de cauſis Linguæ Latinæ.

Gaſp. Scioppii opera Philologica & Philoſophica.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

De Lingua Græca.

QUoniam in Italia Græcæ linguæ doctores vix inveniuntur, ac ſiqui ſunt, ſoli in ſcholis relinquuntur, otioſum & inane mihi viſum eſt de Linguæ illius diſcendæ rationibus quicquam hic afferre. Siqui tamen ſunt, quos Sapientiam & Prudentiam ex ipſo Græcorum ore haurire juvat, omnia verò Interpretum fidei credere diſpudet, eis auctor ſum, ut cum Ianuæ linguarum, ſeu Mercurii ſententiæ Græcè converſæ exierint (ſicut propediem eas unà cum Hebræa verſione exituras confido, ac jam ſub prelo eſſe audio) eandem iis addiſcendis rationem obſervent, quam à Mercurio Bilingui Latinam diſcere aventibus præmonſtratam videbunt. Græcam Tſchonderi Grammaticam qui nanciſci poterit, magno Paradigmata multaſque regulas ediſcendi labore levatum ſe lætabitur.

CONSULTATIO QUARTA, De Cauſis Grammaticæ Philoſophicæ in Scholas introducendæ;

SIVE

Septem Rationes, quæ conſcientiis Epiſcoporum religionem ſive ſcrupulum injicere debent, ne veterem Grammaticam diutius in ſcholis tolerare, ſed novam in eas introducere velint.

I.

VEtus Grammatica plena eſt fraudibus & mendaciis. Turpe verò eſt permitti, ut pueris tantus mendaciorum numerus à Magiſtris, præcipuéque Clericis inſtilletur.

Animad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Animadverſio.

EXempli gratia: *Nomina arborum & urbium ſunt generis feminini*. Hoc manifeſtè falſum eſt, cum & ratio philoſophica, & locupletum ſcriptorum auctoritas vincat, iſtiuſmodi nomina non habere genus, niſi ex regula terminationis, vel vi ſignificationis. Ut *Mediolanum magna* dicitur, quia ſignificatur & ſubauditur *Urbs*, cum alioqui vi terminationis Mediolanum ſit genere neutrum. Sic Virgilius *Altum Præneſte* dixit ſignificans *Oppidum*, & *Sub ipſa Præneſte*, ſignificans *Urbem*. Ita *Hæc Corinthus* dicitur, quod *Urbs* ſignificetur, cum alioqui *Corinthus* per terminationis regulam ſit Maſculinum, quomodo à Propertio & Vellejo uſurpatum videmus. Priſcianus lib. 5. teſtatur, veteres dixiſſe *Hic cupreſſus, platanus, laurus, ulmus, populus*, propter terminationem: eadem tamen ut feminina efferuntur propter ſignificationem, cum *Arbor* in iis ſignificetur. Hac de re videatur Grammatica philoſophica pag. 108. An ergo non erubeſcendum eſt Chriſtianis, quod pueros cogunt mendacia credere & ediſcere? Nec refert, quod mendacia iſta ſint de rebus frivolis. Nam ſaltem mentiendi conſuetudo non eſt frivola, cum ſit homine Chriſtiano prorſus indigna, nec ejus culpam ulla vel neceſſitatis, vel utilitatis elevet excuſatio. Ac tanto nunc turpius eſt mendacia illa tolerare, poſtquam eorum falſitas publicè fuit retecta & convicta. nec enim jam ignorantia quemquam culpâ liberat, cum præſertim planum factum ſit, quantum detrimenti privatim ac publice importet, omnis liberalis doctrinæ fundamentum in mendaciis jeciſſe.

Vete-

II.

Veteris Grammaticæ mendacia ingentibus & ſupervacuis laboribus juventutem onerant, & ingenia excarnificant.

Animadverſio.

NImirum in Emanuele Alvaro de ſola Syntaxi Nominum, Verborum & Participiorum quingentæ inveniuntur Regulæ cum tot Exceptionibus, Appendicibus & Obſervationibus, ut diſcentem videantur ad inſaniam aut ſuſpendium poſſe adigere. quod contra Grammaticæ philoſophicæ *Syntaxis regularis* quindecim regulis abſolvitur, idque ſine ulla exceptione. Itaque nihil eſt factu proclivius, quam ut pueri, etiam illi, qui aliam quamvis Grammaticam jam didicerint, unam indies regulam ediſcant, quod homo ætate jam provectior, nec philoſophica ignarus, vel una hora fecerit, ſine ullo regulas obliviſcendi periculo. Aliis quindecim diebus pueri in diſcenda *Irregulari* ſeu *Figurata Syntaxi* occupabuntur: quo facto omnium quæ in Latinis auctoribus inveniuntur rationes, expeditius reddent, quam non modo Ieſuitarum diſcipuli, ſed ipſi etiam Magiſtri, immò verò quam quivis alius, qui vel triginta annos in linguæ Latinæ ſtudio & exercitio conſumſerit.

III.

Eadem mendacia plurimum temporis auferunt diſcipulis, quod vel ſtyli exercitio, vel aliis diſciplinis utilius tribuerent.

Animadverſio.

OBſervato diſcendi ordine, quem novæ Grammaticæ auctor præſcribit, ut prius ſcilicet ope ac beneficio noviciæ inventio-

nis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nis octo aut novem menſibus pueri Latinam linguam intelligere diſcant, tum ad Grammaticam accedant, omnium primum pueri unius anni ſtudio cum linguæ intelligentiam, tum Grammaticæ memoriam conſequentur. Deinde alio anno legendis facilioribus linguæ auctoribus, & ſcribendo exercebuntur, ſicque idonei fient ad ſcholas Philoſophiæ, Iuriſprudentiæ & Theologiæ practicæ, ſive Caſuum Conſcientiæ, modò per ætatem alioqui ſint capaces. Tertio anno prius *Logicam* Scioppii, tum *Rhetoricam* addiſcere poterunt. Cujus rei experimentum in mediocris ingenii puero Germano ſexdecim annos nato captum fuit, qui duobus ſolis menſibus Logicam & Rhetoricam perfectiſſimè edidicit, & ad publicas Philoſophorum acroaſes admiſſus longè melius Magiſtrum intellexit, quam alii, qui jam Curriculi philoſophici dimidium confecerant. Quarto anno Pædiæ *Scioppianæ Phyſicam & Metaphyſicam* ſic addiſcent, ut rerum multo plus ſciant, quam aliarum ſcholarum diſcipuli, tametſi non æque exercitati erunt in nonnullis Quæſtionibus; quarum tamen nullus uſus eſt, niſi ei, qui eaſdem in ſcholis alios docere, aut de iis altercando exerceri velit. Ita quatuor annorum ſpatio qui nec verbum Latinum intellexerat, cum Latinè minime vulgariter doctus, tum in omni philoſophia ſatis exercitatus invenietur: neque id alia ex cauſa, niſi quia tempus prudenter fuit diſpenſatum, neque vel falſis, vel obſcuris, vel longis, vel confuſis, vel otioſis & ſupervacuis præceptis inutiliter conſumtum. Iam igitur Epiſcopi cogitent, quam Chriſto pro ſe rationem reddituri ſint, qui juventutem tanto tempore defraudari patiuntur, cum ignorare haud poſſint, Temporis jacturam eſſe omnium

graviſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

raviſſimam, omninóque irreparabilem, ac nullo
uri pondere exæquari poſſe.

IV.

Eadem Grammaticæ veteris mendacia innu-
nerabilium hominum marſupia exenterant, qui
non ſine maximo rei familiaris intertrimento
omplures annos in Grammatico pulvere con-
umunt.

Animadverſio.

VIx quiſquam eorum, qui ad ſcholas publicas erudiendi gratiâ mittuntur, ante exactum ſeptimum annum id conſequitur, ut quamcumque Ciceronis epiſtolam Marte ſuo nterpretari, & omnium quæ legit rationes reddere queat. At enim uno ſolo biennio id eis contingere poteſt, qui nova Grammatica utentur. Quicquid ergo nunc pecuniarum in quinquennii victum ab eis expenſum fertur, ejus jacturam Epiſcoporum culpa faciunt, qui eos frugibus divino beneficio inventis adhuc in ſilvas amandant, & concuſſa quercu glandes legere & porcorum convivas fieri ſubigunt.

V.

Eadem mendacia plurimorum ingenia ab omni literarum & ſcientiarum ſtudio deterrent, qui propter ingentem numerum Regularum, Exceptionum, Appendicum & Obſervationum prius oderunt ſtudia, quàm noverint.

Animadverſio.

FIeri non poteſt, quin celerem habeat ſatietatem faſtidiumque afferat, quod cum magno, tum diuturno labore comparatur, nec ulla fere aut varietate ſeu novitate diſtinguitur,
aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

aut fructus ſe oſtendentis ſpecie mitigatur. Septem fere annos pueri in præceptis Grammaticæ diſcendis & repetendis conterunt, & in præceptis quidem obſcuris, confuſis, ſupervacuis, ingentique Exceptionum numero reſtrictis, cumque Memoriam quotidie onerent, interea nec Mentem aut Intellectum rerum notitiâ alunt, nec objecta aliqua boni vel commodi parti ſpecie labores, quos adhuc ſibi capiendos vident, lenire poſſunt. Nec enim eis apparet, quantum quotidie diſcant, nec aliorum exemplis ad bene ſperandum excitantur. Cum enim Ieſuitæ glorientur, ſe in Europa circiter ducenta diſcipulorum millia habere, ex tanto numero quotus tandem quiſque continuis ſeptennii laboribus apud eos exhauſtis plebi ſe exemit, ac virorum Latinarum literarum laude clarorum cœtui inſeruit? Nimirum in ipſa quoque Societate non temere decem Patres invenerint, quibus operæ in ſcholis aliud fuerit pretium, niſi ut Grammaticæ ſcriberent, & barbariſmis ac ſolœciſmis potius dictio eorum vacaret, quam ullam Elegantiæ commendationem auferre deberet. *Famianus* certe *Strada*, cui ſuffragiis ſuis Ieſuitæ in Latine ſcribendo primas ſine controverſia deferunt, nihilque niſi mellitos verborum globulos & omnia dicta ſeſamo ac papavere, vel potius cœlitum nectare & ambroſia in ſcriptis ejus ſparſa & imbuta inveniri contendunt, nondum fœdas barbariſmi & ſolœciſmi notas ſibi inpreſſas eluit, ac fortaſſe non de nihilo veretur, ne mox Hiſtoriæ ſuæ idem ipſum uſu veniat, quod nuper Maffejo: cujus ſtylum vitiis ne in linguæ quidem tirone ferendis ſcatere, in *Scioppii Rethoricæ fragmento* Mediolani edito demonſtratum vidit. Cum ergo diſcipuli eorum in ipſo diſciplinæ aditu tantum amaritudinis experiantur, nec

inter

inter tot annos ex tantis ſuis laboribus voluptatis quicquam capiant, ſi præſertim difficiles, moroſos & plagoſos nacti ſint Magiſtros (quales fere ſunt, quos obſcuro & plebejo natos loco iſta ſcholaſtici imperii ſpecies & juris epheborum natibus reddendi provincia inflare, & feroces ſuique ignorantes facere ſolet) vix animum inducunt, ut aliarum ſcholarum periculum faciant, & in diſcenda philoſophia aliiſque ſcientiis laborem ultra capiant. Hujus verò rei nullum in iis ſcholis timendum eſt periculum, in quibus Grammaticæ novæ locus dabitur. Nam nec Præcepta artis quicquam habent difficultatis, & quamvis in Magiſtro non ſit plus ſcientiæ, quam in iis, quos Ieſuitæ in cathedris collocant, ſi tamen ordinem præſcriptum in docendo obſervet, fiet ut non modo nullum pueris tædium ediſcendi labor afferat, ſed etiam ut ipſi quotidie fiant ad nova combibenda avidiores. Nimirum poſt Nominum & verborum Paradigmata unius, aut ad ſummum duorum menſium labore memoriæ mandata ſententias morales in *Mercurio bilingui*, ſeu *Ianua linguarum* poſitas diſcere incipient, ita quidem ut quotidie Nomina & Verba in decem ſententiis comprehenſa declinare & conjugare (Magiſtro quos quodque, Nomen caſus à Paradigmatis differentes, & quæ quodque Verbum præterita ac ſupina habeat indicante) & pridianæ lectionis ſententias memoriter recitare jubeantur. Iſte labor non modo minus pueris gravis aut moleſtus, ſed hoc etiam nomine gratus accidet, quod quotidie circiter quadraginta nova vocabula in decem illis ſententiis incluſa addiſcent, ſeque indies tanto doctiores fieri intelligent ac velut laboris ſui fructũ adſpicientes alacrius quod reliquum eſt laboris perferent. Et uno quidem quadrimeſtri tantum

fecerint

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

fecerint lucri, ut circiter quinque millia vocabulorum intelligant, & declinare ac conjugare noverint, quorum alia ſunt, quæ vocant *Fundamentalia*, (quibus ſcilicet multorum aliorum vocabulorum intelligentia veluti Fundamento innititur) alia *quotidiana*, alia denique *rara*. Hoc ita geſto, Magiſter omnium Nominum & Verborum *Conjugata*, id eſt, primitiva & derivativa, ſimplicia & compoſita, pueris dictabit, (niſi tamen interea nonnemo ea typis deſcripta emiſerit; quod ſanè multo foret conducibilius) eaque cum in ſcholâ, tum domi ſæpius legere jubebit, inſtituto etiam provocantium ſe certamine: cujus uſus erit, ut alios gloriæ ſtudium ad diſcendum exacuat, alii certaminis arbitri ea, de quibus contenditur, non minus memoriæ infigant, quam in aures admittant. Ita ſeptimo aut octavo pòſt menſe, quam ſententiis illis occupari cœperint, circiter quindecim millia vocabulorum Latinorum intelligent, & quamcumq; Ciceronis epiſtolam facile interpretabuntur, quod aliarum Scholarum diſcipuli, quamvis doctiorem Magiſtrum ſortiti, vix ſeptimo anno conſequentur. Adeò docendi modo modus intereſt, etiam ubi Magiſtri inter ſe pares ſunt, pares etiam ingenio & ſtudio diſcipuli. Poſtquam verò linguæ Latinæ notitiam ſic adepti fuerint, ad Artis præcepta admittentur, quæ ſunt *Sexaginta verſus* Hexametri de Nominum generibus, & *octoginta* de caſibus ſeu declinationibus; quibus omnes Etymologiæ Regulæ cum omnibus ſuis Exceptionibus includuntur: quas duabus hebdomadis memoriæ mandare poterunt. *Regulæ* verò *Syntaxeos* non ſunt niſi quindecim, ſine ulla Exceptione, Appendice aut Obſervatione, ut nullam prorſus iis ediſcendis experturi ſint difficultatem, ſicut nec in *Figurata Syntaxi*, quam ad verbum ediſcere

nihil

nihil attinet: ſed ſatis eſt, eos exempla ibi recitata ſæpius relegere, atque inter ſecundi anni exercitium, cum ſcilicet auctores eis explanabuntur, figurarum ſubinde in memoriam à præceptore revocari. Tanto autem amplius in ſecundo anno capient voluptatis, quanto minoris moleſtiæ eſt in eo, quod faciendum didicerunt, exerceri, quam diſcendo memoriam onerare, cum præſertim legendis notæ melioris auctoribus, Cicerone, Terentio, Nepote, Phædro, Ovidio, ac ſimilibus, penum ſuam literariam quotidie multis verbis lectis inſtruent, ac pedetentim non modo diligenter & eleganter, ſed etiam ornatè & copioſe ſcribere incipient.

Quod ad verſus de *Præteritis & Supinis* attinet, puto linguæ tirones nihil damni facturos, ſi eos non ediſcant. Iam enim inter ediſcendas ſententias quæ quorumque verborum præterita & ſupina eſſent, Magiſtri indicio & monitu eos cognoviſſe pono: quorum memoriam quotidiana lectio & ſcriptio facile conſervaverit: ſin autem nonnullorum eos capiat oblivio, ad ipſos verſus conſultum ire poterunt.

Sed centum & quadraginta Alvari verſus *de Proſodia*, ſeu Syllabarum dimenſione, ſecundo anno per otium ediſcent, quibus ingenium à poëtica minime abhorens contigerit, ſaltem ut poëmatum vitia norint, & recitandis alienis verſibus amuſiam & rerum poëticarum inſcitiam apud alios promtam habere caveant. nam ut in poëtando multum ponant operæ, nihil cauſæ habere eos video. Verſus enim malos ſcribere, ridiculum eſt: mediocres, inglorium: bonos & legi dignos, pæne inconceſſum.

VI.

Eadem mendacia Magiſtris quoque Crucem

 figunt

figunt, & à gravioribus atque utilioribus ſtudiis eos retardant.

Animadverſio.

NEc enim Magiſter dictorum vel ſcriptorum rationes à diſcipulis erogitare, aut vitia, quæ illi ſive loquendo, ſive ſcribendo admittunt, eis exprobrare & corrigere poterit, niſi omnes Artis regulas ipſe memoriâ complexus teneat. Id autem quam operoſum ac moleſtiæ plenum ſit, vel hinc judicari poteſt, quod Regulæ ſint pluſquam mille, eæque maximam partem falſæ, nec auctorum conſuetudini ſatis congruentes: cui porrò conſequens eſt, ut tantâ Exceptionum, Appendicum & Obſervationum turba fulciri neceſſe habeant. Atque hac de cauſa hunc Ieſuitæ morem & inſtitutum habere prædicantur, ut ſinguli quotannis, cum prolatis ſtudiorum rebus vacatione fruuntur & feriati agitant, velut repueraſcentes Grammaticæ præcepta pervolutent, quod aliter omnem eorum memoriam mox in ſe obliteratum iri certum habeant, unde eos minimè multum tironibus intereſſe, deque omnibus quæ legunt aut ſcribunt, animo fluctuare & incertos certare neceſſe ſit. Ingens proinde eſt Grammaticæ novæ auctoris etiam erga magiſtros beneficium: qui præter hac uno menſe quicquid Regulis comprehenditur ludibundi ediſcere, & omne reliquum tempus legendis & imitandis aureæ ætatis auctoribus Latinis conſumere poterunt, multoque cum rerum, tum verborum ſcientiâ auctiores invenientur.

VII.

Eadem mendacia cauſa ſunt, cur Deus, Eccleſia ac Reſpublica multo plurimorum opera defraude-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

fraudetur, quam illi minime pœnitendam navare poſſent, niſi alios Grammaticæ magiſtri tot annis in ſcholis contererent, alii vel temporis longinquitate, vel diſcendi difficultate territi ſtudia deſererent aut attingere dubitarent.

Animadverſio.

SI quis jam inveniatur ætate provectior, qui nihil aliud exoptet, niſi Latinè ſatis intelligere, ut Deo & Eccleſiæ inſervire, ac vel Sacerdotio initiari, vel Theologiæ Practicæ ſeu Conſcientiæ caſibus operam dare, ac paulo poſt animarum Curam ſuſcipere queat: ſimiliter autem ſiquis Iuriſprudentiæ, Medicinæ, aut Philoſophiæ ſtudere velit, conſideret autem tot annos impendendos fore odioſiſſimis Grammaticæ præceptis, donec vel mediocrem linguæ Latinæ notitiam aſſequatur, nec tamen ejus rei cauſa quantoſcumque labores capere parato extra ludos literatios ullam idoneam voto potiendi occaſionem oſtentari: nempe ſummæ ac velut inexſuperabilis difficultatis ſpecie perterritus animum deſpondebit, & quidvis potius, quam de literis ac diſciplinis cogitandum ſibi putabit. Iam verò Grammaticæ novæ auctor viam talibus munivit, ut quò volunt, uno anno minime laborioſè pervenire poſſint. Nec enim ullo eis ludo literario, aut arte Grammatica opus fuerit, modo habeant, unde juvenem aliquem cujuſcunque Grammaticæ peritum pretio conducant, qui primum in declinationum & conjugationum paradigmatis uno eos menſe exerceat, ac mox Mercurii bilinguis Sententias eo, quo dictum eſt, numero ac modo interpretetur, & Nominum caſus Verborumque præterita & ſupina indicet, tandemque vocum Conjugata dictet, aut

cum typis deſcripta exierint, ſubinde cum eis translegat. Hoc pacto ſine ulla vel Etymologiæ, vel ſyntaxeos Regula ante vertentem annum Latine ſatis docti erunt, ita ut quod ad literas attinet, nihil eos vel à ſacris Ordinibus, vel à Philoſophorum, Iuriſconſultorum, Medicorum, aut Theologorum Practicorum ſeu Caſiſtarum, quos dicunt, acroaſi ſubmovere aut arcere debeat. Sin autem poſtea eis libuerit Syntaxis quoque Regulas quindecim cum Figuris Grammaticis cognoſcere, ſuo ipſi Marte, nullo præcipiente aut adjuvante, per otium facillime id conſequentur, cum eam ad rem nihil, niſi linguæ intelligentia, requiratur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

LUDOVICI CROCII D.

INSTRUCTIO, DE RATIONE STUDII THEOLOGICI.

CAPUT I.

DE SCOPO.

Aphoriſmus I.

IDEAM *Theologiæ methodicæ, cujus adminiculo ſalutaria fidei dogmata explicantur, confirmantur, defenduntur, animo ſuo comprehenſurus, & ſecundùm eam Deo feliciter operaturus, ante omnia ſuum ſibi* ſcopum *ſanctè præſtituat & intendat,* impedimenta *fortiter tollat,* media *prudenter eligat & adhibeat,* effecta *denique hujus divini ſtudii calidè deſideret, ut animus à terrenis ad hoc veluti alis ſubvectus elevetur.*

SCHOLION.

Quemadmodum enim viator, iter ingreſſurus, principiò de certa meta cogitat, deinde verò declinatis aviis & remotis impedimentis, ad eam media itineraria ordinat ac dirigit: ita & Theologiæ noſtræ, quæ viatorum eſt, ſtudioſus ſic ſibi currendum ducat, ut in ſcopum, metamque ſibi præfixam perpetuò proſpiciat, &, ſublatis obſtaculis atque impedimentis, media ad eam rectâ & ſine errore atque periculo ducentia circumſpectè eligat, & uſurpet.

II. SCOPUS *ſive finis Theologiæ ſtudioſi eſt*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

objectivus, *aut* formalis. *Ille eſt* generalis, *qui omnibus Theologiæ ſtudioſis communiter debet eſſe propoſitus, nempe DEVS, &, quem miſit, IESVS CHRISTVS rectè cognoſcendus, ritéque colendus. Hic verò eſt* ſpecialis, *quem hic vel ille Theologiæ ſtudioſus potiſsimùm ſpectat, nempe, ſervire DEO ad ædificationem vel juventutis* in ſchola, *vel adultiorum* in eccleſia, *vel ovium agnorumque* utrobique *ſimul*.

Principiò, ſolus Deus, abdicatis & omiſſis omnium aliarum rerum inordinatis affectibus, ſummè intendendus & conſectandus eſt, ut hunc noveris & diligas ſupra omnia, cætera verò in ordine ad ipſum. *Matth.* 6, 33. 17, 5. *Ioh.* 14, 15. 21. 23. *Col.* 3, 16. 1. *Tim.* 4, 13. 2. *Tim.* 3, 15. 1. *Cor.* 10. v. 31, & *Eph.* 3. v. 18. 20. 21. Ad quem *ſummum* finem accedit *alter*, ut inſtramur *neceſſariâ rerum cognitione*, quæ facit ad intelligendam & dexterè explicandam doctrinam cœleſtem, & gubernandam partem regni Chriſti: & *tertius*, ut in communi vitæ Chriſtianæ curriculo *mores* regamus, cupiditates & affectus noſtros frenemus, ut publicis aliquando muneribus adhibiti, ipſi tolerari ab aliis, aliorumque nos viciſſim infirmitates ferre poſſimus, noſtroq; exemplo, Chriſtianis virtutibus, modeſtiâ, fide, ſpe, charitate, manſuetudine, humanitate, beneficentiâ, gratitudine, juſtitiâ, candore, moderatoq; linguæ uſu, aliis facem præferamus *ad pium & bonum publicum*. Qui fines crebrò ſerióq; cogitati ſuâ dignitate excitant diſcentes, & ſpe ingentium præmiorum urgent ad præſtandam diligentiam & vincendum difficultates, cum quibus divinum hoc ſtudium conjungitur. Qui verò hos fines ſupinè prætereunt aut proterve rejiciunt & hoc ſtudium aliò transferunt, illudq; faciunt vel inſtrumentum voluptatis & nequitiæ, vel dominatûs, vel divitiarum & honorum,

hi

hi rem ſanctiſſimam nefariè profanant & à Chriſtiana ſapientiâ abſunt quàm longiſſimè. Videſis Eraſmum Roterodamum, decus illud Belgicum, methodo compendiò perveniendi ad veram Theologiam, §. *Illud meâ ſententiâ magis ad rem pertinet*, &c. Et præclarè in Enchiridio militis Chriſtiani, canone 4. Deinde, Deo ſervire ſtudioſus Theologiæ poteſt aut in Eccleſia, aut in ſchola, aut, pro donorum menſurâ, utrobique: & velle quidem debet. Cùm enim alii ſint paſtores in Eccleſia, alii doctores in ſchola; *Eph.* 4. *v.* 11. neceſſe eſt, ut ſtudioſus Theologiæ prudenter cogitet, maturè deliberet, & ſanctè præſtituat, an aliquando in Eccleſiâ, an in ſcholâ, an in utraque DEO ſeſe vocanti ſervire velit: quia non eſt eadem per omnia utrobique docendi ratio, ac perinde etiam alia atque alia dona & doctrinæ inſtrumenta in docente requiruntur. Vide Doct. Lutherum *tom.* 2. *fol.* 475.

Cap. II.

De impedimentis.

Qui hunc ſibi ſcopum in ſtudio Theologiæ ſanctè præſtituit, is impedimenta fortiter tollat, divinâ fretus gratiâ: qualia ferè ſunt, IMPIETAS, SOCORDIA, CONFUSIO.

Principiò obſtat quidem nonnullis, *ex parte rei tractandæ*, difficultas: Sed hæc non eſt tanta, quin eam ſuperare poſſint, qui operæ & labori non pepercerint, præſertim quibus ab ineunte ætate rectâ inſtitutione frui contigerit, ſi modò ex conſilio præceptorum legitima ſtudiorum ratio ineatur, ut rectè arbitratur doctiſſimus *D. Georgius Calixtus*, Profeſſor Theologus Helmſtadienſis, præfatione in Epitomen Theologiæ. Secundò obſtat nonnullis, *ex parte modi*, quo res tra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ctatur, vel prolixitudo, vel nimia brevitas; de quâ vide eximium Theologum Lucam Trelcatium F. epiſtolâ dedicatoriâ ſcholaſticæ & methodicæ locorum communium SS. Theologiæ inſtitutionis conquerentem, ac remedium oſtendentem. Tertiò obſtat multis *ex parte inſtrumentorum*, quibus res tractanda eſt, inopia multiplex. Nam multorum

——— *Virtutibus obſtat*
Res anguſta domi.

Videſis Johannem Brentium *in Poſtillâ, concione de dedicatione templi*, von der Kirch-weihung. Et D. Andream Keſlerum *prudentiæ Chriſtianæ parte 1. cap. 2. punct. 2. num. 2. & 6. de ingratitudine Magiſtratuum erga miniſterium*: Et *punct. 3. num 1. & ſeqq. de ingratitudine patrumfamiliâs erga miniſterium.* Quartò denique obſtant his multò periculoſiùs *ex parte diſcentium*, quæ hoc aphoriſmo tollenda ſuadeo.

II. IMPIETAS *eſt in neglectu precum, & vitâ malâ.*

Graviſſimum hâc de re teſtimonium eſt ipſius Sapientiæ, *cap.* 1. *v.* 4. 5. 6. Hoſ. 4. *v.* 11. Hinc Apoſtolus Iacobus 1, 5. 6. *Quod ſi cui veſtrûm deeſt ſapientia; poſtulet à Deo, qui dat eam omnibus benignè, nec exprobrat: & dabitur ei. Sed poſtulet cum fide, nihil diſceptans: nam qui diſceptat, ſimilis eſt fluctui qui ventis agitatur & jactatur.* Quam verò ſapientiam? Non terrenam, infernam & ſecularem; ſed ſupernam, ſed divinam, cap. 3, 17. *Quæ autem supernè eſt ſapientia, primum quidem pura eſt deinde pacifica, moderata, obſequens, plena miſericordiæ & fructuum bonorum abſque diſceptatione, ſine ſimulatione.* Et Servator noſter diſertim ait, Iohne 7, 17. *Si quis voluerit ejus* (patris mei) *voluntatem exſequi, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à me-ipſo loquar.* Exemplum vide *Syrac.* 51, 18. 19. *& ſ.*

19. *& ſ.* Ex adverſo eſt impietas *Ioh.* 3,19. *&* 8.44. 47. Hac propter Paulus Titum ſuum vult eſſe inculpatum, *cap.* 1. *v.* 8 Tametſi enim, ut rectè notat doctiſſimus Alſtedius *compend. Theolog. part* 1. *c.* 4. impii quidam homines egregiè videntur callere τὰ θεολογέμενα: reverâ tamē illa cognitio rerum Theologicarum eſt ἀθεόλογος quia fieri non poteſt, ut cognitio verè Theologica habitet in corde non Theologo. Quamvis enim talem vim magneticam non habeamus naturaliter inſitam, quâ mens noſtra ſcripturam ſacram, ejuſque naturam penetret; ea tamen vis divinitus inditur omnibus iis, quibus ad hoc commercium corda regenerantur. Eſt autem ſtudioſis Theologiæ in Academiis cautè diſpiciendum, quibuſcum familiariter vivant. E bonis ſibi ſodales quærant, qui ejuſdem ſint conditionis, aut non multò ſuperiores, quique eiſdem literis operentur, etſi pluſculum profecerint. Sic enim habebunt quos ſequantur, quos imitentur. Horum enim utplurimum ſimiles evadimus, quibuſcum quotidie verſamur, juxta illud vetus:

ἀγαθοῖς ὁμιλῶν ἐκβήσῃ ἀγαθός.
Κακοῖς ὁμιλῶν ἐκβήσῃ κακός.
Qui cum bonis eſt, fit bonus.
Qui cum malis eſt, fit malus.

III. SOCORDIA *eſt, qua vel non diſcimus neceſſaria; vel, ſi diſcimus, oſcitanter & perfunctoriè.*

Hoc curioſitatis, illud ignaviæ ferme eſt. Vide *Prov.* 22. *v.* 29. 1. *Pet.* 4. *v.* 15. *&* 2. *Theſſ.* 3. *v.* 7. 8. 11.

IV. CONFUSIO *eſt varia.* 1. *diverſorum ſtudiorum.* 2. *diverſarum cujuſque ſtudii partium.* 3. *diverſorum librorum.* 4. *denique temporum.*

Nam 1. Quidam ſtudium Theologicum cum philologico & philoſophico perperam confundunt, cùm à ſtudio philoſophico viâ ordinariâ,

hodiéque uſitatâ, inchoandum, inde ad philologicum pergendum, in Theologico demum perſiſtendum. 2. Quidam partes cujuſque ſtudii conturbant ſic, ut in diſputationes & declamationes ſeſe immergant, priuſquam in philoſophiâ apprehenderint principia τῆς ἐγκυκλοπαιδείας, ſingularumque diſciplinarum, quæ vel res tradunt docendas ac diſcendas, vel modum docendi ac diſcendi: in philologia ad *hiſtoricam* & omne genus claſſicorum autorum feſtinent, priuſquam *technicam* attigerint, nedum devorârint: in Theologiâ verò quamplurimi in *polemica* & *panegyrica* ſe præcipitent, antequam vel *Catechetica*, quibus pura & in Eccleſia, cujus membra ſumus & in qua degimus, certa miniméque controverſa veritas continetur, ex ipſiſſimis ſcripturæ textibus & ſymbolo Apoſtolorum imbiberint; vel ideam locorum communium, quâ univerſum Theologiæ corpus è ſacra ſcriptura delineatur, comprehenderint, ipſaſque inprimis ſacras literas perlegerint, in quibus tamen cum Timotheo permanendum eſt, 1. *Tim.* 4, 13. 14. 15.16. *&* 2. *Tim.* 3,14. 15.16.17. 3. Quidam judicii quadam προπετείᾳ bonorum autorum delectum inſuper habent, ut ex vero dicas de pleriſque, ſi modò in illorum bibliothecas te familiariùs penetres; *Similes habent labra lactucas.* Et

Pro captu lectoris habent ſua fata libelli,
Hujus & affectu ſingula verba valent.

4. Quidam ſtudiorum ſacrorum curriculum non ſatis ad ætatem & conditionem ſuam aptant, ut ſingulis illorum partibus idoneum & ſufficiens tempus tribuant, captuſque, vocationis, & menſuræ ſcientiæ, fideique ſuæ rationem habeant, juxta prudentiam Pauli 1. *Cor.* 3,1.2.3. *Heb.* 5, 11. 12. 13.14. *&* 6, 1.2. Verùm enim verò optimum confuſionis antidotum eſt AMOR ORDINIS,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

DINIS, qui in didactica ſacra ſequendus eſt, & hiſce regulis veluti tacticis ferè continetur.

V. Regulæ tacticæ generales, ſecundùm quas in ſtudio Theologico ſine noxia confuſione proceditur, ſunt iſtæ.

1. Poſtquam ad pædagogei ſive ſcholæ trivialis faſtigium deventum eſt, ante omnia diſcenti probè inculcetur *technologica* Theologica, ut totum finem ſibi propoſitum, totumque ambitum rerum diſcendarum animo ſuo comprehendat, ac veluti prægustet.

2. Analyſis principii, hoc eſt, ſacræ ſcripturæ iſagogica cognitio à teneris unguiculis inculcata præſupponatur, & per omnem ætatem horis quibuſdam continuetur, atque augeatur.

3. Mens verò elevetur philoſophiæ & catecheticæ adminiculis, quæ eò uſque inculcentur in principio, ut deinceps παρέργου adinſtar in ſtudii Theologici curſu comitentur.

4. Neque è veſtigio, ut primum veſtibulum Academiæ adſpexeris, ad *trium* ſuperiorum *facultatum*, quas vocant, aliquam per ſaltum feſtines, ne cæcos parias catulos: ſed unde venias, & quid eruditionis tecum adferas, probè cogites, neque quæ in pædagogeo deguſtaviſti, ut vulgò perperam fit, abjicias, cum jactura operæ tot annorum, ſiquidem perpetuares, bene poſitæ.

5. E re fuerit, ſi cum precibus præmiſſa quotidie lectione Biblicâ, ſtudioſus certum aliquod doctrinæ genus, certumq; auctorem à capite ad calcem per dies aut menſes aliquot continuè evolvat, dum id quod ſemel diſcendum ſuſcepit, probè didicerit, animoque ſuo fideliter commiſerit: niſi forſan temporis & loci ratio diſſuaſerit, ut fit in Academiis, ubi publicè docentiū ratio habenda eſt, nequid in occaſione propoſitū negligatur.

6. Æque noxium eſt, & ſine certo ordine in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſtudiis vagari,& uno eodemque anno, menſe, die omnia, aut certè multa atque diverſa ſimul legere atque addiſcere velle.

Certè librorum, auctorumque multitudine & lectionum varietate præſtantiſſima quoque ingenia non rarò obruuntur ac diſtrahuntur, ut eis tandem eveniat quod eſt in πολυθρυλλήτῳ:

De omnibus aliquid, de toto nihil.

7. Bibliotheca non tam ſumtuoſa, quàm ſelecta ex optimis, maximéque neceſſariis auctoribus comparetur.

8. Loci communes, tum è ſacris literis, tum è profanis ſcriptoribus, ad uſus neceſſarios, maturè diligenterque colligantur.

De quibus vide, ſi lubet, Hyperium noſtrum, *lib.3.ſtudii Theol.cap.2.3.&ſ.*

9. Privatis ſtudiis ne tribuatur illud tempus, quo vel publica lectio audienda, vel concio diſponenda eſt. Neque hìs poſthabenda eſt ægrotorum aut gravibus tentationibus vexatorum viſitatio, inſtitutio, conſolatio, ſi jam eccleſiæ miniſter conſtitutus ſis.

10. In omnibus ſtudii theologici partibus vires corporis & ingenii expendantur, ne plus minuſve, quàm par ſit, ſuſcipiatur.

11. Ante meridiem merè Theologica tractentur, ita ut caput Biblicum ex V. & N. Teſtamento ex fontibus, ſiquidem eos jam imbibiſti, Hebræis Græciſque, aut verſione Latina vulgatâ & vernacula tuâ, quotidie perlegas, præcipua dicta ex eo memoriæ commendes, & in obſcuris vel interpretem conſulas, vel præceptores vivos adeas: inde ideam Theologiæ, locos communes, controverſias, & Caſus conſcientię quæ ad praxin propius faciunt, juſto ordine perſequaris, dum in ſingulis tibi habitum acqui ſiveris.

12. A meridie & quidem horis duabus à prandio,

dio, ne concoctio impediatur, & caput gravetur, incumbes, 1. *lectioni hiſtoriæ*, tum *divinæ*, cujus finis eſt religio; tum *naturalis*, cujus finis ſcientia; tum *humanæ*, cujus finis prudentia & ars; ut docet doctiſſimus Voſſius, *Artis hiſtoricæ cap. 7. pag.* 27. 2. ſtudio linguarum & artium dicendi, ubi *in Hebræis* ſufficit textum Biblicum intelligere. Neque hoc ſtudio omnes qui ad ſacrum miniſterium adſpirant, onerandi videntur. Et *in Græcis* ſatis erit, ſi Novum Teſtamentum Græcum, etſi non ad Criticas minutias uſque, ad veram tamen interpretationem exactè intelligas. Siquis tamen ingenio valeat, otio abundet, & occaſionem nanciſcatur, in utriuſque linguæ adyta ulterius contendere poterit, maximè ſi in ſcholis forſan linguas aliquando docere velit. Et huic tali patet univerſa antiquitas Hebræa, Græca. E *Latinis* potiſſimum legat veteres philoſophos, oratores, poetas, hiſtoricos, philologos, Virgilium, Horatium, Ovidium, Lucretium, Terentium, Plautum, Ciceronem, Salluſtium, Tacitum, Quintilianum, Senecā, Scaligeros, Baudios, Heinſios, Grotios, Voſſios, Barlæos, Lipſios, Puteanos, Muretos, Kirchneros, Piccartos, Barthios, Gruteros: hiſque nonnunquam ſepoſitis, ingenii vires ſcribendo & diſputando experiatur.

13. Quia verò ſuperforaneum fuerit, fundamentum poſuiſſe, niſi ſuperſtruxeris; etiam atque etiam cogitandum eſt, ac cuique ſerio ſtatuendum, quod in ſtadio feliciter cœpto conſtanter progrediendum uſque ad metam.

Hoc fiet, ſi ſtudium theologicum dignis preciis æſtimaveris. Neque enim quiſquam multum laboris collocaverit in eo, quod ante res alias non habet. Cætera peritus & fidus præceptor auditoribus ſuis facilè ſuggeret, non inſuper habitis iis, quæ infrà cap X. de ſtadiis ſacri ſtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

dii decurrendis ad metam cujuſque docemus. Conſule & Caſſianum *Coll. XI. de Spirituali ſcientia Abbatis Neſterotis.*

CAP. III.

De Mediis, & quidem divinis in ſpecie.

MEdia quæ ad ſcopum ſuum conſequendum ſtudioſum Theologiæ per Dei gratiam prudenter eligere, aut ſaltem ſibi conceſſa in hac ordinaria proficiendi ratione, quæ hodie in Eccleſia Dei viget, adhibere oportet, ſunt divina aut humana.

Illa ſpiritualia, hæc naturalia fortaſſis non incommodè dixeris. Væ autem illis, qui hîc *Diabolica* aut quærunt, aut aliis obtrudunt. Nam diabolus, omnium ſpiritualium tenebrarum, ſtultitiæ malitiæque fons, non ſinit eos, qui diabolicos libros de induſtria legunt, in cœleſti ſapientia proficere. Libris enim ſuperſtitioſis & magicis, tanquam laqueis, lectores, cultoreſq; ſuos in nequitia detinet, ne ſapientiæ lux eis affulgere poſſit. Caveant ergo omnes ſincerioris Theologiæ amatores, ne *Spiritus familiares* & *olympicos*, quos quidam nequam venditant, ſibi vel, mediante conjuratione, adſciſcant, vel conjuratos ab aliis emant, quorum ductu erudiantur ex pacto ſive explicito, ſive implicito. Sapientiam veram docere nequeunt, quoniam eam haud poſſident. Lux veræ ſapientiæ tanta, tamque ſublimis eſt, ut malorum ſpirituum caſtra non ſubeat. *Ne impari jugo copulemini cum infidelibus: quod enim conſortium juſtitiæ cum injuſtitia? & quæ communio luci cum tenebris? Et quæ concordia Chriſto cum Belial?* 2. Cor. 6, 14. 15. Libris diabolicis jure annumerantur libri calumniarum & ſcommatum pleniſſimi & ſycophantioſè ſcripti, quorum hodie uberior ſeges eſt, quàm muſcarum in Armenia, cùm caletur maximè. Et plurimi hoc tempore ſibi laudi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

laudi ducunt, ſi in pios & doctos invehantur, eorumque ſcripta conviciis proſcindant & petulanter carpant, etiamſi ea neque perlegerint, neque ſenſum eorum probè perceperint. Confer Thomam Campanellam, *lib.4. de ſenſu rerum, cap. 1.5.*

II. Media DIVINA *ſunt, quæ omni naturæ & induſtriæ humanæ vi ſuperiora, ad elevandam mentem, quain principium theologiæ in ſuas partes hiſtoricè diſlocatum involet, & formandam Dei notionem ac cultionem divinitùs conceduntur.*

III. Eaq; ſunt vel primi ordinis, ut precatio *& vitæ* ſanctimonia; *vel ſecundi ordinis, ut ipſa* naturę dona.

Deus enim non tantum gratiæ, ſed & naturæ auctor eſt, *Gen.* 1, 1. & hanc per illam perficit, & lapſam tollit & elevat. Hæc autem elevatio mentis fit per operationem Spiritûs ſancti; regenerationem videlicet, ſanctificationem, & Conſecrationem, ſeu miſſionem ſeu internam præparationem hominis Dei.

IV. PRECATIO *eſt medium divinum, quo ſtudioſus Theologiæ illuminantem ſpiritûs S. gratiam indeſinenter implorando, ſapientiā ac ſcientiam ſupernā indipiſcitur.*

Cum enim oratio ad omnia valeat, *Matth.* 7. *v.* 7. potiſſimùm tamen ad divina dona conſequenda, quæ in ſumma Dei benignitate & gratiâ poſita ſunt, præcipuéque ad hoc ſapientiæ ac ſcientiæ donum impetrandum, maximè neceſſaria eſt, *Luc.* 11, 13. *pſ.* 25, 4. 5. 51, 13. 14. 15. 17. & 119, 12. 18. 27. 33. 66. 73. 124. 125. 135. 144. Proxima enim hujus ſapientiæ cauſa eſt flagrantiſſimum ejus deſiderium. Flagrantiſſimum, inquam; quia ad hoc pigri & inertis hominis deſideria nihil juvant, de quibus *Prov.* 13. *v.* 4. Vult & non vult piger. Cur ita? quoniam, ut eſt *Prov.* 21. *v.* 25. deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus ejus operari: Hinc ſapiens *Sap.* 6. *v.* 18. *Veriſſimum,* inquit, *principium illius* (ſapientiæ)

tiæ) *eſt diſciplinæ cupiditas.* Et c. 7. v. 7. Et Syracides c. 24. v 22. Et Salomon de eâdem ſapientiâ diſſerens, *Prov.* 2. v. 4. & 5. *Si*, inquit, *quæſieris eam velut argentum, & tanquam abditos theſauros ſcrutatus fueris eam; tunc intelliges reverentiam Domini, & agnitionem Dei conſequêris.*

Hoc autem deſiderium, quod à ſpiritu *S.* proficiſcitur, fruſtra eſſe nequit, juxta illud *Prov.* 10. v. 3. & pios in oratione diu perſeverantes Deus miris conſolationibus ac deliciis oblectare, eorumque viſcera aquâ ſalutaris ſapientiæ rigare atque fecundare ſolet, *Eſa.* 56. v. 7. Nec ſaporem modò, ſed cognitionem quoque divinarum rerum precatio præbet, *Pſ.* 34. v. 5. *Deut.* 33. v. 3. *Iac.* 1. v. 5. Cujus rei locupletiſſimum exemplum ſub V. T. reliquit David *Pſal.* 119. *toto* quidem, maximè *verò* v. 18. Et ſicut ſacerdotes V. T. cum precibus Deo hoſtias quotidie obtulerunt pro ſe & pro populo, *Exod.* 29, 39. *Lev.* 9, 7. ita ſacrarum literarum ſtudiis dediti, aſſiduè orabunt pro illius conſervatione & propagatione, *Matth.* 9, 38. *Eph.* 6. 18, 19. *Col* 4, 3. 2. *Theſſ.* 3, 1. 2. Et ſub N. T. ſcholaſticorum princeps, *Thomas Aquinas*, qui inſignem illam & admirandam ſapientiam ſtudio magis orationis quàm humano ingenio & labore ſe aſſecutum fuiſſe chariſſimo ſocio fratri Reginaldo ſecretò revelavit: quod ſecretum, quamdiu in vita maneret, ſervari voluit. Ideóque in more habuit, ut quoties ei legendum, ſcribendum vel diſputandum eſſet, ad ſecretum orationis locum prius confugeret, ut à Deo diſceret, quod homines doceret. Intelligebat enim (quod eſt à D. Auguſtino dictum) *melius interdum oratione ſolvi dubia, quàm humanâ inquiſitione*: ut Ludovicus Granatenſis *in laudibus D. Thomæ* refert. Ex adverſo qui preces cultumque numinis ſpernunt, ii à ſpiritu ſancto ſpernuntur, 1. *Sam.* 2, 10. *Ioh.* 12, 35. *Rom.*

35. *Rom.* 1, 21.28. 11, 7. *&ſ. Eph.* 4, 18. 5, 8. 9. *Apocal.* 22, 11. Quare

V. Precatio ſit diurna & nocturna. Illa matutina, meridiana, veſpertina: hæc, quoties ſomnus eſt intervigil: aliàs prolixa, aliàs brevis & jaculatoria: aliàs cum gemitu & lacrymis, aliàs cum gaudio & hymnis, & quidem tum ante ſtudia, tum poſt ſtudia, tum denique inter ſtudia.

Hoc firmat *præceptum* Chriſti, ejuſque Apoſtolorum, *monitum* patrum, & *exemplum* ſanctorum. Præceptum Chriſti, & Apoſtolorum, *Matth.* 7, 7. 8. *&* 26, 41. *Marc.* 14, 28. *Luc.* 1, 9. 10. 11. 12. 13. *&* 18, 1. 1. *Theſſ.* 5, 17. *Iacob.* 1, 5. 6. 1. *Pet.* 2, 1. 2. Monitum patrum eſt apud D. Bernhardum, *ſerm. de obedientia, patientiâ & ſapientiâ*; *& in* 8. *punctis.* Exemplum eſt Davidis, cum paſſim pſalmorum, tum *pſ.* 119. *toto*, *&* 141. *&* 142. *&* 143. Salomonis, 1. *Reg.* 3. *v.* 9. Danielis & ſociorũ, *Dan.* 2. *v.* 18. *& ſeqq.*

VI. Vitæ SANCTIMONIA *eſt medium divinum, quo ſtudioſus Theologiæ quotquot horis, ac momentis, ſeipſo melior fieri conatur.*

Hujus præcepti autor eſt Apoſtolus, *Tit.* 2. *v.* 11. *&* 12. *&* 1. *Tim.* 4. *v.* 7. 8. 13. 14. 15. 16. ubi videſis paraphraſin Eraſmi Roterodami, ejuſdemque παράκλησιν: item in ratione verę Theologiæ ſub finem, Quod & Salomon luculentè docet *Prov.* 1. *v.* 7. quem in locum eruditiſſimus Theologus Doctor *Thomas Cartvvigthus*, olim Cantabrigienſis profeſſor, *commentario in proverbia, Leidæ edito Anno* 1617. videatur. Huc etiam facit ſcitum illud Auguſtini: *palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuavis*; *& oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis*. Unde & idem alibi *Deum* appellat *purgatæ mentis ſapientiam*. Iis enim dulciter ſapit, qui purgatum animæ palatum geſtant. Vide Melchioris Breleri vindicias myſterii iniquitatis, pag. 494. Et ſine pietate preces frigent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

aut fœtent. *pſ.* 50,16.109,7.*Eſa.*1,11.*&ſ.Heb.* 12, 14.13,18.1.*Tim.*3,9. Nam

Caſta Deus mens eſt: caſtâ vult mente vocari,
Et caſtas juſsit pondus habere preces.

VII. Eſtque ſanctimonia animi aut corporis.

Totus enim homo, tanquam nova creatura, Deo ſeſe ſubjicere debet, *Rom.* 6, 4. 2. *Cor.* 7, 1. *Epheſ.* 4,23.24.27.

VIII. Animi ſanctimonia eſt, qua illius mens, cogitatio, affectus, voluntas & ſtudium pura ſervantur, aut inquinata depurgantur.

Hæc enim ita cohærent natura, ut unius immundicie cætera facilè contaminentur, argumento *Matth.* 12,34.35.

IX. Mens, cujus eſt intellectus theoreticus, in quo συντήρησις, *à qua propoſitiones majores ſuppeditantur; & practicus, in quo conſcientia reſidet, cujus judicio è propoſitionibus & aſſumtionibus concluſiones exſtruuntur,* ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ *renovanda, limpidiore legis divinæ fonte diluenda, ſanguineque Chriſti abſtergenda eſt.*

Hæc enim non tantùm à juventute vana eſt, *Gen.*8,21.*Pſal.* 51,7. 62,10.94,11. ſed & porrò inquinatur 1. falſis perſuaſionibus. 2. ignoratione eorum, quæ ſciri oportet. 3. propenſione in affectuum ſiniſteritatem. 4. conſenſu in peccatum, Cujus ἀῤῥωςίας medelæ, 2. *Cor.*4,16.*Col.*3,10. ſunt à quotidiana pœnitentia, à lectione & cantu pio pſalmorum, ab oratione, qua à Deo impetratur & quod ſupra hominem eſt.

X. Cogitatio eſt vel à Deo, vel à diabolo, vel à nobis ipſis.

XI. A Deo eſt, quâ excitamur ad agendum ea, quæ pia, ſalutaria & verbo Dei conſentanea ſunt.

Hæc fovenda eſt lectione verbi Dei, & precibus.

XII. A Diabolo, quæ per doctrinæ Chriſtianæ violationem ducit in exitium.

Huic

Huic opponendum eſt Dei verbum, *Eph.* 6, 16. 17. exempla & ſuffragia omnium ſanctorum, Prophetarum Apoſtolorum, martyrum, aliorumque patrum, & ſeriæ preces.

XIII. *A nobis ipſis, quæ, ſecundùm Bernhardum, vel eſt* otioſa, *& ab animo tam facilè rejicitur, quàm recipitur: vel* violentior, *quæ ad naturæ neceſſitatem ſpectat; vel* immunda, *quæ eſt à labe originis.*

Hæ verò oriuntur vel à ſenſu, vel à memoria, vel à complexione, & expellendæ ſunt lectione Biblica, laboribus vocationis, fugâ otii, & cumprimis ardenti, anxiâque invocatione ejus, qui ſolus potis eſt cor novum creare, *pſal.* 51. *v.* 12.

XIV. *Affectus, à quibus ne ſancti quidem in terris prorſus liberi ſunt, vel ab ipſo corpore occaſionem trahunt, vel è rebus externis proveniunt.*

XV. *Illorum fons eſt immoderatus amor corporis,* Rom. 13, 14. *rivuli verò crapula & avaritia.*

Horum ἀταξίαν vetat Servator *Luc.* 21, 34. & vitat Apoſtolus, 1. *Cor.* 9, 2.

XVI. *Hi ſunt ira & concupiſcentia.*

XVII. *Ira, quæ eſt cita & facilis commotio ob peccata, Theologo eſt decora & neceſſaria, faciléque ſedatur.*

Iracundia verò, quæ eſt vehementior & diuturnior animi commotio, è recordatione acceptæ injuriæ nutrimentum capiens, à doctore verbi aliena ſit, *Eph.* 4, 51. *Col.* 3, 10. *Iac.* 1, 19. 20. *Acerbitas,* quæ exulcerati animi ſpuma eſt, vindictam ſpirans, in ſanctis diuturna eſſe nec poteſt, nec debet, *Eph.* 4, 26. *Rom.* 12, 19. Remedium & lenimentum capeſſe,

1. A cogitatu offenſi DEI, à quo, tanquam mitiſſimo patre, veniam petis.

2. A memoria præcepti Chriſti, *Matth.* 6, 15. & 18, 34. 35.

3. A conſideratione tuæmet infirmitatis,

Matth.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

*Matth.*7,12. damni, quòd iratus te ipſe maximè lædis, *Gal.*5, 20.21.

2. Ab æſtimio malorum, quæ trahit, *Prov.*15, 18.22.24. 26.

XVIII. Concupiſcentia, ſive naturalis *ſit circa nutritionem aut generationem, ſive* non naturalis *rerum alienarum appetentia, timore Domini, lege DEI, & recta ratione frenanda & reprimenda eſt.*

Adverſus hanc dona ſpiritûs excitanda ſunt piis exercitiis, 2. Tim. 1, 6.

XIX. Voluntas, qua quod placet appetimus, quod diſplicet averſamur, non ex cogitationum, affectionumque noſtrarum perturbatis motibus, ſed ad imperium verbi DEI regenda eſt.

Renunciandum igitur eſt propriæ voluntati, *Matth.*6,10.& 26.24.*Eph.*5,17.

XX. Studium eſt, quo quis omnium actionum ſuarum ſcopum unicum ſibi præſtituens ſanctificationem nominis DEI, animi ſui harmoniam ita tuetur, ut, quod mens rectè intelligit, animus ſedulò cogitet; quod animus cogitat, ad illud rapiantur affectus; quodque pii affectus ſuadent, id voluntas ſeriò imperet & expediat.

XXI. Corporis ſanctimonia eſt ea mediocritas, quâ ita honoratur, ut neque mollitie torpeſcat, neque duritie nimiâ frangatur.

Procul igitur habe Epicureorum noſtri temporis ſaginam, combennorum, combibonumque crapulam & ingluviem, quam paſtoritia natio ruſticatim & urbanatim, proh dolor, cum auditoribus ſuis juxta conſectatur. Procul habe Phariſaicum monachorum jejunium, quo ſe macerant, ut remiſſionem culpæ & pœnæ mereantur. Ama temperantiam œconomicam & politicam, ut res tuas conſerves, aliis exemplo ſis, valetudinem tuearis. Chriſtianum jejunium non rarò celebra, ſi fortè pigrer.s & langueas

circa deſideria carnis, ſed modeſtè & citra opinionem meriti & præciſæ neceſſitatis.

XXII. *Atque hæc ſunt media divina primi ordinis: ſequuntur ea, ſunt ſecundi ordinis, ipſa nempe naturæ dona.*

Hæc Dei providentia exhibet, *Matth.* 6, 24. quibus inibi efficitur, fieri non poſſe, ut quis ſimul Deo ſerviat, adeóque Theologiæ operetur, & Mammonæ, ac proinde rebus βιωτικοῖς occupetur. Intellexit hoc prudentiſſimus Syracides, qui ne prudentiam quidem juris civilis ei convenire autumat, qui ad ſtivam natus eſt, *cap.* 38, 25. 26. Quorſum etiam facit militia, 2. *Tim.* 2, 3. 4. negotiis hujus ſeculi oppoſita. Eſt autem de his ſcitum illud *Ericii Puteani*, philologi excellentis, Suadæ auſpicalis orat. 2. *ut naturam, i.e. ingenium afferatis, verbis non præcipio. Id enim à Deo pendet: & à Deo hominibus datur; etſi corrigere naturæ aliquem defectum ipsâ exercitatione conceſſum eſt.* Hæc ad humana media Alſtedius noſter refert *compendio Theol. part.* 1. *cap* 6.

XXIII. *Hæc in ſtudioſo Theologiæ ſunt animi, vel corporis, vel externa.*

XXIV. ANIMI *ſunt ingenii dexteritas, memoriæ fidelitas, & affectûs ſinceritas.*

Illa ſita eſt in apprehendendo & judicando: iſta in imprimendo & retinendo: hæc in conſtanti amore & impetu ad hoc ſtudium ex vera cauſa. Hæc animi dona D. Lutherus hâc Germanicâ verborum formâ enunciat: Er ſol einen feinen richtigen kopf haben. hoc eſt, S. *Theologiæ ſtudioſus ſit dexter.*

XXV. CORPORIS *ſunt ſtaturæ dignitas, vocis concinnitas, & partium ſtudiis præcipuè ſervientium, cerebri puta, cordis, ventriculi, epatis, ſplenis & pulmonum bonum temperamentum & robur.*

Ratio hæc eſt, quia aſſiduitas in precando, diſcendo

ſcendo, legendo, ſcribendo, meditando, commentando, docendo ſpiritum ebibit, & corpus debilitat, *Eccl. 12. cis finem.* Et qui aſſidua lectione & meditatione notitiam Theologiæ in hac via & extra patriam cœleſtem non alit & auget, in eo hæc lux prorſus extinguetur, juxta illud poëtæ in alia re dictum:

Vidi ego jactatas motâ face creſcere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

XXVI. EXTERNA, *quæ vulgo fortunæ* bona *dicuntur, vel* propria *ſunt, vel à patronis* ſuppeditata, *quibus inſtrumenta aliâque acquirendæ eruditionis theologicæ media comparentur: quibus* Dei *providentia permittit etiam accidere* mala, *quam* crucem *dicimus, quam ferre condiſcat, alióſque doceat, quisquis amat fieri Theologus.*

BONA propria ſunt, quæ vel à parentum ſuperſtitum liberali manu, vel à defunctorum hæreditate obtingunt, vel propriâ induſtriâ in modum peculii caſtrenſis acquiſita ſunt. Divinum certè ampliſſimumque ſtudium jure quodam ſuo ſumtus poſcit ampliſſimos, ſi omni ex parte cultum velimus. A patronis ſuppeditata dico, quæ vel majorum pietate ſuperſunt collegia tum eccleſiaſtica, tum ſcholaſtica, cum egregiis impenſis, ſtipendiis, bibliothecis, fundis ac reditibus, in quibus olim deputabantur Canonicorum capitula, multorumque cœnobiorum ſacraria, ut tum alibi apud doctiſſimos theologos, politicos & hiſtoricos fideles, tum in opuſculis theologicis D. Andreæ Hyperii olim profeſſoris Marpurgenſis videre eſt: vel hodieque principum aliorumque opulentorum hominum benignitate Theologiæ non minus quam Juris, Medicinæ & Philoſophiæ Doctoribus & ſtudioſis beneficia decernuntur, & multo potius ex formulâ Chriſtianiſmi decerni debent,

bent, *Math.* 10, 10. 11. 12. 13. 14. 15. 1. *Corinth.* 9, 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Agnovit hoc illuſtriſſimus ac potentiſſimus princeps ac dominus DN. VVILHELMUS, Heſſorum Landgravius, princeps & dominus meus clementiſſimus, cujus heroicæ virtutes non ſolum invidiam vicerunt, ſed & mortale faſtigium ſupergreſſæ ſunt, dum non tantum pro libertate patriæ & religione fortiter pugnat, ſed & *Caſſellis*, inferioris Haſſiæ metropoli, *Academiam novam* fundat, & maximis impenſis dotat, ut, Academiâ Marpurgenſi mutationem paſſa, Celſ. ipſius auſpiciis & munificentiâ vel minimo ſumtu, juventus bonis literis & religione imbuatur. Quapropter Celſ. ipſius non ſubditi modò, ſed & externæ nationes non aliter obſervant, admirantur ac ſuſpiciunt, quàm beneficum & ſalutare quoddam ſidus è cœlo in terras demiſſum, ut ſeculo everſo ſuccederet & rebus afflictis mederi poſſet. Ego intèr cultores Celſ. ipſius gradu & cenſu plurimis impar, animo & affectu vix cuiquam ſecundus, nullum majus ac melius donarium ei offerre poſſum, quam *ſimplex votum*, quo uno vota univerſa bonorum omnium, ſalus & ſecuritas patriæ, ſpes & opes ſubditorum ipſius cumulatè continentur. Ergo igitur Deum opt. Max. principum ac principatuum cuſtodem, ex intimis ſenſibus veneror atque obteſtor, ut pro principibus PHILIPPO fortiſſimo, proavo, VVILHELMO ſapiente, avo, & MAURITIO doctiſſimo, patre, cœlitibus, principem VVILHELMUM, fortitudinis, ſapientiæ & doctrinæ jubar ſereniſſimum, quàm diutiſſimè mortalium cœtibus intereſſe patiatur. Faveant propitia fata beneficio quod dederunt, tantóque muneri addant perennitatem! MALA autē, quam *crucem* nuncupamus, oppidò

bona

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

bona & commoda eſſe huic ſtudio non quidem per ſe, ſed Opt. Maximi favore, Apoſtolus ſuopte docet exemplo 2.*Cor*. 1, 6. *Rom*. 5, 3. 4. 5. Et hic locum habet decantata trias, ORATIO, MEDITATIO, TENTATIO, quæ de ſententia beati Lutheri facit THEOLOGUM; qua divina media claudo, quamvis de meditatione plura nunc ſim dicturus uſque ad caput X. hujus inſtructionis, quod tentationis vim oſtendet.

Cap. IV.

De mediis humanis: & nominatim, de Philoſophia.

HÆc de mediis divinis quibus mens elevatur; ut in apertum theologiæ principium immittatur; ſequuntur HUMANA, *quæ diligenti operarum, ad perficiendum Theologum attinentium, curatione continentur.*

Neque enim in morem Apoſtolorum, immediatè induimur virtute ex alto, *Luc* 24,49. *Act*. 2, 4. ſed mediatè per precationem, *Iac*. 1, 6. meditationem & lectionem diligentem ſacrarum literarum, 1. *Tim*. 4, 13. 14. 15. 16. contemplationem rerum naturalium, *Act*. 14, 17. *&* 17. 27. 28. *Rom*. 1, 19. 20. & itentationem, 1. *Cor*. 3, 12. 13. 14. 15. 1. *Pet*. 1, 6. 7. arcanæ theologiæ cognitione imbuimur & elevamur. Hæc verò elevatio mentis alia eſt, quàm quæ cap. 3. ad aphor. 3. jam deſcripta eſt, & per traditionem humanarum diſciplinarum, quibus omnibus ordinem & habitudinem quandam ad Theologiam Chriſtianiſmus induit. Et eſt mutua quædam omnium diſciplinarum περιχώρησις, *immeatio*, quantum ad uſum & gubernationem. Sicut enim Logicus regit Rhetorem, Rhetor

tor veſtit Logicum, phyſicus utrumque conſervat & auget, Grammaticus omnes juvat, Mathematicus, cum opus eſt, ſervit, Iuris conſultus æquitatem & pacem, Medicus ſanitatem tuetur, quantum per naturam fieri poteſt: ita Theologus omnes liberè ordinat & rectificat ad placita & jura Dei, quantùm per gratiam è ſcripturis in lucta carnis & ſpiritus pro ætate & vocatione ſua accepit.

II. Eaque ſunt technica aut gymnaſtica.

Illa *artis* & *informationis*, hæc *exercitationis* non malè appellaveris.

III. TECHNICA *ſunt propædeutica, aut pædeutica.*

IV. Propædeutica exhibent neceſſariorum inſtrumentorum comparationem.

Hæc quidem ſcripturam omnino habent pro principio regulante, ſed non ſemper & in omnibus pro dictante, ſive formaliter enunciante & explicante.

V. Sunt autem primaria aut ſecundaria.

VI. Primaria ſunt philoſophica aut philologica.

VII. PHILOSOPHICA *ſunt, quæ* τὴν ἐν κυκλῳ παιδείαν *Theologo futuro ſapienter accommodant.*

Hîc pernicioſa opinio Theologiæ ſtudioſis ante omnia eximenda eſt, quòd ſcil. Philoſophia per ſe pugnet cum Theologiâ, quam rem eruditè diſputatam vide apud doctiſſimos Theologos & philoſophos *Cornelium Martinium*, *Kekermannum*, *Alſtedium*, *Calixtum*, *Hornejum* & pronuper apud *D. Nicolaum Vedelium* in rationali Theologico *Genevæ* edito. Uſum philoſophiæ videſis à nobis breviter oſtenſum, *lib.* 4. *Oratoris Eccleſiaſtici cap.* 1. *aphor.* 7. Adde Meditationem Theologicam de uſu & abuſu rationis humanæ in interpretandis & æſtimandis rebus & ſcripturis divinis adverſus Socinianes & novos VVeigelia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nos, ab ornatiſſimo noſtro *Caſparo Streſone Anhaltino* Lugduni Batavorum nuperrimè editam, item Artem Artium ſive Clavem ſcientiarum mirabilem editam Ettlingæ in Marchionatu Badenſi, Anno 1606. ſive inſtitutionem auream de uſu organi ſeu logicæ Ariſtotelicæ in diſciplinis omnibus, parte 6. cap. 1. pag. 620.

VIII. Philoſophica ſacræ Theologiæ ſerviunt cautè, diſtinctè, ſobriè & moderatè cognita quadrifariàm: ad ordinandum, ad reſolvendum, ad diſputandum, ad concionandum & converſandum.

Primus igitur eſt *tacticus*. Nam logica, quæ eſt inſtrumentum & manus Philoſophiæ, ordinis mater & magiſtra eſt, imò & methodi tam ſyntheticæ quàm analyticæ; quarum illa reſpondet demonſtrationi à priori, hæc demonſtrationi à poſteriori: ac proinde ſuppeditat etiam artificium dividendi ac definiendi, ut ex poſteriori analyticorum manifeſtum eſt. Unde ſecundus eſt *analyticus*: quia ad hoc ut dextrè reſolvas textum biblicum, non ſolùm logica, verùm etiam aliæ diſciplinæ philoſophicæ quæ res & mores tractant, proſunt, ſi modò juſtam analyſin libeat emoliri. Quâ de re præter alios videſis *Flacii Illyrici* clavem ſacræ ſcripturæ, *Baſilii de Farna* analyſin colloquii Ratisbonenſis. Ideam boni interpretis *Danhavveri* totam, ejuſdem ideam boni diſputatoris *ſect. 2. cap. 5. articul. 1. §. 92. & ſeqq.* Analyſin *Cornelii Martinii*, & *Alſtedium* noſtrùm. *comp. Theolog. pag. 1. 10.* Ἀναλύειν verò in theologia nihil aliud eſt, quàm συγκρίνειν πνευματικοῖς πνευματικά. 1. *Cor.* 2, 13. hoc eſt, ſpiritualibus theorematis ſeu quæſitis probandis aptare ſpiritualia principia, ſive, ut diſertiùs dicam, controverſiam aliquam Theologicam revocare ad οἰκεῖα λήμματα, vernacula Theologiæ principia, quæ ex eodem genere cum pro-

propoſita quæſtione ſumuntur. Tertius eſt *ſyzeteticus*, contra quàm ſentit Gregoras Nicephorus, *lib. 50. Bizantinæ hiſtoriæ*, quem eruditè refutat Ars artium *part.6.c.3.pag.646. &ſ.* Conducit enim ad εὐπορίαν; diſputationum Theologicarum, à quibus hoc ſeculum ſibi vix temperat, tum quia Logica præſcribit modum eruditionis, tum quia Metaphyſica generaliſſimos explicat terminos, quorum maximus uſus eſt in diſputationibus theologicis, tum denique, quia Theologi in diſputationibus, lectionibus & ſcriptis ſuis multa in philoſophia diſputata ſupponunt, aut ex ea vel propter adverſarios, vel propter lectores & auditores ſuos diſputare coguntur. Quâ de re videſis præter *Cornelium Martinium* in Analyſi, & *Conradum Hornejum* in Proceſſu diſputandi, *D. Nic. Vedelium* in rationali Theologico toto. Utinam verò de rebus divinis ex ſola ſcriptura diſputandi ratio paſſim vigeret, aut tandem aliquando conſentientibus Theologorum ſuffragiis & ſtudiis in uſum jure poſtliminii revocaretur, in qua ſolum Dei verbum ritu Apoſtolorum proferretur, audiretur, explicaretur, crederetur! Tunc bene cum Eccleſia, bene cum Academiis ageretur, Dei nomen piè celebraretur, veritas divina glorioſè triumpharet, neque ſtudioſa juventus tempus & florem ætatis perderet cum ſera pœnitentia, in pelago ſcholaſticorum metaphyſico emetiendo, quod magnam partem doctrinæ Theologicæ & pietatis abſorpſit, ſed maximè neceſſariarum linguarum & verarum ſcientiarum ſtudiis vacaret, ad optimos quoſque auctores veteres accurreret, & ex ipſis fontibus bibere mallet, quàm ex turbidis & cœnoſis lacunis lambere. Quartus eſt *Rhetoricus* & *ſymbioticus*. Poteſt enim concionator tum è rerum naturalium contemplatione, tum è rerum moralium,

virtutum ſc. & vitiorū exemplis, indeque naſcente felicitate aut miſeriâ promere innumeras rationes, quæ faciant ad Dei notionem, cultum & amorem; poteſt etiam ex his ad moralem, familiarem & civilem conſuetudinem aptior evadere. Quâ de re videſis pręter alios Andream Hyperium de formandis concionibus & ſtudio Theologico, Oratoremque noſtrum Eccleſiaſticum, *lib.* 1. *Cap.* 1. Non tamen hîc τὸ πιθανὸν gentilium oratorum requirimus, quod Apoſtolus 1. *Cor.* 2. 4. rejicit ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις: ſed reſpicimus ad illud beati Auguſtini lib 2. de doctrina Chriſtiana cap. 40. *Sicut Iſraëlitæ idola & vaſa aurea & argentea Ægyptiorum auferunt, & ad juſtos & Deo placentes uſus conferunt. Sic Chriſtiani philoſophiam & diſciplinas liberales, quæ in Ethnicorum literis exſtant, non eo prorſus relinquere debent, quòd Ethnici eis impiè abutebantur, ſed ad juſtum prædicandi Evangelii uſum transferre debent.* Et ad illud Gregorii Nyſſeni in myſtica enarratione vitæ Moſis, pag. 35. *Habet philoſophia ſecularis partus, humanaque diſciplina carnale quoddam præputium, quo circumciſo, quod relinquitur, Iſraëliticæ invenitur eſſe nobilitatis: ut, exempli cauſa, immortalem eſſe animam, philoſophi perhibent, id autem pium eſt. De corporibus in corpora tranſire volunt, & de rationali natura etiam in rationis expertem tranſilire nonnulli aſſerunt, hæc quaſi præputium circumcidenda ſunt, & procul omnino abjicienda. Deum eſſe non negant, creatoremque omnium à quo cuncta dependent, verè aſſeverant, ac rationibus, quantum fieri poteſt, demonſtrant: ſed creatori, velut egenti artifici, materiam ſupponunt, multaque alia hujuſmodi ſunt veris excogitata rationibus, ſed abſurdis ac falſis appoſitionibus maculata, quæ ſi tollemus, propitius nobis Dei angelus fiet.* Id quod adverſus hujus temporis Paracelſiſtas, VVeigelianos. Jacob-Behmianos, alioſque

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

que fanaticos probè obſervandum eſt. Dixi autem in aphoriſmo, philoſophica *cautè* & *ſobriè* cognita ſacræ Theologiæ ſtudioſo ſervire, cum beato Bernhardo, qui ſermone 36. in Canticum tractans illud Pauli *Rom.* 12. 3. *Non*, inquit, *prohibet Apoſtolus ſapere, ſed vult nos ſapere ad ſobrietatem. Quid eſt autem ſapere ad ſobrietatem? Vigilantiſſimè obſervare, quid ſcire* magis priúſve *oporteat. Eſt quidem* per ſe *omnis ſcientia bona, quæ tamen veritate ſubnixa ſit: ſed,* quia tempus breve eſt, *tu qui cum timore & tremore tuam ipſius operari ſalutem, pro temporis brevitate, feſtinas, ea ſcire* priùs & ampliùs *curato, quæ ſenſeris* VICINIORA SALUTI. *Nonne magna pars medicinæ corporum eſt, eligere in ſumendis cibis quid prius, quid poſterius, & quemadmodum quidque ſumi oporteat? Nam etſi* bonos eſſe conſtat cibos, *quos Deus creavit, tu tamen ipſos* tibi, *ſi in ſumendo* MODUM *&* ORDINEM *non ſerves, reddis planè* non bonos. *Ergo quod dico* de cibis, *hoc ſentite &* de ſcientiis. *Sed melius mitto vos ad magiſtrum. Non eſt enim noſtra iſta ſententia, ſed illius, imò & noſtra, quoniam veritatis,* 1. Cor. 8. Qui ſe *inquit* ſcire putat aliquid, nondum ſcit, quomodo oporteat eum ſcire. *Vides quia non probat* multa *ſcientem, ſi* modum *ſciendi neſcierit? Vides quomodo fructum & utilitatem ſcientiæ* in modo ſciendi *conſtituit? Quid autem dicit* modum ſciendi? *quid, niſi ut ſcias* quo ordine, quo ſtudio, quo fine *quæque noſſe oporteat?* Quo ordine? *Ut id prius, quod maturius ad ſalutem.* Quo ſtudio? *Ut id ardentius, quod vehementius proficit ad amorem.* Quo fine? *Ut non ad inanem gloriam, aut ad curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt enim qui ſcire volunt eo fine tantùm ut ſciant, & turpis curioſitas eſt; & ſunt, qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt. Qui profectò non evadet ſubſannantem Satyricum, & qui ejuſmodi eſt de-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

cantantem: Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc, ſciat alter. *Et ſunt item qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, vel pro pecunia, vel pro honoribus, & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt etiam qui ſcire volunt, ut ædificent, & prudentia eſt. Horum omnium ſoli ultimi duo non abutuntur ſcientia, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant: ſiquidem* intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Reliqui omnes audiant:* Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt ei. *Ac ſi per ſimilitudinem diceretur,* ſumenti cibum, & non digerenti, pernicioſum eſt ei. *Cibus nempe indigeſtus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, nec tantum non nutrit, ſed etiam corrumpit corpus. Ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per quoſdam actus animæ, mores videlicet atque actus transfuſa & digeſta, quatenus ipſa de bonis, quæ novit, vita atteſtante & moribus, bona efficiatur; nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum? Annon mali humores pravi mores! Annon inflationes & torſiones in conſcientia ſubſtinebit, ſciens bonum & non faciens? Annon reſponſum mortis & damnationis toties in ſemet ipſo habebit, quoties in mentem venerit ſermo, quem dixit Deus:* quia ſervus ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens digna, multis vapulabit? Hæc Bernhardus, quę ad praxin hîc plenè laudavi. Neque audiendi illi ſunt qui ſuadent, nobis æquè atque Apoſtolis ſic à Spiritu ſancto exſpectandam eſſe univerſam intelligendi atque explicandi ſacras literas facultatem, ut prorſus non ſit opus, nos diſcendis ullis artibus operam dare. Nam omnium rerum parandarum certa quaſi inſtrumenta nequaquam negligenda, ſed ſummo, labore & ſtudio comparanda Deus conſtituitut, quod natura haud ſuppeditat, id arte & pia diligentiâ conſequamur.

XI. Di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

XI. Diſtinctam verò & ſobriam philoſophiæ cognitionem regunt hi fermè canones.

1. *Diſciplinas inſtrumentarias ſtudioſus Theologiæ præ cæteris diſcat: & Grammaticam, quam quiſque puer didicit, cum Lexicis in omnem ætatem ſibi ſervet ac tractet familiariter.* Neque enim hic nobis audiendus eſt *Iohannes Dullardus* ex ſuperiore ætate, qui in barbara & ſophiſtica theologia aliorum præceptor, illud ſuis inſtillare conſueverat: *quanto eris melior Grammaticus, tanto pejor dialecticus & theologus.* Vide Ludovicum Vivem *l. 2. de cauſis corrupt. art. p.* 77. 79. 81. 82.

2. *Rhetoricam & Oratoriam ex Ariſtotele, Cicerone, Quintiliano, aliiſque optimis dicendi magiſtris ab eloquentiſſimo D. Gerhardo Voſſio, Amſtelodamenſis Minervii anteceſſore conſcriptam, ne inſuper habeat.*

3. *Logicam Peripateticam ſibi commendatam habeat, tanquam excellentiſſimum, quod quidem hodie exſtet, & à Chriſtianis philoſophis illuſtratum ſit, docendi, diſcendi, ſciendique inſtramentum.*

4. *Ex philoſophia rerum, Metaphyſicam, à ſpinis ſcholarum, quibus tota horret & ſub* Papatu *obſita eſt,* à philoſopho doctiſſimo M. JOH. VVILLIO, collega noſtro, organi & Metaphyſicæ profeſſore accuratiſſimo, *expurgatam cumprimis condiſcat.*

5. *Pneumaticam, quâ natura ſpirituum explicatur, probè teneat.* Iſtam excellentiſſimus philoſophus D. GERHARDUS DE NEUFUILLE, collega noſter, ad phyſicam refert. cujus ſyſtema phyſicum ſtudioſis theologiæ maximè deſiderandum, & ab auctore maturandum eſt.

6. *Phyſicam oppidò ſibi neceſſariam ducat, ut videre eſt apud Auguſtinum, lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ, cap 16.*

7. *Arithmeticam, cum elementis Geometricis, Geographiâ, Aſtronomiâ, Chronologiâ & Muſicâ haud adſpernetur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

8. *Philoſophiam morum ſive practicam magno ſtudio pertractet, & cum principiis revelatis, quæ ſ. literæ tradunt, exactè conferat.* Hîc commendo Ethica & Politica CL. V. D. BALTH. VVILLII Theol. & Philoſ. collegæ noſtri chariſſimi.

9, *Hiſtoriam tum profanam, tum Eccleſiaſticam, diligenter evolvat.*

10. *Cæteras philoſophiæ partes ſaltem deguſtâſſe ſufficit: ſi modò expendatur, quid ſingula ad Theologiam proſint.*

CAP. V.

De Philologiâ.

I.

PHILOLOGIA *verò eſt medium humanum, quo ſtudioſus Theologiæ ad textuum ſacrorum Eccleſiaſticorumque ſcriptorum ſtyli intelligentiam, neceſſariarum atque utilium linguarum cognitione præparatur ac dirigitur.*

Quia verò in nuda linguarum notitiâ minimè conſiſtit eruditio; idcirco hæc cum philoſophicis & aliis diſciplinis conjungi debet, quæ ſingulæ ſuum habent uſum didaſcalicum in Theologica ſchola, etiamſi ſine ſalutis diſpendio poſſint ab idiotis ignorari. Nam πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρότον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, *ut rectè doceatur, primùm vocabula examinare oportet*, ut ait philoſophus.

II. Harum linguarum ſtudium regunt ſequentes canones.

1. *Linguam vernaculam Theologiæ ſtudioſus præ cæteris excolat, ut illius proprietatem, puritatem, nitorem & copiam conſequatur.*

2. *Hebræam linguam, ſub qua & Chaldæam comprehendimus, è perpetua lectione V.T. condiſcat.*

3. *Græcam ad N. T. ſenſum penitiùs percipiendum ſibi comparet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

4. *Latinam, propter Eccleſiaſticorum ſcriptorum lectionem, & doctorum hominum totiuſque propemodum orbis Europæi commercium, exactè norit.*

5. *Syriſcam, Arabicam, Æthiopicam, aliaſque orientales ob paraphraſes ſcripturæ, & Rabbinicam dialectum, eamque multifariam, non quidem præcisè neceſſarias, oppidò tamen utiles ac honorarias ſibi exiſtimet.* Radiant his in orbe erudito *Ioſephus Scaliger, Daniel Heinſius, ὁ πάνυ, Iſaacus Caſaubonus, Thomas Erpenius, F. Raphelengius, Troſtius, Ludovicus de Dieu, Conſtantinus, L'Empereur,* & alii non è multis.

6. *Inſtrumenta hujus philologiæ ſunt cujuſque linguæ Grammatica, Lexica, Hiſtorica, & omne genus autores ſacri, profani, eruditis præſertim linguis ſcripti, qui juvant quoquo modo ſacræ ſcripturæ intelligentiam.* Eminet hîc opus Biblicum à Rege Hiſpaniarum procuratum, indeque regium dictum: item Complutenſe & Baſileenſe cum Rabbinorum commentariis præcipuis & Concordantiis Hebraicis à Joh. *Buxtorffiis*, patre & filio, viris de rep. Chriſtiana optimè meritis editum: Concordantiæ item Græcæ *Conradi Kirchneri*; Latinæ majores ab Hugone Cardinale & Conrado Halberſtadio ſuffragantibus quingentis Monachis è vulgata Latina verſione collectæ; Germanicæ *Crellii & Crameri*, Anglicæ *Wilhelmi Knichti*. Neque hic inſuper haberi debent lexica Hebræa, Chaldæa & Syriaca *Pagnini, Schindleri, Buxtorffii, Abdiæ Prætorii* libellus de phraſibus Hebræis, & Moſes omniſcius D. *Zachariæ Roſenbachii*, profeſſoris Herbornenſis: Græca *H. Stephani, Scapulæ* cum Cadmo *Matthiæ Martinii*: Latina *Calepini, Perotti, Matthiæ Martinii, Calviſii, Fabri, Daſypodii, Forum Romanum*. In Gymnaſio inclitæ reipubl. noſtræ exercitatiſſimi philologi profeſſores juventuti induſtriam ſuam, egregiè pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

bant in literatura Græca, Hebræa, Syra, & aliis orientalibus ad deſiderium diſcentium *Io. Teſmarus*, *Gerhardus Hanevvinckelius*, & *Iohannes Coccejus*, viri de philologia præclarè merentes.

CAP. VI.

De propædeuticis ſecundariis, Iuris-prudentiâ nempe, & Medicinâ.

ADhuc fuerunt propædeutica primaria, philoſophica nimirum & philologica: ſequuntur ſecundaria, quæ modeſtâ Iuris-prudentiæ & Medicinæ cognitione continentur.

II. Eſt autem modeſta Iuriſprudentiæ & Medicinæ cognitio, medium humanum, quo ſtudioſus Theologiæ ad multarum rerum practicarum ad diſciplinam ſuam pertinentium intelligentiam & uſum præparatur ac dirigitur.

Modeſtam dico cognitionem, ne vel totam in te invergas, quaſi eam profiteri velis; vel in alienam Juriſconſultorum aut Medicorum meſſem falcem tuam immittens, perperam & licenter eâ abutaris. Videſis doctiſſimum Hyperium *de formandis concionibus*, & Oratorem noſtrum *lib. 1. cap. 1. & lib. 4. cap. 1.*

III. Iuriſprudentia delibanda eſt è corpore juris tum civilis, tum Canonici.

Exemplo doctiſſimorum Theologorum *Petri Martyris, Theodori Bezæ, Caſpari Oleviani, Antonii Fayi, Franciſci Iunii, Guilelmi Stuckii, Guilhelmi Zepperi, Iohannis Brentii, Davidis Chytræi* & aliorum, qui leges Moſaicas interpretati ſunt & cum civilibus contulerunt.

IV. Ius civile ſervit ſtudioſo Theologiæ, tum ut de rebus ad communem vitam, libertatem & ſervitutem tam Chriſtianam, quàm civilem pertinentibus

va-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

variiſque caſibus & præmiis & pœnis rectè judicet & loquatur in concionibus ſuis, aliiſque partibus officii ſui obeundis; tum ut norit, quid de religione & rebus Eccleſiaſticis eo definitum ac conſtitutum ſit.

Nam 1. corpus juris civilis non pauca habet de S. Trinitate, de Eccleſiis, de Epiſcopis & Clericis, de hæreticis, Judæis & Chaldæis, de cauſis matrimonialibus, & id genus aliis, quorum uſus multifarius eſt, quà in diſputationibus, concionibus, conſiliis Theologicis, quà in conſcientiæ caſibus, de quibus Theologo ſæpe reſpondendum eſt pleniùs, quàm ut auditores nudè remittantur ad roſtra vel ad ſcholas Iurisconſultorum. 2. Ad guſtum & qualemcunque juris illius intelligentiam noſtri præ cæteris legere poſſunt, juxta corpus juris civilis per ſe & gloſſatum, Juriſprudentiam civilem *Conani*, *Hermanni Vulteji*, *Iohannis Althuſii*, cum paratitlis *VVeſenbecii*, quibus, ſi volunt & poſſunt, addere licet *Schneidewinum*, *Treutlerum*, *D. Antonium Matthæum*, *Hœnonium*, *Bachovium*, in practicis *Gaylium* & *Farinacium*, in methodis utriuſque juris *Nicolaum Vigelium*; & his omnibus ſtatuta & conſuetudines loci, in quo quiſque degit.

V. Ius canonicum ſervit ſtudioſo Theologiæ, tum ut antiquitatem Eccleſiaſticam ex eo penitius cognoſcat, tum ut Cæſareopapatum *ſeu* Papimperium *illud* θηριῶδες beſtiale *à Iohanne Apocalypta deſcriptum, cum incrementis ſuis clariùs videat.*

Præter corpus juris Canonici ſive per ſe, ſive gloſſatum, & Inſtitutiones *Lancelloti Navarri*, methodus *Nicolai Vigelii*, paratitla *Chaſſanæi*, Caſiſtæ plurimi, & lexicon Theologicum *Iodoci Lorichii* hic uſui eſſe poſſunt, & inter alia ſyntagma juris univerſi *Petri Gregorii Tholoſani*.

VI. MEDICINA *delibanda eſt, ſi pote, ex*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Hippocrate aut Galeno, aut ſaltem ex aliquo recentiore & ad ætatem noſtram accommodatiore, puta Johanne Fernelio, *aut* Johanne Ludovico de Pernumia, *aut* Joanne Heurnio, *aut* Daniele Sennerto, *aut* Abrahamo Frambeſario, *quibus in diæteticis Pantheum Hygiaſticum* Deodati, *& Diæteticum* Quercetani; *in anatomicis addi poſſunt* Veſalius, Laurentius, Alexander Benedictus, Bauhinus, *aut ſaltem* Bartholinus; *in botanicis* Matthiolus *in Dioſcoridem cum adjectionibus* Bauhini, *aut* Tabernæmontanus, Cordus, Geſnerus, Lonicerus, Tragus, Camerarius, Dodonæus, Cluſius; *in conſiliis* Joh. Bapiſta Montanus, Joh. Crato, Horſtius *& alii; in pharmaceuticis diſpenſatorium* Cordi, Colonienſe, Auguſtanum, Quercetani, VVeckeri, *item diſpenſatorium Chymicum Anno* 162[illegible]. *Francofurti editum*, Marſilius Ficinus *de ſanitate ſtudioſorum*, Horſtius *de eadem*, Martinus Panſa *de propaganda vita, &* Thomas Campanella *lib.* 4. *de ſenſu rerum cap.* 8.

Ratio 1. Quia hæc notitia facit ad opificis venerationem. 2. Quia prodeſt ad ſcripturæ intelligentiam, in quantum in ea occurrunt loca de ſtructurâ humani corporis, de herbis, floribus, fructibus, gemmis, animalibus, & ſimilibus. 3. Quia ſæpe accidit, ut Theologus practicus, animarum curator, cogatur inviſere ægrotos, qui contagioſis morbis laborant, contra quos ſeſe & alios medicamentis hoc pacto munire poteſt, præſertim ſi deſit medicus. 4. Quia rei medicæ peritus, inter medicamenta legitima & ſuperſtitioſa rectius diſcernere poteſt, & conſcientiis dubiis ac turbatis non neceſſariæ anxietatis cauſas tollere, iiſque verorum medicamentorum uſum à phyſicis & practicis ordinariis præſcriptum, cum πληροφορίᾳ *plena fide* commendare: id quod omnino ad practici theologi

officium

officium pertinet. Exemplo eſt *Philippus Melanchthon*, *Manlius*, *Benedictus Aretius*, *Antonius Fayus*, ut omittam priſcos prophetas & apoſtolos, qui dono ſanationum valuerunt.

CAP. VII.

De SS. *Theologiæ apprehenſione, & nominatim de lectione ſyſtematica.*

HActenus fuere ſtudii Theologici propædeutica, ad cujuſque ſtudioſi ſpiritualem ætatem, captum & uſum attemperanda: ſequuntur pædeutica, quibus ipſa doctrina ſacra, quâ ad Deum propiùs reducimur, apprehenditur.

Scitè Johannes Ludovicus Vives lib 1. de tradendis diſciplinis p. 243. *Homo*, inquit, *ut unaquæque res, ex fine cenſendus eſt: Vanus eſt enim ac miſerrimus, ſi non aſſequatur finem; perfectiſſimus verò ac proinde feliciſſimus, ſi conſequatur.* Finis *hominis, quem alium poſſumus ſtatuere, quam Deum ipſum? aut ubi poteſt homo beatiùs acquieſcere, quàm in Deo velut abſorptus & in illum converſus? Eâdem viâ redeundum eſt nobis ad illum, quâ egreſſi ſumus: amor cauſa fuit condendi noſtri. Nam ut ſe nobis tanta illa communicaret felicitas, nos creavit, quo ullum eſſe evidentius amoris ſignum poteſt.* Amore *ab illo nos ſejunximus, nempe noſtri ipſorum:* amore *revocati ſumus & erecti, nempe Chriſti erga nos:* amore *revertendum eſt nobis ad noſtram originem, quæ eſt eadem finis noſter, nempe noſtrâ in Deum charitate. Spiritualia enim nulla res alia conglutinare, nulla ex multis vnum valet facere, niſi amor.* Amorem *verò neceſſe eſt* cognitio *antecedat. Deus nos, antequam nobis naſceremur, jam diligebat, quia jam noverat, jam illi geniti eramus: nos nati & cognoſcendi vim atque uſum adepti amamus. Quæ autem amanda ſint,* fides *monſtrabit, traditis unicuique primis & ſimpliciſſimis elementis pietatis de*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Deo patre omnium, & filio ejus Ieſu Chriſto, qui ad redemtionem noſtræ carnis peccati carnem eandem noſtram induit, ſed ſine peccato. Deinde hæc eadem explicatiùs quomodo ſint & cognoſcenda & amanda, non ulla hominum inventa, *ſed* divina *declarant* oracula, *quæ* ſacris literis per Spiritum ſ. *ſunt prodita, in quibus literis abſoluta eſt intelligentia divini cultus, quæ pietas & eadem religio nuncupatur, licet ejus vis magis* actione *continetur, quàm* peritiâ. *Prima illa elementa non adeò ſunt ſimplicia, quin ad agendum ſufficiant: ea neminem prorſus oportet ignorare. Perfectio verò pietatis illorum eſt, qui altius ſeſe attollunt per charitatem, quæ ut ignea eſt, ita ignis modò ſublimes, quos poßidet, rapit: hæc ſunt ejus, cui commiſſus eſt grex, qui & à Domino audivit, Diligis me plùs quàm hi? Hunc convenit eſſe doctrinâ ſanâ potentẽ, & eis, qui contradicant, reſiſtere; ſicut* Paulus *Apoſtolus admonet. Hæc intelligentia divini cultus per ſe ipſa ſuis viribus nititur & conſiſtit: nec ullis omninò eget adminiculis, imò in illa una cuncti theſauri clauduntur ſcientiæ ac ſapientiæ, omniaque quæcunque ab aliis ſunt gentibus vel diverſis de rebus prodita, vel quadantenus de eiſdem, pueriles balbuties ſunt ac inſcitia meræ, ſi cum illa conferantur ſanctâ & admirabili ſapientiâ. Hanc oportet eſſe reliquarum inſtitutionum canonem, ſicut Deum ſpirituum, & hominem animantium.* Hactenus Vives.

II. Apprehenſio doctrinæ ſacræ fit lectione ſyſtematicâ & biblicâ.

III. Lectio ſyſtematica eſt idea cujuſdam, aut pleni corporis doctrinæ Chriſtianæ.

Hoc eſt inſtrumentum apprehenſionis *placitorum*, quæ à communi Eccleſia Chriſti de quolibet loco communi tenentur, cum ſuis, declarationibus & demonſtrationibus.

IV. Idea ſacræ Theologiæ è compendio quodam orthodoxi Theologi crebrâ lectione animo infigenda eſt.

Hic

Hîc antequam ſtudioſus Theologiæ ſeſe credat juſto & vaſto *doctrinæ Chriſtianæ corpori* induſtriâ pii & eruditi Theologi concinnato, tanquam pelago aut labyrintho; ſibi eligat *epitomen*, ſive *compendium* & *ſynopſin* brevem, perſpicuam, ſacris literis conſentaneam & ſatis plenam, quam judicaverit vel ſtudiorum moderator, ſiquem habeat pium & ſatis peritum, vel ipſe, ſiquidem ille deſit, omnium veriſſimam, & vel perfectiſſimam, vel ſaltem captui, ætatique ſuæ convenientiſſimam, cujus beneficio, tanquam Ariadnæ filo, ſeſe ex ampliſſimi ſtudii, quod ſub ſole eſt, ſive pelago, ſive Labyrintho citra jacturam & errorem expediat. Proſtant hujus generis hypotypoſes, ideæ, medullæ, ſynopſes & compendia varia, inprimis Theologorum Leidenſium, Dudleji Fenneri, Lucæ Trelcatii, VVilhelmi Perkinſi, Amandi Polani, Marci Beumleri, Jodoci Nahumi, Ludovici Lucii, Johannis VVollebii, Matthiæ Martinii, Johannis Henrici Alſtedii, G. Ameſii, M. F. VVendelini & ſimilium, &, quoniam ita Deo viſum, noſtrum ſyntagma.

V. Lectio pleni corporis doctrinæ Chriſtianæ eſt eccleſiaſtica aut ſcholaſtica.

VI. Eccleſiaſtica è juſto quodam ſacræ Theologiæ ſyntagmate ab orthodoxo auctore conſcripto, ſuſcipienda eſt ad popularem inſtitutionem.

VII. Scholaſtica inde pro cujuſque viribus & conditione per omne genus optimorum Theologorum in omnem ætatem alenda, continuanda & perficienda eſt, ad eruditæ juventutis informationem.

VIII. Hæc lectio ſcholaſtica requirit armarium inſtructum & judicium exquiſitum.

IX. Armarium inſtructum ſit à ſcriptoribus, qui tradunt Theologiæ tum communia, tum particularia.

X. Com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

X. Communia tradunt, qui præcognita Theologica exhibent.

Ex antiquis, Gregorius Nazianzenus *oratio-nibus de Theologia*: è recentioribus Andreas Hy-perius *in Theologo*, Franciſcus Junius *de Theolo-gia*, Amandus Polanus *in principio ſyntagmatis* Johannes Henricus Alſtedius *in præcognitis Theo-logicis*, &c.

XI. Particularia tradunt illi, qui ſcripſerunt d. his, quæ pertinent vel ad Theologiam naturalem, ve ad revelatam.

XII. De Theologia naturali legi poſſunt omnes, qu commentantur ſuper πρωτοκτισίαν *ſive* ἑξαήμερον ut *è patribus* Baſilius M. Ambroſius, Auguſtinus *è ſcholaſticis* Bonaventura, Thomas Aquinas con-tra gentes: *è recentioribus*, Marſilius Ficinus, *tum de religione Chriſtiana contra Atheos, Gentiles & Iu-dæos; tum in Theologia Platonica de immortalitate a-nimæ*, Philippus Mornæus *de veritate Chriſtianæ re-ligionis*, Johannes Spinæus *de providentiâ*, Hiero-nymus Zanchius *de operibus DEI*, Johannes Pi-cus, & Johannes Franciſcus Picus Mirandulani comites, Paulus Scalichius, Raymundus Lul-lius, Theophraſtus Paracelſus, Guilelmus Bar-taſſius, David Paræus in Geneſin, Johannes Arndt *de Chriſtianiſmo*, Conradus Aſlacus Danus in πρωτοκτισίαν, Benedictus Pererius *in Geneſin*, & Johannes Henricus Alſtedius *in Theologiâ na-turali*.

XIII. De Theologia revelata legi debent catecheti-ca, dogmatica, polemica, τὰ πρὸς συνείδησιν *ſive caſus conſcientiæ, hiſtorica & concionaria.*

XIV. In catecheticis legantur præ cæteris quin-que capita religionis Chriſtianæ pura & per ſe.

Deinde pro cujuſque captu, eccleſiaſtici ſcriptores, vel omnes, vel quidam, vel unus ſal-tem, ut, *ex antiquis ſymbolum* Athanaſii, *expoſitio*

ſymboli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſymboli Ruffini. *Catecheſis* Cyrilli Hieroſolymitani, Gregorius Nyſſenus *in orationem Dominicam*, *ipſiuſque oratio catechetica*. Auguſtinus *de ſymbolo*, Cyrillus Alexandrinus *in ſymbolum Nicænum*: *è recentioribus, dilucida & pia explicatio ſymboli, quod Apoſtolorum dicitur, decalogi ſeu præceptorum & dominicæ precationis per* Deſiderium Eraſmum Roterodamum, *Catecheſis* Lutheri, Melanchthonis, Chytræi, Genevenſis, Heidelbergenſis, Urſini & Paræi, *Theologia popularis* Matthiæ Martinii, *Catechetica* Johannis Arndts, Joh. Piſcatoris, Perkinſi & Alſtedii

XV. In dogmaticis exſtant, qui locos communes ſcripſerunt, vel ſparſim hinc inde plures aut unum duntaxat: ut,

E patribus Tertullianus, Auguſtinus, Cyprianus, alii. vel eos conjunctim certo ordine perſecuti ſunt, tum *inter Scholaſticos*, Petrus Lombardus, quem magiſtrum ſententiarum intitulant, Thomas Aquinâs, Iohannes Scotus, Guilielmus Occamus, Nicolaus de Orbellis, & innumeri alii; tum ex *proteſtantibus Theologis* Philippus Melanchthon in corpore doctrinæ, Bullingerus in Decadibus, VVolffgangus Muſculus, Calvinus, Martyr, Beza in confeſſione, Aretius in problematis, Polanus, Bucanus, Sohnius, Trelcatius, Alſtedius, Nicolaus Hemmingius in ſyntagmate, Victorinus Strigelius, Martinus Chemnitius, Matthias Hafenrefferus, Iohannes Gerhardus Theologus Jenenſis prolixiſſimè.

XVI. *In Polemicis adverſus varios errores & hæreſes valent* E patribus præſertim Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Baſilius M. Arnobius contra gentes, Athanaſius *hæreticorum malleus* olim dictus, qui in concilio Nicæno primas tenuit, & Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus

Alexan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Alexandrinus, qui direxit concilium Epheſinum,
Theodoretus, Leo Papa, Fulgentius, Proſper: *è*
Scholaſticis Thomas Aquinâs, Johannes Scotus,
& VVilhelmus Occamus, & alii contra varias hæ-
reſes: *è proteſtantibus* ultimi temporis D. Luthe-
rus, Melanchthon & Martyr contra Pontificios,
Bullingerus contra Anabaptiſtas, Calvinus con-
tra Pontificios & Libertinos; Beza, Pezelius,
Sohnius, Pierius, & Martinius in quæſtionibus,
quas Euangelici & proteſtantes Theologi ſecu-
lo nuper præterito inter ſe ventilarunt aliquan-
to rigidius; Danæus, Junius, VVhithakerus, Si-
brandus, Vorſtius, Ameſius, Chamierius, Scarpius
contra Bellarminum, Johannes Gerhardus in lo-
cis communibus, & Johannes Henricus Alſte-
dius in Theologia polemica contra varios erro-
res. Adverſus Photinianos novos & Sociniſtas
Pareus, Sibrandus, Jacobus ad Portum, Tarno-
vius, Stegmannus, Franzius. Adverſus hos ple-
roſque omnes ſyntagma Amandi Polani: Si ta-
men in polemica aliquid otii impendere datur à
jugi lectione ſacrarum literarum, quæ in ſtudio
theologico utramque faciunt paginam.

XVII. Τὰ πρὸς συνείδησιν *& Theologiam ca-*
ſuum invenies potiſſimùm apud patres Tertullia-
num, Cyprianum, Ambroſium, Chryſoſtomum,
Prudentium, Auguſtinum, Macarium, Bernhar-
dum: *apud Scholaſticos*, Bonaventuram, Hugo-
nem de S. Victore, Dionyſium Carthuſianum,
Johannem Taulerum, Thomam de Kempis,
Guilhelmum Pariſienſem: *apud recentiores tum*
Pontificios, Thomam Cajetanum, Martinum
Navarrum, Acoſtam, Azorium, Pereſium, Drexe-
lium; *tum proteſtantes*, Ottonem Caſmannum,
Perkinſum, Balduinum, Alſtedium, Ameſium,
Taffinum.

XVIII. Hiſtorica, divina cum primis & eccleſiaſti-
ca,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

a, quorum finis eſt religio, nihilque aliud ſunt, quàm Theologia exemplis conſtans, partim ex ſacris Bibliis, partim è ſcriptoribus eccleſiaſticis, actis conciliorum, canonico jure, patribuſque haurienda ſunt.

Hoc ſtudium inchoari poteſt à ſacris Bibliis & Chronico Carionis à Philippo Melanchthone adornato, hiſtoriâ tripartitâ, epitome Haimonis, medulla Parei: addi poſſunt centuriæ Magdeburgenſes, Oſiandri & ſimilium; indéque procedi ad omne hiſtoricorum genus, adhibitâ, tanquam Ariadnes filo, Chronologiâ & Geographiâ. Gentiles quæ de Diis ſuis finxere, ea quidem involucris quibuſdam occultant myſteria naturæ, aut utilia continent vitæ documenta, ſed eo intuitu non hujus ſunt fori, verum ad philoſophiam pertinent, ut vir maximus Gerardus Joh. Voſſius *Artis hiſtoricæ cap.* 7. ſapienter monet. Adultioribus & candidatis ſacræ theologiæ, qui confirmatioris ſunt judicii, antiquitatis & patrum lectio cumprimis commendata eſſe debet. Quorum tamen, ut & juniorum ſcripta nunquam ſacris literis æquanda, ſed ad has exigenda, ita ut non aliter recipiantur, quàm *teſtium* loco qui doceant, quod inde ab Apoſtolorum tempore & in quibus orbis partibus, doctrina illa prophetarum & Apoſtolorum ſincerior conſervata ſit. Studioſi, qui vel ſumtuum inopiâ, vel aliis de cauſis, ſinuoſa patrum volumina ſibi comparare & perlegere nequeunt, *Petrum Lombardum*, ſententiarum magiſtrum, qui patrum ſententias compilavit & in locos communes digeſſit, tantiſper non incommodè legent, & cum Calvini inſtitutione Chriſtiana & catecheſi Urſini conferent, dum ad majora aditus ipſis patefiat. Quia verò patrum ſcripta à multis malè citantur, omnium conſultiſſimum eſt, ut ea ipſimet inſpiciant, ne aliorum excerptis decipiantur. Præcipuum

cipuum verò ſtudium in lectione hiſtoriarum ecclesiaſticarum ad quatuor potiſſimùm fines referendũ eſt. 1. Ut diſtinctius intelligamus patrum commentaria. 2. Ut promtiores accuratioreſque evadamus ad docendum publicè, ſive in Eccleſiâ, ſive in ſcholis. 3. Ut quæ ad ordinem eccleſiaſticum ſpectant, prudentiùs vel corrigamus, vel conſtituamus. 4. Ut in conſiliis dandis publicæ privatimque circumſpectiores fiamus.

XIX. Concionaria tradunt partim per regulas, partim per exempla & commentarios. E priſcis canones Apoſtolorum, & conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ Clementi Romano inſcribuntur, opera Dionyſii Areopagitæ, paſtorale Gregorii M. Commentariis verò ſcripturam inprimis, illuſtrarunt Theodoretus ferè totam, & Chryſoſtomus potiſſimum N. Teſtamentum inter Græcos: inter Latinos verò præcipuè Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Beda: Quibus inter ſcholaſticos accedunt Hugo Cardinalis & Nicolaus Lyra: E junioribus F. Junius & Piſcator. *E recentioribus* Eccleſiaſtes Eraſmi Roterodami & Bucani, methodus Nicolai Hemmingii, Sutlivii, prophetica Perkinſi, Rhetorica Eccleſiaſtica Keckermanni & Alſtedii, axiomata practica cum poſtilla Abrahami Sculteti, de formandis concionibus Hyperius & Zepperus, unà cum politia Eccleſiaſtica, Bucerus de regno Chriſti, de promta item rerum meditatione Matthias Martinius. Quibus adde, ſi lubet, Oratorem noſtrum Eccleſiaſticum. Exempla præbent poſtillæ Lutheri, Melanchthonis. Deſideramus vero & ſollicitè exſpectamus in hanc rem plenum *ſyſtema Theologiæ practicæ* ex Anglicanis auctoribus concinnatum à reverendiſſimo in Chriſto patre & domino, *D. Iacobo Archiepiſcopo Armacano, totius Hyberniæ primate*, domino plurimùm colendo: quem inſignem

gnem theſaurum ut cum ciſmarinis noſtris Chriſtianis Anglicanæ dialecti ignaris promtè communicet, qua par eſt reverentiâ obteſtamur.

XX. *Atque ab his armarium ſacræ Theologiæ ſtudioſi pluſquam ſufficienter ad lectionem corporis doctrinæ Chriſtianæ inſtructum eſt: ſequitur judicium exactum, quo verſantis in hac lectione ſtudium dirigitur.*

XXI. *Sunt autem hîc tenendæ ſequentes regulæ criticæ ſive judiciariæ.*

1. *Sacræ Theologiæ ſtudioſus à teneris unguiculis in lectione Biblica innutritus, doctrinâ catecheticâ jam probè cognitâ & memoriæ firmiter traditâ, ideam locorum communium intelligentiâ & memoriâ ſimilem in modum apprehenſam, in ſyntagmatica lectione pro perpetua cynoſura adhibeat.*

2. *Syntagma Theologicum, quod quidem haberi poteſt, pleniſſimum, & maximè orthodoxum, & quàm proximè ad ſacras literas verborum & ſententiarum dignitati accedens ſibi familiare reddat, ut ad illud, quæ alibi etiam legit, beneficio Ideæ jam ante perceptæ, ſapienter referat.*

3. *Omnes concluſiones ſyntagmatis Theologici ante omnia ad ſacram Scripturam, tanquam unicum Chriſtianæ fidei principium & canonem examinet, in hoc unicè eas fundet, & ex hoc interpretur.*

4. Deinde *conſenſum catholicum in interpretatione è ſymbolis Catholicis & ſex conciliis potiſſimùm exquirat.*

5, Primum *eſt Nicænum* à Conſtantino Magno indictum anno æræ Chriſtianæ 325. cui interfuêre Epiſcopi toto orbe convocati 318. præter innumeram presbyterorum, diaconorum, aliorumque virorum eccleſiaſticorum multitudinem. In hoc damnatus fuit *Arius* presbyter Alexandrinus.

6. Alterum concilium generale eſt *Conſtan-*

tino-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tinopolitanum I. anno 383. à Theodoſio M. celebratum contra *Macedonium*, & qui cum hoc Spiritûs Sancti deitatem negabant.

7. Tertium eſt *Epheſinum*, à Theodoſio juniore contra *Neſtorium* anno 431. indictum.

8. Quartum eſt *Chalcedonenſe*, anno 451. contra *Eutychem* & *Dioſcorum* à Marciano Imperatore convocatum.

9. Quintum eſt *Conſtantinopolitanum II.* anno 548. vel, ut alii numerant, 553. à Juſtiniano contra *Arianos*, *Neſtorianos*, *Eutychianos* indictum.

10. Sextum eſt *Conſtantinopolitanum III.* contra *Monothelitas* anno 681. à Conſtantino Pogonato ſive Barbato indictum.

11. Tertiò, *à conciliis hiſce univerſalibus fiat tranſitus ad patres, quorum ætates in tres periodos Chronologicè diſcernantur, quarum ſingulæ* 300 *ferme annis contineantur*. Hi verò non cum *credendi neceſſitate*, ſed cum *judicandi libertate* legantur, quia cum à ſacra ſcriptura, tum inter ſe, tum puritate, tum antiquitate plurimùm differunt. Multi eorum libri ſuppoſititii ſunt ad colorandum errores Papatûs.

12. Prima *periodus* eſt eorum, qui floruerunt inde à tempore Apoſtolorum uſque ad concilium Nicænum, h. e. ad annum Chriſti 325. ut ſunt, *Clemens Romanus* (niſi eſt ſuppoſititius) *Ignatius*, *Polycarpus*, *Dionyſius Areopagita* (ſi γνήσιος, de quo tamen vide J. Caſaubonum adverſus Baronium) *Iuſtinus Martyr*, *Athenagoras*, *Theophilus Antiochenus*, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Cyprianus*, *Arnobius*, *Lactantius*, *Euſebius Cæſarienſis*.

13. Secunda *periodus* eſt eorum, qui docuerunt à concilio Niceno uſque ad concilium Conſtantinopolitanum III, id eſt, ad annum Chriſti 681.

ut ſunt *Athanaſius*, *Hilarius*, *Cyrillus Hieroſolymitanus*, *Baſilius M. Gregorius Nazianzenus*, *Epiphanius*, *Ambroſius*, *Gregorius Nyſſenus*, *Hieronymus*, *Ruffinus*, *Prudentius*, *Iohannes Chryſoſtomus*, *Auguſtinus*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Theodoretus*, *Leo Papa*, *Proſper Aquitanicus*, *Vigelius*, *Gelaſius Papa*, *Fulgentius Boëtius*, *Gregorius M. Iſidorus Hiſpalenſis*.

14. Tertia *periodus* eſt eorum, qui claruerunt poſt concilium ſextum univerſale ab anno Chriſti 681. uſque ad annum 1000. ut ſunt *Venerabilis Beda*, *Iohannes Damaſcenus*, *Bonifacius Moguntinus*, *Paullus Diaconus*, *Albinus Alcuinus*, *Rabanus Maurus*, *Haymo Halberſtadenſis*. Videſis Medullam patrum Abrahami Sculteti, Criticum ſacrum Andreæ Riveti, opuſcula Theologica Danæi.

15. *Patres primæ periodi in dogmatibus præferendi ſunt patribus ſecundæ periodi, & hi patribus tertiæ periodi, quantùm ad doctrinæ puritatem.*

16. *Monumenta patrum certa, indubitata, & extra controverſiam poſita à dubiis, ſpuriis & ſuppoſititiis prudenter diſcernenda ſunt*. Hîc ſagaciſſimus eſt cenſor *Eraſmus Roterodamus*, cui adjungimus viros χαρίεντας *politos* & illuſtres, Joh. Ludovicum Vivem, Iſaacum Caſaubonum, Joſephum Scaligerum, Franciſcum Junium, Guilielmum Perkinſum, Andream Rivetum, Dan. Heinſium & D. Claudium Salmaſium, novum decus Academiæ Leidenſis.

17. *Quibus indiciis Critici diſcernunt genuinos libros Ariſtotelis, Ciceronis, Platonis & ſimilium à ſpuriis; iiſdem patrum ſcripta vera à fictitiis diſcernenda ſunt*.

18. *Rhetoricationes patrum à proprietate ſermonis & accuratiore loquendi formâ cum judicio diſtinguendæ ſunt.* Et in his ſcriptis patrum evolvendis

quidam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quidam ſuadent ut initium fiat, à *Tertulliano* & *Cypriano*, quos ſequatur *Baſilius Magnus* & *Nazianzenus*, & ab his eatur ad *Hieronymum* & *Auguſtinum*, aliorumque prolixiores commentarios. Præſtat tamen, ut ordo chronologicus hîc obſervetur; & ab iis, qui Apoſtolorum diſcipuli fuere, lectio inchoëtur, & per ſingula deinceps ſecula uſque ad auctores ætatis noſtræ continuetur ad ideam Apocalypticam, quæ exhibet 1. eos, qui Apoſtolos ipſos audiverunt à Chriſti aſſcenſu uſque ad Trajanum; ut ſunt *Epheſini*. 2. Eos, qui ſub tyrannis veritatem teſtati ſunt à Veſpaſiano uſque ad Conſtantinum M. ut; ſunt *Smyrnenſes*. 3. Eos, qui à Conſtantino M. uſque ad Carolum M. cum hæreticis luctati ſunt, ut *Pergamenſes*. 4. Eos qui à Carolo Magno ad Carolum V. ſub jugo Papatus hæſerunt, ut *Thyatirenſes*. 5. Eos, qui à Caroli V. tempore, relicto Papatu, gratiam Euangelii amplexi ſunt ſub conditione *Sardenſi*, Apoc. 2. & 3. quemadmodum infrà lib. V. Sanctæ Theologiæ pleniùs cognoſcetur.

19. *Patrum ſcripta omnia ad ſacrarum literarium normam exigenda, & cum ſex œcumenicorum Conciliorum decretis ſymboliſque receptis conferenda ſunt.*

20. *Eccleſiaſticos ſcriptores, quos* patres *appellamus, excipiant* doctores ſcholaſtici, *qui in ſuas quoque tres ætates prudenter diſſeparentur.*

21. Prima *ætas ſcholaſticorum* eſt eorum, qui floruerunt ab anno Chriſti 1000. uſque ad annum 1220. Et invectos in Eccleſiam errores non tam ſacrarum literarum teſtimoniis, quàm patrum ſententiis malè intellectis & verbo Dei æquatis aſſerere ſtuduerunt. Anteſignanus eorum fuit *Lanfrancus*, quem ſecuti ſunt *Guitmundus*, *Anshelmus*, *Hugo de S. Victore*, *Gratianus* juris canonici compilator, *Petrus Lombardus* magi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

magiſter ſententiarum & reliquorum ſcholaſticorum.

22. In hanc ætatem inciderunt quidam patres ſeu Eccleſiaſtici ſcriptores, ut *Theophilactus*, *Oecumenius*, *Bernhardus Clarevallenſis*.

23. Altera *ætas ſcholaſticorum* eſt ab anno Chriſti 1220. usque ad annum 1330. quâ philoſophia ſecularis Theologiam ita conſpurcare cœpit, ut refert Johannes Trithemius, Abbas Spanhemenſis, ut errores ac ritus à Pontifice Romano invectos non è patrum ſententiis in morem ætatis progreſſæ, ſed ratiunculis philoſophicis palliaverint. Principes hujus ætatis fuerunt *Guilielmus Pariſienſis*, *Alexander Alenſis*, *Albertus M. Thomas Aquinâs*, *Iohannes Duns Scotus*, *Bonaventura*, *Durandus*, *Guilielmus Occamus*, *Nicolaus Lyranus*, *Gabriel Biel*, *Nicolaus de Orbellis*, *Gregorius Ariminenſis*.

24. Tertia *ætas* eſt ab anno Chriſti 1330. usque ad annum 1517. quo B. Lutherus gratiâ Euangelii armatus pro virili ſuâ Romano Pontifici & ſcholaſticæ Theologiæ bellum indixit. Hæc ætas omnium fuit peſſima, & quæ priori fuerunt in quæſtione, ea hæc determinavit infeliciſſimè. Vixerunt hæc ætate *Iohannes Capreolus*, *Petrus de Alliaco*, *Iohannes Gerſon*, *Thomas Waldenſis*, *Iohannes de Turrecremata*, *Nicolaus Cuſanus*, *Dionyſius Carthuſianus*, *Iohannes Thaulerus*, *Baſilius ſive Weſſelus Groningenſis*, lux mundi dictus, *Dominicus Sotus*.

25. *Scholaſticorum lectio cautè inſtituta prodeſt iis duntaxat, qui in ſacra ſcriptura & ſana doctrina jam ante ſatis probè confirmati & potisſimum in ſcholis docturi ſunt.*

26. *Qui verò ſcholaſticos leget, is ex ætate prima potisſimum evolvat* Anſelmum, Gratianum, Lombardum: *ex altera* Thomam Aquinatem, Sco-

tum, Occamum, Lyranum: *ex ultima* Gerſonem, Carthuſianum, Johannem Thaulerum, VVeſſelum, Johannes Duns Scotus lib. 3. ſentent. diſtinct. 24. quæſt. 1. ſcribit *Magiſtros ſcholarum philoſophiam cum Theologia maximo cum fructu miſcuiſſe.* Verùm *Iohannes Aventinus*, homo pontificius, ſed hiſtoricus inſignis, de *Petro Lombardo*, Magiſtro ſententiarum, commemorat, quod ſacroſanctæ Theologiæ veritatem fontemque puriſſimum cœno quæſtionum, rivuliſque opinionum conturbaverit. Ambroſius Catharinus libro contra Dominicum à Soto ſtatuit, *ſententiarios*, qui ſacram ſcripturam ſuæ rationi & philoſophiæ poſtpoſuerunt, à recta via ſæpius aberraſſe. Idem judicium eſt Jacobi Fabri Stapulenſis, Jodoci Clitovæi, Joh. Ludovici Vivis, Thomæ Mori, Orthovini Gratii, Alberti Pighii, Henrici Cornelii Agrippæ, Auguſtini Steuchi Eugubini, hominum in medio papatu natorum. Melchioris Cani, epiſcopi Canarienſis judicium de ſcholaſticis Doctoribus dignum notatu eſt lib. 8. L. C. cap. 1. p. 379. *Intelligo*, inquit, *fuiſſe in ſchola quosdam Theologos adſcriptitios, qui univerſas quæſtiones Theologicas frivolis argumentis abſolverint, & variis invalidisq́ue ratiunculis magnum pondus rebus graviſſimis detrahentes, ediderint in Theologiam commentaria, vix digna lucubratione anicularum. Et cùm in his ſacrorum Bibliorum teſtimonia rariſſima ſint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis ſanctis oleant, nihil ne ex gravi philoſophia quidem, ſed ferè puerilibus diſciplinis; Scholaſtici tamen ſi ſuperis placet, Theologi vocantur, nec ſcholaſtici ſunt, nedum Theologi, qui ſophiſmatum feces in ſcholam inferentes & ad riſum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum.* Verba Cani ſunt, quid ſi Foalvini aut Lutheri? Sed & proba eſt cautio Alfonſi Salmeronis Toletani, tom. 1. Comment. in

Euang.

Euang. Hiſtoriam proleg. 9. *Cum*, inquit, *hoc genus Theologiæ* (ſcholaſticæ) *commendo, nolim ut quiſpiam in illis ſtudiis conſeneſcat: ſed moderatum ac certum tempus illis diſputationibus impendat* ; ut ad meliora & ſuaviora ſacrarum literarum ſtudia tempeſtivè perveniat. *Quidam enim ita illis ſtudiis immodicè hærent, ut ad meditandas ſcripturas & tardi accedant , & aridi prorſus & jejuni inveniantur.* Et votum *Leonhardi Marii*, nuperi profeſſoris Colonienſis, noſtrum facimus, Tom. 8. comment ſuper univerſam ſcripturam S. proleg. quæſt. 8. *ſ.* 3. *Univerſitates quoque & ſtudia publica pro utilitate Chriſtianæ reip. facerent, ſi paullo diligentiorem haberent rationem divini verbi proponendi , explicandi , examinandi , & ſupra Ariſtotelem, S. Thomam, imò & B. Auguſtinum, pulpita & ſubſellia Chriſtum & ſcripturas ſonarent , prout in laudatisſimis Belgii noſtri univerſitatibus hodie ſit, &, ut diu fiat, ex animo voveo.*

27. *Hiſtoria Eccleſiaſtica, partim è ſacris bibliis, partim ex Ioſepho, Egeſippo, Euſebio, Nicephoro, Hiſtoriâ tripartitâ , Socrate, Sozomeno, Theodoreto , Sulpitio Severo, Cedreno, Haymone, Centuriis Magdeburgenſibus, catalogo teſtium veritatis, Martyrologiis, compendio Oſiandri , Medulla Parei , M. Matthæi Vogelii tum peregrinatione Eccleſiæ , tum Eccleſiæ militante Argentorati editis , & ſyntagmata hiſtoriarum Eccleſiæ omnium Iohannis Micrelii Anno* 1630. *Stetini in lucem dato, & ſimilibus cognoſcatur.*

28. *In Theologorum præſtantium , imò & aliorum omnium, ſcriptis, ſi qua durius aut incommodiùs dicta occurrant, qualia non pauca humanæ infirmitati multis de cauſis, præſertim in calore diſputationis & ſtudio partium ſæpè excidere ſolent , ea neque exagitanda neq; imitanda, ſed notanda & vel commodè interpretanda, vel, ſi commodam interpretationem non ferant , prorſus cavenda ſuiſque auctoribus relinquenda ſunt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

29. In Theologorum ſcriptis diſcriminentur dogmatica ab elencticis, irenica à polemicis, ſynoptica à diexodicis, methodica ab oratoriis, præcepta & canones à commentariis.

30. *Controverſias, quæ in Theologia à curioſis vel contra eos moventur, ne tractato, ne legito, ne attingito quidem, priuſquam fundamenta veræ ſanæque doctrinæ Theologicæ mediocriter poſueris, ut ne, antequam præcepta & principia ejus bene intellexeris, ſiniſtrè de iis judices.* Præmittantur igitur, face ſacrarum literarum ubique prælucente, omnemque lectionem cynoſuræ ad inſtar dirigente, dogmatica & hiſtorica elencticis, irenica polemicis: & ſic quoque ſynoptica diexodicis, methodica oratoriis, præcepta & canones commentariis.

31. Quicquid in claſſicis Theologis aut alibi occurrit egregium, id in Ephemerides, ſive diarium, tanquam locorum communium theſaurum recondas quàm ſimpliciſſimè per numeros paginarum & obſervationum diſtinctum, quos numeros index in capite aut calce appoſitus cum titulis rerum & verborum, quæ jam theſaurus tuus capit, uſibus tuis exhibeat: ut ſolent libri rationarii mercatoribus opes ſuas, earumque diſpenſationem exactiſſimè repræſentare.

32. Si, quod graves Theologi nunc paſſim optant, divinæ diſpoſitionis & εὐδοκίας foret, ut eccleſia Chriſti lacera & in partes ſciſſa coiret, ſublatis contentionibus & tyrannicis hominum additionibus, præter ſacrarum ſcripturarum & hiſtoriarum eccleſiaſticarum ſedulam lectionem miniſterii ſacri candidatus ad principia ſive catecheſin Chriſtianæ religionis, nihil aliorum auctorum adjungere magnopere laboret, opuſve habeat, niſi ad cognoſcendum in vero conſenſum aut diſſenſum & donorum varios gradus. Id quod ſapientiſſimus Germaniæ præceptor, Philippus

lippus Melanchthon præfat. in L. C. rectè obſervat. *Etſi*, inquiens *hunc ordinem* (nimirum librorum propheticorum & Apoſtolicorum à Geneſi Moſis ad Apocalypſin Johannis) *animadvertenti non multum opus eſt commentariis aut noſtris libellis, aut ſimilibus: tamen, quia vult Deus in Eccleſia vocem docentium ſonare, ut dicitur de miniſterio Evangelii Eph. 4. non fruſtra labor docendi ſuſcipitur. Non gignimus novas res ſeu materias, ut Heſiodus aliud tradidit quàm patres Sem, Iaphet; & hæretici res novas comminiſcuntur, non traditas ab Apoſtolis, ſed pii interpretes acceptas à Deo ſententias in prophetica & Apoſtolica narratione, bonâ fide recitant, & quia rudes non ubique genus ſermonis intelligunt, non ſtatim vident ordinem rerum, commonefaciendi ſunt voce interpretum de genere ſermonis, & de rerum ordine. Et quia multæ corruptelæ ſubinde excogitatæ ſunt & excogitabuntur, pii paſtores & Doctores ſunt teſtes veræ ſententiæ certâ auctoritate acceptæ, & refutatores falſarum interpretationum. Propter has cauſas Deus miniſterium Evangelii, & ſtudia in templis & in ſcholis ſua ope ſervat & ſubinde reſtituit, ut ſimus* CUSTODES LIBRORUM PROPHETICORUM & APOSTOLICORUM, & TESTES VERAE INTERPRETATIONIS, & REFUTEMUS *omnes* OPINIONES *pugnantes cum doctrina tradita per prophetas*, CHRISTUM & *Apoſtolos, ne exſtinguatur lux Evangelii.* Hucuſque Philippus.

CAP. VIII.

De lectione biblica, & quidem nominatim de GNOSTICA, *ſeu epiſtemonica.*

L*Ectio biblica eſt alterum medium pædeuticum, quo doctrina ſacra à ſtudioſo Theologiæ è vero ac divino principio, Bibliis ſacris, eorumque compendio, quod ab omnibus Chriſtianis agnoſcitur, decalo-*

go videlicet, ſymbolo Apoſtolico, oratione dominica
diſciplina eccleſiaſticâ, & utroque ſacramento, ſolia
riteque apprehenditur.

Sicuti Theologiæ ſtudioſus à teneris adſuevi
lectioni Biblicæ ſimpliciori: ita in ætatem omn
ad ἀκριβολεξίαν uſque eam cum Timotheo conti
nuare debet, 1. *Tim.* 4, 13. 14. 15. 16. *Iacob.* 3.
& hæc illi, qui, extra ſcholas & diſputation
cum hæreticis rudem populum inſtituturus a
ſuæ ſuorumque duntaxat conſcientiæ privatim
conſulturus eſt, cum ſimpliciſſima cateche
Chriſtiana, ſelectis ſcripturæ textibus quibu
dam comprehenſa, catholicè recepta, vel ſo
ſufficere poteſt, omiſſo & ſcholaſticis relicto a
mario, quod *cap.* 7. *aph.* 6. 7. & ſequentibus i
ſtruximus, argumento, 2. *Tim.* 3, 15. 16. 17.
Heb. 13, 8. 9. 1. *Cor.* 1. 17. & 2. 4. Et hæc lecti
Biblica eſt inſtrumentum apprehenſionis *princi*
piorum, quibus *placita* veræ Eccleſiæ nituntu
Perſuaſiſſimum igitur ſit unicuique, maximè
Theologiæ ſtudioſo, planè neceſſarium eſſe,
in ſacris Bibliis aliquot quotidie perlegat capita
Mare enim eſt *ſcriptura*, teſte Gregorio Magn
homil. 6. in Ezech. *in quo agnus peditat, & eleph*
natat. Neque eſt dubium, ſi quis vel ſemel i
anno Biblia univerſa evolverit, eum hoc ipſ
poſtmodum gaviſurum, hujuſque diligentiæ fru
ctum maximum percepturum. Hac propter ſi
mora quiſque ſibi hanc legem ferat, eique om
curâ, quoad vixerit, parere ſtudeat. Nemo eni
meliùs ad officiũ exſtimulatur & in eo retinetu
quàm qui ſibi ipſe lex & judex ultro exſiſti
Quiſque, ubi ordo lectionis per negocia ex in
proviſo interruptus fuerit, confeſtim id animad
vertat, & pœnas à ſe ipſe poſcat.

II. Eſtque partim gnoſtica ſive epiſtemonica, par
tim mnemonica, partim critica.

II

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

III. GNOSTICA *ſeu epiſtemonica eſt, quâ ſecundùm regulas quaſdam, remotis impedimentis & adhibitis mediis convenientibus, germana ſcripturarum ſententia percipitur.*

Prima enim tam docentium, quam diſcentium Theologiam cura ſit, ut boni fiant TEXTUALES, ut D. Chytræus & alii cordati Theologi loquuntur, quod obtinebunt, ſi calidâ prece, ſancta intentione, adhibitis adminiculis jam propoſitis, textum Biblicum quotidie certo ordine evolvant, reſolvant, & ex eo conciones de articulis fidei hiſtorias omnes & inſigniora dicta ſibi familiaria reddant, & quantum pote memoriæ infigant? quod longè ſatius eſt quàm ſi quis per omnes hominum commentarios volitet.

IV. Impedimenta, quæ in lectione ſcripturarum vel intelligentiæ vel appetentiæ noſtræ, vel utrique obſtant, hæc potiſſimùm amovenda ſunt.

Primò officiunt intelligentiæ, 1. Sapientia & prudentia carnalis, *Rom.* 8. *verſ.* 5.6.7. 2. Naturæ depravatæ cæcitas 1. *Cor.* 5. *v.* 14. 3. Ignoratio neceſſariorum adminiculorum, nempe Catechiſmi *Heb.* 5. *v.* 1. 2. philologiæ & philoſophiæ, quæ ſunt famulæ ſtudii Theologici. 4. Neglectio lectionis Biblicæ. 5. omiſſio mediorum neceſſariorum, quæ ſunt precatio devota, collatio dictorum ſcripturæ & ſimilia, de quibus partim antea diximus, partim poſtea dicemus. 6. Incerpretum inſcitia aut malitia. 7. Anticipata apprehenſio *placitorum* ante apprehenſionem *principiorum*, quæ ſic per alienas interpretationes & majorum dictamina infici poſſunt.

Secundò appetentiæ ſive affectui noſtro obſtant. 1. Impietas, 1. *Pet.* 3. *v.* 16. & 18. 2. Odium & faſtidium veritatis propter amorem & ſtudium rerum mundanarum, præceptæ opiniones,

& indocilitas, quam parit præjudicium, 2. *Theſſ.* 2. *v.* 10. 11. 12. *Matth.* 16. *v.* 6. *Col.* 2. *v.* 8.

Tertiò utrique ſimul obſunt, 1. contemtu ſacræ ſcripturæ & ejus piorum, doctorumque interpretum. 2. immodica diſciplinarum externarum lectio & tractatio præpoſtera humanorum ſcriptorum. 3. ingratitudo in Deum, cum quis pro lumine ſibi in lectione ſacrâ incenſo non agit Deo gratias, neque rebus credendis & agendis illud accommodat.

V. Media in lectione biblicâ adhibenda ſpectant affectum aut intellectum.

VI. Affectum ſpectant hæc octo. 1. converſio ſeria ad Deum. 2. amor & deſiderium cœleſtis veritatis. 3. docilitas. 4. firma perſuaſio, ſcripturam eſſe à Deo profectam, & verum ſcripturæ ſenſum à nemine ex proprio aut alieno ſive humano ſive angelico ingenio poſſe inveniri, ſed à ſolo Deo revelari 2. *Pet.* 1, 20. 21. 5. precatio devota. 6. voluntas faciendi voluntatem Dei cognitã, *Ioh.* 7, 17. 7. Aſſidua ſcripturæ meditatio. 8. Perpetuus adſpectus ſcopi ac finis ſacræ ſcripturæ, qui eſt Chriſtus, ejusque gratia, *Act.* 10. *v.* 43.

VII. Intellectum ſpectant hæc ſeptem. 1. diligens conſideratio verborum. 2. analogia fidei. 3. conſideratio ſubjectæ materiæ & ſcopi. 4. conſideratio contextûs ejusdemq; vera & harmonica analyſis ac diſpoſitio. 5. conſideratio circumſtantiarum. 6. conciliatio locorum ἐναντιοφανῶν. 7. Uſus claſſicorum ſcripturæ interpretum.

VIII. Sunt autem hic tenendæ regulæ ἑρμηνευτικαὶ tum generales, tum ſpeciales.

De his videſis utramque clavem ſacræ ſcripturæ Flaccii Illyrici, Tropologiã ſacram VVeſthemeri, ideam boni interpretis Danhavveri, Alſtedium in Theologia.

IX. Generales regulæ ſunt iſtæ. 1. Cognitionem eorum, quæ veram pietatem & viam ſalutis æternæ propriè docent, ſeriò appetito, *Matth.* 5. *v.* 6. 2. Ut verè ſacram divinamque ſcripturam habeas, videto. 3. ſacram ſcripturam legito vel lectam audito attentè & purè, ut ex eâ pietatem in Deum & proximum condiſcas, *Ioh.* 5. *v.* 29. & 2. *Tim.* 3. *v.* 16. Attentè, ut omnes cogitationes tuas in unica ſacra ſcriptura defigas, aliorumque meditationem interea prorſus excutias, Deo cor aperiente, *Act.* 8. *v.* 26. 28. & *c.* 16. *v.* 14. Purè, ut ſine præjudicio humanisq; gloſſis excipias, 2. *Pet.* 1. *v.* 20. 21. *Pſal.* 119. *v.* 105. 1. *Cor.* 2. v. 4. 13. *Col.* 2. *v.* 4. primùm curato, ut, quid ſacræ literæ velint, ſcias: deinde, quæ alii ſuper iis commentati fuerint, legito, ut hæc è ſcriptura, non ex hiſce ſcripturam judices. 4. Ordine ſcripturæ partem poſt partem legito, non obiter, non incidenter aut indiſcretè. 5. partem ſcripturæ perlectam ſæpiùs repetito, usque dum id, quod ea in parte continetur, pro ætate & menſura fidei tuæ mediocriter intelligas, memoria tua firmiter ac prope verbotenus complectatur. *Luc.* 11. *v.* 35. 6. Quando nobis ignota ſunt ea, quæ prius cognoſci debebant, poſteriora, etiamſi velimus, intelligere non poſſumus. Nam Deus vult omnia, ut ſunt certo ordine conſtituta, ita etiam certo ordine cognoſci. Vnde ſcitè Ambroſius. *Diverſa*, ait, *ſunt ſcripturarum fluenta. Habes quod primum bibas, habes quod ſecundum, habes quod poſtremum.* 7. Lucem ab hominibus petitam ſcripturæ ne inferto. Nam ſic tibi obſtaculo eris, ne ſcripturæ lux inſita in intellectu tuo operari & ad profundioris ſapientiæ latices te devehere poſſit. Et principiis hominum imbutus facile inflatur, ut etiam ad ea ſcripturam ſacram metiri auſit. 8. Commentaria ante ſacram ſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

pturam ne legito, juxta regulam tertiam jam ſuprà non temere traditam.

Illa enim ante hanc lecta, animo opinionum ſiniſteritatem haud rarò ſuggerunt. 9. Omni te obſcura, quæ in ſcripturis occurrunt, ſcire debere ne putato. Deus vult tibi multa manere incognita, ut tuam ipſius agnoſcas imperfectionē. Sicut enim hæc omnia, quæ in magno libro NATURæ latent, inveſtigare non quivis tenetur: ſufficit enim, ut pro vocatione & neceſſitat ſua quædam expiſcetur, & cætera aliis relinquat: ita & nemo tenetur omnia, quæ in SCRIPTURA obſcura ſunt, intelligere. Quis enim profunditatem divinæ ſapientiæ exhaurire poſſet? 10. Poſtquam fundamentum fidei & pietatis è ſcripturis poſuiſti, commentarios aliorum quoque legere fas eſto. Conducit enim hoc ad deprehendendum conſenſum plurium in vero & judicium de eo firmandum. 11. Si divin ſacrarum literarum nectare irrigari & refocilla cupis, mundanas delicias CRUCE Chriſtiana a terito. Nam mundanorum memor & aman divina vix ſapiet. 12. Etſi unusquisque ipſe d horis lectionis biblicæ, pro ratione vocationi loci & temporis conſtituere poſſit: tamen matutinum & veſpertinum tempus maximè commendari videtur. *Deut. 6. v. 11. 19.* 13. Curati ſit præcipua, quas quis horas deſignaverit, ea conſtanter & ſine interruptione, lege inviolabili, licet absque ſuperſtitione, perpetuo obſervet. 14. Quod ſi ex inopinato accidat, qu propoſitus ordo interturbetur, omnibus mod providendum eſt, ut alio tempore reſarciatu 15. Maximè conſultum fuerit à Moſis Geneſi & pſalterio lectionis Biblicæ initium fieri, & ho ſeorſim legi & aliquoties repeti, aut etiam p ote ediſci. Scitè enim Baſilius Magnus appe

iat κοινὸν ταμιεῖον ἀγαθῶν διδαγμάτων, *commune promtuarium bonorum documentorum.* Vide conſilium doctiſſimi Hyperii, *lib.* 2. *de lectione ſacræ Scripturæ pag.* 180. Si pſalmos ſeorſim legendos non adnumeres, & unaquaq; ſeptimanâ perlegeris capita quindecim, ſingulis videlicet diebus bina & ſeptimo quoque tria, omnes V. T. libri ſemel intra annum abſolventur, exceptis tantum tribus diebus reſiduis. 17. Libri apocryphi, in quibus tantum ſtudii, quantum in canonicis non ponendum eſt, omnes usque ad unum intra anni ſpatium dexterè perlegentur, ſi unaqualibet ſeptimanâ perlegeris tria capita, duab9 verò ultimis tredecim. 18. Si unaquaque ſeptimana in novo teſtimento perlegas capita quinque, præciſè anni ſpatio abſolves. 19. Id quod in ſacra Scriptura tibi faciendum legis, id agere tibi ſtudiosè proponito. *Ioh.* 7. 17: 20. Vetus Teſtamentum è novo illuſtrari ſcito, *Heb.* 7, 12. 16.18.19.20.21.22. *&* 6,7.8.9.15. 2. *Cor.* 3. *v.* 14. 15. 16. 17. 18.

X. *Speciales verò regulæ ſunt iſtæ:* 1. Quantum ad *conſiderationem verborum* & phraſium. 1. In ſacra Scriptura divinus eſt ſermonis character, hic autem poſitus eſt in ſtyli ſimplicitate, majeſtate, evidentiâ, efficaciâ, brevitate, plenitudine, cohærentiâ. 2. Senſus ſcripturæ propriè unicus eſt, nempe grammaticus ſeu literalis. 3. Eſtque ſimplex aut compoſitus 4. Simplex eſt vel proprius, qui per excellentiam literalis dicitur, ut 2. *Chron.* 12.6. vel figuratus, qui & tropicus & allegoricus uſitatè dicitur, ut *Pſal.* 2.4. 5. Compoſitus eſt, cujus pars eſt in typo, pars in re & veritate typo expreſsâ, ut in iis locis, quibus ſub typo quippiam deſcribitur. Valet hîc regula: *Propria ſcripturæ ſignificatio tam diu urgenda eſt, donec nihil abſurdi ex eâ ſequitur.* 6. Ana-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

lyſis grammatica & rhetorica ſic inſtituatur, v
appareat, quid ſtylus ſcripturæ proprium, qui
cum aliis autoribus commune habeat. Illuſtr
ſpecimen videſis apud Dominum *Matthiam Mar*
tinium τὸν μακαρίτην in Pſalmum ſecundum. 7
Enunciata ſcripturæ ſunt ϛοιχειώδη, quorum ſi
gna & ſignata ſunt manifeſta, ut *Gen.* 1. *v.* 32. ve
σεμνὰ, quorum ſignata obvia quidem ſunt, at ſi
gna aliquantò ſublimiora, ut *Ioh.* 10. vel μυϛικὰ
quorum ſigna communiter ſunt obvia, ſignat
non item, ut 1. *Cor.* 11. 10. vel ὀνομαϛικὰ, quo
rum ſigna & ſignata ſunt in abdito, ut *Gen.* 30. v
14. 8. Λογογραφικὴ ἀνάγκη intellectum cumpri
mis fulcit, ſi ſumitur è lingua originali & verſio
nibus claſſicis.

II. Quantum *ad analogiam*, regulæ ſunt iſtæ. 1. Omnis interpretatio ſcripturæ ſit analoga fidei, *Rom.* 12. v. 6. 2. Analogia fidei habeat adjunctam comitem analogiam charitatis. 3. Analogia fidei exhibeat principia credendi; analogia charitatis principia piè vivendi.

III. Quantum ad *ſubjectam materiam & ſcopum*, regula unica eſt. Interpretatio ſcripturæ neq; præter ſcopum dicentis, neque contra naturam rei, de qua agitur, extendenda eſt.

IV. Quantum *ad contextum*, unica. Interpretatio textuum *continuorum* lucem fœneratur ab antecedentibus & conſequentibus; *diſcretorum* non item: *utrorumq;* verò ab exactisſima ſacrorum librorum harmonia & diſpoſitione literæ, qua in ſacris Bibliis Spiritus ſanctus uſus eſt.

V. Quantum *ad circumſtantias*, unica. Interpretatio hiſtoriarũ ſit περιϛατικὴ, *è circumſtantiis.*

VI. Quantum *ad conciliationem* locorum in ſpeciem pugnantium, unica. Interpretationis conciliatricis norma eſt lex oppoſitionis. Videſis parallela *Franciſci Iunii*, Symphoniam *Ioh.*

Scarpii,

Scarpii, harmoniam totius ſcripturæ *Michaëlis Gualtheri*.

VII. Quantum *ad uſum* & inſpectionem claſſicorum *interpretum* ſacræ ſcripturæ, ſit unica. Interpretaturus ſacras literas, ſi pote, operam dabit, ut tum unum aliquem eximium interpretem in univerſam ſcripturam, tum in ſingulas ejus partes nobiliſſimum quemque & præſtantiſſimum nôrit, poſſideat, legat. Videſis de his autoribus bibliothecam Geſneri & Sixti Senenſis, Ideam diſpoſitionum Biblicarum D. Balduini, olim Profeſſoris VVittebergenſis, apparatum Poſſevini, bibliothecam Draudii, item compendium Theologiæ Alſtedii, *part.* 1. *c.* 12. & audi prudens piorum præceptorum conſilium.

CAP. IX.

De lectione mnemonica & critica.

HÆc de lectione gnoſtica, quæ intellectum rebus ac verbis ſacris è ſcriptura informat: ſequitur MNEMONICA: *quæ iiſdem theſaurum memoriæ ſecundùm certas regulas ſtipat ac fulcit.* 1. Exemplar bibliorum vernaculorum tibi comparabis, eoque ætatem omnem ita conſtanter uteris, ut adſcriptis ad ſingulorum librorum ſingula capita titulis mnemonicis, qui veluti in tabula ad ſingularum paginarum frontem appoſita ſummam bibliorum exhibeant, & ſæpius perlecta ac inſpecta tibi memoriam localem pariant. Tabulam in hunc uſum concinnatam vide apud Alſtedium in Theologia prophetica *pag.* 864. *& ſeqq.* & compendio Theologico *pag.* 21. 22. *& ſeqq.* 2. Chronologia librorum biblicorum exactè condiſcatur, ut ſemper in conſpectu & promtu ſit. Vide eam *tomo* 1. *Perkinſi in fine, itē in indice Chronologico Abrahami Buchholtzeri*, eo item, qui bibliis à D. Luthero translatis Herbornæ & alibi editis præfigitur, & in Theologia prophetica Al-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſtedii *pag.* 239. *& ſeqq.* 3. Chronologicam impreſſionem excipiat typica, qua diſtinctis ſchematibus perpetua bibliorum catena deſcribitur. Vide Analyticas tabulas *Moſis Pflacheri & Brandmülleri* in univerſam ſcripturam; præcognita item Theologica Alſtedii *pag.* 85. *& ſeqq.* item Sixtum Senenſem in bibliotheca ſacra, quibus Nicolaus Liranus analyſi ſuâ glaciem in poſtillis ſuis Biblicis jam olim fregit. 4. Memoriale biblicum è vulgatis Latinis bibliis olim Venetiis editis, è Sixto Senenſe in bibliotheca repetitum, à Matthia Martinio & Johanne Henrico Alſtedio expolitum, ad firmandum memoriam utiliter legitur. 5. Phraſes & loci difficiliores, quæſtionesque dubiæ inter legendum ſtatim, ne excidant, in chartam conjiciantur, majori ſtudio in diſputationibus publicis aut privata conſervatione cum doctoribus, aut apud interpretes, indagandæ, explicandæ, decidendæ.

II. Hæc de mnemonica, quam fieri potuit breviſſimè: ſequitur lectio CRITICA, *quæ judicium biblia legentis aliquot regulis dirigit ad cognoſcendum vim bene ponderatorum argumentorum, quibus aliquid ſtatuitur de rebus Theologicis ad religionem pertinentibus, & aliis in ordine ad eas, ut hinc id quod ſtatuitur, vel approbetur, vel improbetur, vel ut obſcurum aut incertum in medio relinquatur.*

III. Regulæ ſunt. 1. *Ante omnia linguam*, qua res ſacra judicanda proponitur, probè ſcito. 2. Terminos rerum propoſitarum bene conſiderato; aut, ſi ambiguos offenderis, diſtinguito, & veram ſignificationem ad propoſitam materiam rectè applicato. 3. Omnia intelligendi præcepta accuratè ſequitor, ut id, de quo judicandum eſt, bene intelligas. 4. Quicquid contra manifeſtam pietatem, SS. ſcripturam, naturam & re-

ctam

ctam rationem aſſeritur, ut falſum rejicito. 5. In quo omnium ſapientum monumenta, natura & recta ratio cum ſcripturis conſpirant, illud verum eſſe arbitrator. 6. Omnes logomachias, ut futiles & inanes, repudiato. 7. Omnes conſequentias, quæ in ſcripturis non exſiſtunt, ſed ex iis rationis opera deducuntur, ſi pietatem & concordiam tollunt, temerariè defendi judicato. 8. Propoſitiones univerſaliter aut indefinitè enunciatæ, ſi in alias incurrant æquè in ſcripturis traditas, ex iisdem ſapienter limitandæ & cum illis conciliandæ ſunt. 9. E ſolis ſacris literis de omnium Theologorum ſcriptis judicato. Hæ enim literæ veræ ſapientiæ ſolidum ſunt fundamentum. Si controverſia ſit de re aliqua, ejusque probatio è ſacra ſcriptura liquidò haberi poſſit, creditur illa res eſſe vera, quia ſ. ſcriptura eam clarè docet: ſin ex aliis ſcriptis aliquid probetur, id non creditur, quia in iis proponitur, ſed quia cum lumine naturæ & gratiæ congruit. 10. Cognitis apertis, legito obſcurè dicta, meditator, relegito, idque aliquoties, dum innata ſcripturæ lux intellectui tuo demat nebulas rerum profundarum cognitionem impedientes, ut ea, quæ aliis intellectu difficilia habentur, facilè pervidere poſſis. Nam in ſcriptura quædam *apertè*, quædam *opertè* docentur: idque hoc fine, ut primùm nosmet ipſos exerceamus in apertis, quo per *aperta* in *opertorum* apprehenſionem ducamur. 11. Nunquam tamen ad ſcripturæ lectionem & meditationem te accingito, niſi ad Deum preces præmiſeris, atque ab eo ſpiritum intelligentiæ impetraveris. 12. Quo facto, lege attentè. 13. Si quid ſub initium difficile videtur, vel ſub notione falſi apparet, illud ne judica, ſed præteri, atque ad alia progredere, cogitans nondum adeſſe horam, qua il-

lud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

lud intelligere debeas. Aliâ tamen horâ repet idque ſeriò & cum attentione. Si tum nondu intelligis, ſimiliter acquieſce, neque judicat Perlege alia, & certò ſtatue, nondum illuxiſ horam, qua Deus tibi animum aperire velit a iſtud intelligendum. Confer criticum ſacru D. *Andreæ Riveti*, Ariſtarchum ſacrum viri ſum mi & nunquam ſatis laudati *Danielis Heinſii*, pro ceſſum diſputandi *Conradi Horneji*, clavem ſcri pturæ *Illyrici*, ideam boni interpretis & mali tioſi calumniatoris *Danhavveri*.

CAP. X.

De gymnaſtica & effectis ſtudii Theologici.

H*Actenus è mediis humanis ſtudii Theologic fuerunt technica: ſuperſunt* GYMNASTICA *quibus ſtudioſus doctrinam vitamque Theologicam per media prædicta acquirit, & acquiſita per exercitationem aptā & convenientē patientiam pericula facit.* Vide ſupra *cap.* 4. *aph.* 2. in quo hæc diſtinctio mediorum humanorum propoſita fuit.

II. Sunt autem alia doctrinæ; alia vitæ.

Illa fortaſſis non malè *didaſcalica*; hæc verò *practica* dixeris. Utraque Theologis & fidis verbi Dei miniſtris futuris apprime neceſſaria, de quibus quod vulgò de Chriſtianis & rectè pronunciatur, *eos non naſci, ſed fieri & renaſci*, non minus verum eſt, quippe quibus multa præparatione opus eſt, ut ad tam ſublime munus idonei accedant. Neque enim hîc ſufficit ſola perſonæ *auctoritas*, aut vitæ *gravitas* & ſanctitudo, aut rerum divinarum *ſcientia*, ſed ſciendi ſtudium cum vitæ integritate perpetuò conjungendum eſt. Neque hæc Theologum abſolvunt, niſi accedat praxis & experientia plurifaria, qua doctrina diſcendo percepta roboratur & augetur *in* quotidiana

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

iana *invocatione* & exercitiis pœnitudinis; *in do-*
ribus ortis è ſenſu iræ Dei & pœnarum; *in ſtudiis*
& laboribus vocationis; *in petendo & exſpectando*
Dei auxilio, *in tolerantia* ſanctæ *crucis & multi-*
lici *tentatione*. Nam ſcitè Baſilius Magnus homil.
dverſus iraſcentes p. 183. Ἐπειδὰν μάλιστα τὴν
κδασιν μαρτυρῦσαν λάβῃ τὰ παραγγέλματα. τότε
ὸ σοφὸν αὐτῶν καὶ ὠφέλιμον πρὸς τὴν ἐπανόρθωσιν τοῦ
ίυ καὶ τὴν τῶν πειθομένων τελείωσιν ἀναφαίνεται. *Ubi*
ventus præceptis teſtis acccesſerit, tunc maximè ſapi-
ntia & utilitas ipſorum ad vitæ correctionem & cre-
entium perfectionem apparet.

III. Gymnaſtica doctrinæ ſunt hic diſcernenda in ſta-
lia, *quæ decurrenda ſunt ad acquirendum doctrinam*
heologicam, & ſtudia *ſive Gymnaſia & exercitia,*
uibus acquiſitæ doctrinæ pericula fiunt.

IV. Stadia, vel ſunt tyronum, vel veteranorum,
vel candidatorum.

V. Stadia tyronum ſunt domeſtica, collegialia, aut
ublica.

VI. Domeſtica decurruntur præmiſſa lectione biblica,
ante meridiem *per geneſin, dum legitur* locus com-
munis *quantum ad definitiones, diviſiones, ſtatum con-*
troverſiæ, aliquot argumenta in utramque partem, ea-
que maximi ponderis: à meridie *verò per analyſin,*
dum eliguntur in commentario *partes analyſis laxæ;*
diſpoſitio *videlicet, quæ integrum aliquem textum*
biblicum reſolvit in thema & argumenta: inven-
tio, *quæ eſt inſtructio de deprehendendis abſque errore*
quibuſlibet textus partibus: judicium, *quod unum-*
quodque thema & argumentum, in quod reſolutio fa-
cta eſt, ad rudem aliquam deſcriptionem vel paraphra-
ſin revocat: & amplificatio *quæ ex ore in cor dicentis*
deſcendit, & promit reſpectus, quos dicens inter loquen-
dum habuit ad res competentes ex legibus ſapientiæ, ad
ſenſum loci qualitercunque complanandum & menti
conciliandum.

Hic

Hic igitur eſt tum loci communis, tum co
mentarii lectio, quæ utraque ſiſtit in maximè n
ceſſariis.

*VII. Collegialia decurruntur per privatas exerc
tationes ad ſolidandum eruditionem theologicam
mente tyronum.*

*VIII. Ea autem quadruplicia perpetuò conjun
poſſunt, nimirum collegium peiraſticum, elencticu
problematicum, & Biblicum.*

IX. Collegium Peiraſticum *eſt, in quo corpus d
ctrinæ Chriſtianæ, ſive loci communes per definitione
diviſiones, canones & ſcripturæ teſtimonia, in quib
hæc ſingula fundantur, in modum catecheſeos repet
tur, examinatur, inculcatur.*

Dici etiam poteſt δοκιμαστικὸν, examinato
rium, quod ſi ab erudito ac prudenti præſide re
gatur, juventuti maximum emolumentum affe
ret. Plerique enim hodie ob defectum taliu
collegiorum, feliciores ſunt in defendenda fal
& impugnanda vera, quam in aſſerenda & fun
danda vera, & deſtruenda falſa religione, ut do
cet experientia in examinibus theologicis, qua
vel in Academiis, vel in conſiſtoriis eccleſiaſti
cis inſtituuntur.

X. Collegium elencticum *eſt, in quo controver-
ſioſa confeſſionis capita ſecùndùm ſeriem locorum com-
munium aut hæreſium diſputantur.*

XI. Collegium problematicum *eſt, in quo præſe
quæſtiones, quæ de ſingulis locis communibus etiam in-
ter ejuſdem confeſſionis Theologos variè diſputantur,
aut ſaltem minus principales ſunt & ob principales
controverſias dubiæ factæ ſunt, ſapienter ediſſerit.*

Hujus exercitii modus eſt, ut 1. hiſtoria de o-
rigine, occaſione, ſcopi, auctorum, varationis in
decidendo enarratur, ut fecit lumen & decus il-
lud Belgicum, *Gerhardus Voſſius Heidelbergenſis,*
tum in theſibus ſuis hiſtoricis & theologicis,

um in hiſtoria Pelagianiſmi, longè eruditiſſi-
is. 2. Explicentur termini, ut intelligatur quid
æratur. 3. Fiat quæſtionum deciſio. 4. Adda-
r deciſionis probatio & vindicatio ab obje-
ionibus contrariis.

XII. *Collegium* Biblicum *eſt, in quo præſes libros iblicos analyticè enarrat, & ad ſingula cujuſque bri capita quæſtiones maximè neceſſarias movet & terminat.*

XIII. Stadium publicum eſt, quod pro cujuſque Academiæ vel illuſtris ſcholæ conſtitutione, publica ctionum diſputationumque exercitia uſurpando, ty- ones decurrunt.

Hujus ſtadii uſus & finis eſt 1. ut peculiaria ræceptorum dona didactica nobis hoc pacto nnoteſcant & communicentur. 2. Ut & iſte nodus inculcandi cum auctoritate ſuam in no- is efficaciam & fructum habeat. ζώσης γὰρ φωνῆς μείζων ἐςὶν ἐνέργεια, teſte Cicerone in epiſtolis. Et αὐτοδίδακτοι peſſimi ſæpe & pernicioſiſſimi in eccleſia turbatores exſtiterunt.

XIV. Stadium veteranorum tum tyronum curri- culum jam deſcriptum continuat, tum accuratiorem veritatis inquiſitionem coaddit.

Nam in geneticis plura diſputationum argu- menta, plures objectionum ſolutiones, pluraque problemata & ſcripturarum loca perſcrutatur. In analyticis verò & diſpoſitioni & judicio, cu- jus aph. VI. mentionem fecimus, operam nava- re incipit, & in enarratione plures quæſtiones, præſertim criticas, quas vocant, adjungit.

XV. Stadium candidatorum eſt, in quo conſcientiæ caſus & ſymptomata jus & regimen tractant, & ad- diſcunt quomodo gratiæ & peccati in eo proceſſus di- gnoſcendi, promovendi, impediendi, detegendi ac diri- gendi ſint, & ad ædificationis media commodè urgenda & promulganda ſe exercent.

XVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

XVI. Studia verò ſeu gymnaſia & tentamina hi ſunt quadruplicia: Analytica, declamatoria, diſputa toria, & concionatoria.

XVII. Gymnaſium ſive ſtudium analyticum e tractatio textûs biblici, qua, moderante erudito & pi theologo, per inſtrumenta lexica, grammatica, rhetoric & logica in ſua principia dexterè reſolvitur, ad felicio rem verborum rerumque ſacrarum intelligentiam.

Hic primus eſt gradus theologicæ exercitationis pro tyronibus.

XVIII. Declamatio gymnaſtica eſt tractatio orato ria quæſtionis theologicæ recitanda in panegyri ſchola ſticâ vel collegio privato, ad augendum intelligentian rerum ſacrarum, firmandum memoriam, & compa randum habitum coram aliis de rebus tantis libente animoséque dicendi.

Hic ſecundus gradus eſſe debet Theologicæ exercitationis, præcipuè pro tyronibus. ubi uſum inſignem habent diſpoſitiones theologicæ Zach. Urſini, homiliæ Iohan. Chryſoſtomi, & ſabbatum Chriſtianum Tobiæ Magiri, profeſſoris Francofurtenſis.

XIX. Diſputatio gymnaſtica eſt logica diſquiſitio in ſchola publicè, vel privatim inter opponentem & reſpondentem de rebus theologicis è ſ. literis pro menſura doni & ætatis utriuſque in lucta carnis & ſpiritus ſanctè ſobriéque inſtituta, ad felicius eruendum veritatem, acuendum judicium de rebus divinis, firmandum memoriam, ac ſeſe præparandum ad ſeria certamina cum hoſtibus veritatis pro ratione vocationis ſuſcipienda.

Hic tertius gradus eſt Theologicæ exercitationis: ubi utilis eſt proceſſus diſputandi ab Hornejo deſcriptus, Bonus diſputator Danhavveri, & Analyſis Cornelii Martinii, præcipuè pro provectioribus.

XX. Concio gymnaſtica eſt, quam ſacri miniſterii can-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

didatus in privato concionantium collegio, vel Ec- iâ aliquâ minore, præſentibus ſemper eruditis ac didis arbitris accenſoribus habet, ad acquirendum itum è ſ. ſcriptura coram quavis Eccleſia poſt le- imam vocationem & examen cum παῤῥησίᾳ, pro nſura doni & ætatis ſuæ auditorumque in lucta nis & ſpiritûs decorè ac animosè dicendi, ad publi- ı ædificationem.

Hic ultimus gradus eſt Theologicæ exercita- nis pro candidatis ſacri miniſterii. Hic pro- it Hyperius de formandis concionibus, Axio- ıta & idea Sculteti,& pro exemplo imitationis mprimis F. Salmuthus in Threnos Jeremiæ. culiariter autem qui pro concione populum cere volet, certum quendam Theologum & ncionatorem eloquentiæ dono inſignem ſibi oponat, cujus exemplum in formandis con- nibus rectè imitari diſcat. Id quod tum t omnium optimè, ſi de concionis diſpoſitio- , ſi de adhibendis ſcripturæ dictis & exemplis nvenientibus ipſe cogitet; & quid in electi- ie & diſtributione materiarum, in forma ex- cationis, in pronunciatione & geſtu laudabile currat, diligenter inquirat. Ex quo claret, præ- ſteram horum eſſe diligentiam, qui ab hac ex- citatione ſtudium Theologicum auſpicantur.

XXI. *Gymnaſtica vitæ ſunt, quibus ſacræ Theolo- e candidatus in pietate, fide, invocatione & obedien- ı erga Deum, benignitateque erga proximum, piè vendo, benefaciendo, malè audiendo, & ſub cruce ge- endo magis, quàm argutè & ſubtiliter diſputando perorando exercetur.*

Ex vero enim dixit Siracides cap. 2, 1. 2. *Fili, ſi ceſſeris ad ſerviendum Domino, præpara animam ıam ad tentationem. Dirige cor tuum & perdura, que præfeſtines tempore, quo inducetur illa.* Nuſ- uam enim non occurrunt cordatis theologis

Satanæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Satanæ cribra & tela, *Luc.* 22. 31. *Eph.* 6.16. nu-
quam non mundi odia, *Ioh.* 16.19. *Matth.* 10.2
nuſquam non carnis θέλγητρα, *illecebræ*, *Rom.* 7.2
Gal. 5.17.

XXII. Suntque tentamina interna, aut externa.

Illa Spiritûs, & carnis; hæc verò Satanæ
mundi.

XXIII. Spiritûs tentamina fere ſunt, quibus l
cta fidei & diffidentiæ, deſperationiſque abyſſus peric
loſiſſima oſtenditur.

Hanc viderunt viri ſummi & ſanctiſſimi J
bus & David, imò ipſe Dei Filius in extren
exinanitione ſua, quamvis peccato procul, expe
tus eſt, *pſal.* 22, 2. *pſ.* 31, 32. 119, 49. 82. 84. *Matt.*
17. 46. Hæc jugi meditatione veritatis, juſtitiæ
omnipotentiæ & miſericordiæ Dei vincen
ſunt, *pſ.* 119. 89. *&* 102. 8. *& ſ.*

XXIV. Carnis tentamina ſunt, quibus ad vari
lapſus ſolicitantur.

Talia ſunt, *negligentia* in vocatione, *immiſeri-*
cordia adverſus egenos aut lapſos auditores
condiſcipulos, *avaritia, invidia, intemperantia*, ir
gluvies, crapula, luxuria, ſecuritas, *ſuperbia*, faſtu
ambitio. Hæc jejunio, vigiliis & precibus, aux
liante Dei Spiritu, expugnanda ſunt, 1. *Pet.* 5. 5.

XXV. Externa verò ſunt, quibus Satan & mun-
dus verbi divini ſtudioſos & miniſtros ſtationibus ſu
evertere ac præcipitare conantur.

Hujus furfuris ſunt paupertas, contemtus
odia, exſilia, calumniæ, convicia, mendacia ſce-
leratorum hominum, indociles, immorigeri &
ingrati auditores, qui famæ vitæque Doctorum
inſidiantur, falſi fratres, oſores & calumniato-
res miniſterii, eccleſiæ & piorum omnium, im
primis verò fidelium paſtorum. Hæc proculcan-
da ſunt generoſo animo reſpectante in Domi-
num Deum patrem omnipotentem cum Davi-
de

, Pſal. 119, 22.59.28.110.157.161.& Apoſtolo,
m. 8. 28.

XXVI. Hæc breviter de mediis gymnaſticis: reli-
um eſt, ut ſtudioſus Theologiæ effecta fructusque
jus tam divini ſtudii calidè amet: quem amorem
omnibus ac ſingulis injiciam, cum auxilio Dei fo-
item porrigo ex Prov. 1. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. à v. 20.
que ad finem, & cap. 2. toto, & cap. 3. à v. 1.
cap. 9. à v. 1. ad 12. item ex Syracidis 39. à v. 1.
21. & cap. 46. v. 29. 30. 31. & c. 50. à v. 18.
que ad finem, Sap. 7. à v. 7. usque ad finem
ſal. 119. toto. Summa, gymnaſium pietatis, ejusque
nimodum fructum aperit nobis Apoſtolus 1. Tim.
. à v. 4. ad 16.

Quicquid creavit Deus, bonum eſt: nec quicquam
jiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur. San-
ificatur enim per VERBUM & PRECES. Hæc ſi
bjeceris fratribus, BONUS eris MINISTER IESU
HRISTI, innutritus in SERMONIBUS FIDEI,
ONA EQUE DOCTRINAE, quam aſſectatus es.
æterùm, PROFANAS & aniles FABULAS rejice:
d EXERCE TEIPSUM AD PIETATEM. Nam
rporalis exercitatio paululum habet utilitatis: at
IETAS AD OMNIA UTILIS EST, ut quæ promiſ-
onem habeat vitæ præſentis & futuræ. Fidus eſt hic
rmo, & dignus qui omnibus modis recipiatur. Nam
lcirco etiam defatigamur & probris afficimur, quod
eremus in DEO vivo, qui eſt conſervator omnium
ominum, maximè verò fidelium. Hæc denuncia &
OCE. Nemo tuam juventutem deſpiciat, ſed ESTO
XEMPLAR FIDELIUM in ſermone, in converſa-
ione, in charitate, in ſpiritu, in fide, in puritate. In-
rim dum venio, ATTENDE LECTIONI, EX-
ORTATIONI, DOCTRINAE. Ne negligito DO-
IUM quod in te eſt, quod datum eſt tibi ad prophe-
ndum, cum impoſitione manuum presbyterii. HAEC
XERCE, IN HIS ESTO: ut tuus profectus manife-
ſtus

ſtus ſit inter omnes. Attende tibi ipſi & doctrinæ: per-ſiſte in iſtis: id enim ſi feceris, & TEIPSUM SERVABIS, *&* EOS *qui te audierint.* Ergo igitur ſi obſervaverimus ſermonem tolerantiæ Chriſti, ipſ[e] quoque ſervabit nos ex tempore tentationis quod venturum eſt in orbem univerſum, *Apoc.* 3. 10. & Deus reddet vitam æternam nobis, qu[i] per patientiam quærimus boni operis gloriam *Rom.* 2. 7. interibi verò nos reddet ſapientes a[d] ſalutem, ad omne opus bonum perfectè inſtructos, teſte eodem Apoſtolo 2. Tim. 3, 14. 15. 16. 17. *At tu maneto in iis, quæ didiciſti & quæ tibi concredita ſunt, ſciens à quo didiceris: Teque à puero* ſacras literas *noviſſe, quæ te poſſunt* ſapientem reddere ad ſalutem *per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Tota ſcriptura divinitus inſpirata eſt utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitia; ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.*

JOANNIS LOCCENII
DE
STUDIO JURIS
DISSERTATIUNCULA EPISTOLICA.

N. N. S.

QUod me rogas, præſtantiſſime Juvenis, ut tibi de ſtudio Juris, ad quod te vota parentum vocant, aliquid ediſſeram, lubens id quidem faciam; ſed is ego non ſum, quem tu veluti myſtagogum in auguſta hæc Juſtitiæ adyta ſequaris. Adde quod aliorum induſtria hic fuit, poſt quos mihi, ne hiſcere quidem fas erat. Sed quando inſtas, & meâ ſemitâ viam facere poſtulas, non poſſum ſanè, ne videar humanitatis oblitus, voluntati tuæ refragari. Ut igitur hinc initium faciam, ad ſtudium Juris primùm humaniorum litterarum & Antiquitatis cognitio tibi adferenda eſt. Hîc mihi jam ſuſurros quorundam audire videor, qui jurabunt nihil eam conferre ad Jurisprudentiam; ſcholaſticis tantùm, quibus in umbra & otio conſeneſcere placet, eſſe relinquendam. Quid enim illa ad Jurisprudentiam, quæ in aucupiis verborum & literarum tendiculis occupata eſt? cum Leges non verbis, ſed rebus imponantur. (l. 2. C. comm. de leg.) Itaq; recta graſſandū eſſe ſtudioſo ad ipſa Juris ſacraria, ne tempus & ingenium inutilibus nugis perdat. Horum ergo cenſuræ quantum tribuendum ſit, paucis habe. Cenſores hi vitio creati ſunt, & nullo ſpecioſiori velò poſſunt imperitiam hac in parte ſuam tegere, quam ſi id facili præjudicio damnent, cujus guſtum nunquam habuerunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

runt. Et qua ratione poteſt ſtudioſius barbaries revocari, quàm ſi juventuti literis illis interdicatur, quæ aliquot retro annis ſeculum à barbarie vindicârunt? Quod autem contendunt, nullius frugis eſſe, vel in ſyllabarum aucupiis tantùm verſari, facilè perſuadebunt ſui ſimilibus, id eſt, imperitis. Peritiores verò ſciunt, in Hiſtoriarum & omnis politioris eruditionis cognitione verſari, & uſum earum tunc demum perſpiciunt, cum in Gloſſatores vett. incidunt, quorum ſtribliginem & ἀνιςορησίαν nemo ſine riſu vel indignatione potiùs transmittere poteſt. Absque literis humanioribus verò fuiſſet, nunquam certè veteres ICti ad tantum faſtigium Jurisprudentiam perduxiſſent. Hinc & tot præclara teſtimonia Ariſtotelis, Ciceronis, Demoſthenis, Homeri, Virgilii, &c. paſſim in Legibus occurrunt. hinc & Profeſſoribus earum dignus ſemper honos habitus eſt ab Imperatoribus, ut ex Cod. Juſtinianæo patet. Poſt politioris literaturæ cognitionem Logices præcepta inprimis de Formâ & Materiâ Syllogiſmi & doctrinâ Topica tibi ſunt imbibenda. Syllogiſmorum uſus fere quotidianus eſt. Topicorum verò doctrina quàm ſit neceſſaria in ſtudio Juris, Nicolaus Everardus, Joh. à Reberteria & alii, ſuis monumentis teſtatum fecerunt. Rhetoricam non eſt quod tibi verboſè commendem. In communi vita, præſertim civili, non tantùm in laude ponitur, rectè poſſe ſentire, ſed & ea, quæ ſentias, aptè & ornatè proferre, populoque perſuadere. Et ſtatus Juridicialis quanti ſit uſûs in foro, nemo paullò humanior ignorat. Poſt Logicam & Rhetoricam accinges te ad Philoſophiam inprimis Practicam, quæ malè à quibusdam ſtudioſis Juris negligitur, ut mox dicemus. Itaque in hac tibi ſerio deſudandum eſt, quamvis

vis & Theoretica delibanda, cum hæc & illa ſibi mutuas operas tradant. Nam Philoſophia prima, quam vulgo Metaphyſicam vocamus, inter alia Boni Moralis naturam in Tranſſcendentibus tradit. Phyſica verò præter corporis, etiam animi facultates explicat. Cùm ergo Virtus in animi functione propriè occupetur, manifeſtum utique eſt, Virtutis ſubjectum rectè intelligi non poſſe ſine Phyſices, & præſertim hujus Phyſices partis cognitione. Mathematica quoq; uſu ſuo non caret in ſtudio civilis ſcientiæ. Sed inſtituti mei non eſt, utilitatem Philoſophiæ Theoreticæ in arte noſtra pluribus oſtendere. Deſcendo itaque ad Philoſophiam Practicam, quæ potiori ſuo jure huc facit. Hanc à quibusdam in ſtudio juris præteriri, mirari licet, ſi non mutare: cum tamen quicquid eſt bonarum legum, quicquid juſti & æqui, ex hoc fonte fluat. Quid ubi volunt illa Juris præcepta: Honeſtè vivere, Neminem lædere, Suum cuiq; tribuere. Nonne circa hæc tria præcepta verſatur tota Philoſophia moralis? Honeſtè vivere, præſcribunt Virtutes *in Amore Honeſti*; Neminem lædere, in *Fuga turpium* vel vitiorum; Suum cuique tribuere, in *Iuſtitia Diſtributivâ & Commutativâ*: Et ſufficeret Philoſophia Practica ad hominis animum ritè informandum, ut ex præſcripto Virtutis viveret. Cùm autem homo in hac depravatione naturæ interdum affectibus, tanquam curru qui non audit habenas, abripiatur; ſumma Numinis providentia Virtutem Legib. armare voluit, ut eò melius in officii gyrum redigeretur homo. Leges autem vel imperant vel prohibent. Imperant Honeſtum, idque cum præmiorum pollicitatione; prohibent Turpe, idque cum pœnæ comminatione. Et hæc de Ethica. Politica verò quid aliud quàm εὐνομίαν præſcribit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quomodo leges ad quamvis Reipubl. formã ſint accommodandæ, quomodo optimus Reip. ſtatus poſſit haberi, de Magiſtratibus eorumq; officio; &, ut verbo dicam, Ethica virum bonum, Ethica civem bonum efficit. Hæc puto ſatis, arguunt evidentẽ neceſſitatẽ ſtudii Philoſophiæ practicæ cum Juris prudentiâ conjungendi. His ergo ſacris primum initiatus, tandem ipſum Themidos templum cum bono Deo ingredieris. Hîc jam occurrit querela non heri vel hodie primùm nata, quod *tyrones quidam præpoſtero ordine, antequam principia Iuris deguſtârint, ſtatim in Controverſiarum & diſceptationum campum proſiliunt, &, dum in illis ſatis diu conteruntur, tandem cruda ſtudia in forum propellunt.* Tu melius conſules ſtudiis tuis, ſi primum Elementa Iuris civilis, quatuor libris Inſtitutionum comprehenſa, diligenti manu verſes. Antequam verò rem ipſam auſpiceris, Titulum de Verb. ſignif. legere poteris, & adhibere Lexica Juris, ut Spigelii, Briſſonii, vel, qui inſtar omnium eſt, *Calvini*, ut Formulas Juris tibi familiares reddas (quamvis & has inter legendum inſtitutiones Juris addiſcere poſſis). Hinc ad Pandectas & Codicem perges, in quos tot Gloſſæ, tot Commentarii extant, ut illis tota plauſtra vehendis non ſufficiãt. Tam infinitæ lectioni te primo impetu nõ dabis, ſed in Pandectas & Codicem initio tibi Paratitla VVeſenbecii & Cujacii commẽdata habebis. Deinceps verò, cum ad Praxin te conferre voles, conſules Bartolos, Baldos, & reliquos ſequioris ævi Dd. Poſt Pandectas & Codicem ſequuntur Novellæ, quæ, licet poſtremæ ſint ordine, tamẽ quidam primas cognitione eſſe volunt, quòd reliquum jus vel emendẽt vel abrogent derogentve illi. Sed horum conſilium mihi non placet. Prius enim ſcire convenit, quale ſit, Jus antiquum, cui derogat noviſ-

ſimum

ſimum. In toto verò Juris ſtudio hæc tria Objecta tibi ſemper ob oculos pones: Perſonas, Res & Actiones. *Perſonas* quæ agunt, *Res* de quibus agitur, *Actiones* per quas agitur. ita ſingula ſi ad hæc objecta revoces, fideliùs memoriæ poteris infigere. Jus Feudale duobus libris conſtans addi ſolet Juri civili, non tamen eandem autoritatem cum Jure civili habet, ita ut ex eo civiles cauſſæ quoque decidi poſſint, ſed cauſſis beneficiariis vel Feudalibus tantùm inſervit. Sæpe tamen interpretationem à Jure civili petit, & ubi quid non eſt expreſſum Jure Feudali, ad Jus civile recurritur. qua de re fusè ICti. Cum verò *Ius Feudale*, ut hodie exſtat, in Corpore Juris, nullo ordine traditum ſit, poteris ejus lectioni adhibere aliquem bonæ notæ Doctorem, ut Treutlerum, Contium, aliumve; prius tamen quoque cognitis vocibus Feudalib9, quarũ Lexicon parvum concinnavit Rudingerus. Jus *Canonicum*, in quibus cauſſis etiã in foro civili, non tantùm conſcientiæ, ut Canones loqui amant, & in quibus etiam à noſtræ Eccleſiæ Conſiſtoriis obſervetur, paſſim docent Dd. Tu, priusquam Juris illius & Panormitani reliquorumque Gloſſatorũ lectionem aggrediaris, pelleges Authorem, qui Differentias Juris Civilis & Canonici methodicè collegit. Poſt Bartolum & alios, quem tibi potiùs commendem, non habeo quàm Rittershuſium, qui 7. libris utriusq; Iuris differentias accuratè complexus eſt. Inſtitutiones Juris Can. ad formam Inſtitutionum I. civ. præter Lancelotum conſcripſit M. Anton. Cucchus, quas cum judicio pervolves, ut & ipſum Corpus Jur. Can. in quo notabis inſignem diſcrepantiam Canonum inter ſe, quomodo Canon Canoni è diametro ſæpe pugnet, & ſuo ſe gladio invicem jugulent. in quo mirum Pontificios non cautius verſatos eſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Et hæc ſufficiant dicta de ſtudio Iuris Theoreti-co, ut vocant. Cætera praxis ſuo loco & tempor dabit. Vale Juvenis præſtantiſſime.

EXCERPTUM

EX EPISTOLA

HUGONIS GROTII

AD N. N.

AD Iuris ſtudium nunc quoque te adhortor, in qu ſi id tantùm agis, ut rem facias, paucis delibati compendiis, ſtatim ad forenſes ſcriptores tibi con volandum erit. Sin hîc quoque percoctam ſapientiam & nomen eximium optas, non aliunde juris Quiritum cognitionē ſpera, quàm ex Cujacio, qui ſolus ſuffecerit. Adeò ille omnia iſtius ſtudii arcana pervidit, & qui bus è fontibus cuncta fluerent. Vigelium non, ut ediſca aut ſæpe lectites, ſuadeo, ſed ut habeas ſicut indices ha bemus, ad quos recurrere interdum ſolet hæſitans me moria. Scholaſticæ iſtæ diſputationes parum proſun ad ſapientiam, ad parandum foro & ſubitaneo cer-tamini ingenium nonnihil, quaſi militiæ togatæ pro-luſiones. Has quoque ut duplex ſit utilitas, occupar velim in iis Iuris Romani partibus, quas uſus noſtri ſecli comprobavit, qualis præcipuè eſt illa de contra-ctibus. Ante omnia Inſtitutionibus Latinis optimum Græcum interpretem conjunge Theophilum; deinde ad lectionem Pandectæ & Codicis & poſtremarum Conſtitutionum progredere, quo magis ea leges, qu major tibi lux affulgebit, interpoſitâ, ut dixi, Cuja-cianorum operum lectione, ad quæ etiam confugias ſua-deo, quoties in alicujus loci intellectu hæſitas, digitum tibi intendente ad hoc Godefrido in margine editi à ſ corporis. Conſtitutiones illas, quas vulgus novellas *vocat, Græcè ſcriptas Græcè lege, additâ latina inter-pretatione vetere, non ſpernendâ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

JOHANNIS HEURNII DE STUDIO MEDICINÆ BENE INSTITUENDO, DISSERTATIO.

I.

Quibus præceptoribus utendum ad medicinam, & quibus auctoribus incumbendum.

VT rectè formentur ſtudia, doctum contubernium plurimum valet: optimique viri illud Reipublicæ debent, ut ſuâ conſuetudine juvenum animos rectè ad artes effingant. Propterea Hercules præclaris ſplendens virtutibus, (χαλκικάρδιος ob animi fortitudinem dictus) diligentiam in educatione Hylæ ſummam adhibuit: qui tamen patre Theodamante paupere, δρυτόμῳ natus fertur, Plato, Ariſtoteles, & Plutarchus ſæpe accinunt. Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ᾽ ἐσθλὰ μαθήσεαι ἢν, δὲ κακοῖσι Συμμιγῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. *à bonis quidem bona diſces; ſi verò malis converſare, priſtinam quoque mentem perdes.* Præceptores non adſcriptitia quadam benevolentiâ, ſed ex unguibus ament diſcipulos: & ut coloni ſæpes arbuſculis circumponunt, ita præceptores curam habeant, ut rectiſſima eruditionis germina pullulent. Hos juvenes ſæpe accedant; nam ſodalitium ab benevolentiam & amorem excitat. Peleus Achilli Phœnicem junxerat, ut edicendi & agendi ductor foret atque magiſter, ut canit Homerus. Horum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

imitatione præceptores eligatis medicinæ peritos, & benevolos, ac tales qui ad amicitiam proni ſunt, & ante omnia doctos: nam difficilis hæc ars. Ita Apollo (ut cecinit Pindarus) voluit à Chirone ſingulari doctrinâ ſplendente filium ſuum Æſculapium doceri, ubi ait:

καὶ ῥά μιν Μάγνητι φέρων
πόρεν Κενταύρῳ, διδάξαι
πολυπήμονας ἀν-
θρώποισιν ἰᾶσθαι νόσους.

Illum Magneſio adducens commiſit Centauro, ad docendum multinocuos hominibus ſanare morbos. Cùm electi fuerint, eos ſequere; ac citra pertinaciam concertationes cum illis moveto, ut tuis rationibus in re dubiâ, cum illorū judiciis collatis, quantum à vero abſis intelligas, & memoriæ altiùs hoc modo rem immittas. Hinc veteres Palladem non ſine operâ operoſi Dei Vulcani (cujus etiam organa αὐτόματα in opus) ex cerebro Iovis armatam prodiiſſe fingunt; oculis torvè unum in ſcopum collimantem: quod concertatione artes optimè inſculpantur ac retineantur. Non moveant graves quæſtiones, antequam totam medicinæ formam animo complexi fuerint: alioquin hippocentauros proferent, ac inaniter ut implumes ciconiæ ſubſultantes, alas vibrabunt. legant & relegant primum medicinæ auctores. cedant libenter rationibus: non ſolum enim vincere, ſed etiam vinci ſcire pulchrum eis, in quibus victoria detrimentum adfert. Vinci non vis? pulcherrimum eſt inter diſſerendum à nulla vinci pertinaciâ aut iracundiâ. Domi libris opus eſt, non ut illos poſſideas, ſed ut exercitatio & uſus in illis ſit. Sed quibus? Quemadmodum ζωγράφοι, cum imaginem ab imagine pingunt, identidem exemplaria ſpectantes, illorum chara-

racteres ad ſuum φιλοτέχνημα transferre ſtudent; ſic, qui ſe ſtudet omnibus doctrinæ partibus excolere, conari debet, ut quaſi ad ſimulacra eruditionis (hominum doctiſſimorum ſcripta dico) ſuum ſtudium convertat, & quod in illis præclarum eſt, proprium ſibi reddat per imitationem. Quapropter in medicina non ſuſque deque cuncti auctores ſunt eligendi, ſed probatiſſimi, & qui longis ſeculorum ætatibus interire non potuere. Nullus pictor non malit Apellis, aut Parrhaſii Zeuxiſve vel Leucippi exemplar, quam quid hujus ævi ἀιγδ ἀοιδαὶ εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος γλυκερώτεραι εἶεν ἀείδειν. Eſt enim tempus probatæ doctrinæ index; cunctorum quæ vana nec magni ſunt momenti, vaſtator. Plurimi hoc ævo magnâ auctoritate ſcribunt; verùm tempus judicium feret, num quid perpetuitate dignum gerant: profecto inter mille ſcriptores, vix unus ſeculum agnoſcit. Sint itaque veſtri auctores doctorum manibus triti, & eorum applauſu probati: ni enim probi fuiſſent, jam diu manibus excuſſi contabuiſſent. Veteres ſanè dexteriùs de rebus judicârunt; quàm nos αὐτῶν ἀπόγονοι extrema fæx & amurca mundi, ut à Platone in Philœbo dicitur. Verum dixit Baſilius: πᾶν ἀρχαιότητι διαφέρον αἰδέσιμον. *quod vetuſtate excellit, honore majori dignum eſt.* Si enim neotericis quis ſtare vellet, cum infiniti fere ſint, & cuncti ex Hippocrate & Galeno hauriant, illud incommodè illi eveniet, quod gregarii illi infinitum tempus poſtulant, cum interim duos hos brevi tempore perlegere poſſit. cumque vetuſtatem illam cæteri non trahant cinctam auctoritate, eo loco ſemper ſtabit hinc hauſta doctrina, unde facile dimoveri poſſit. Longa temporum ſeries plurimos celebres Græcos, quoſdam Latinos, nonnulloſque Arabas. Græci medicinam pepererunt,

diviteque

diviteque ſuppellectile locupletârunt, ac ſplendido ornatu noſtræ artis famam toto terrarum orbe fuderunt. Quare nuſquam minus violatam hanc reperiemus, quàm apud ſuos parentes: hic patrima, & matrima. Hanc itaque ex materno gremio pudicam virginem vobis proferet divinus ſenex Hippocrates, & ejus enarrator Galenus. *Hippocrates* verus medendi dictator habitus ſemper. hujus ſcripta tanquam oracula, & non humanæ linguæ verba, tota amplectitur antiquitas, tanquam ducem & auctorem omnium diſciplinarum. qui, ut ait Celſus, vir fuit arte & facundiâ clarus: quique ut ſcribit Macrobius, tam fallere, quàm falli neſcit. In hoc, verborum preſſa proprietas, ſententiarum conciſa ſubtilitas, ſermonis veneranda antiquitas, artificii commendabilis dignitas: in cujus ſcriptis nihil ſuperfluum, ocioſum nihil; ſed argutâ brevitate rotunda omnia, & ſignificantia. ita ut ubertas & amplitudo rerum, verborum numerum longe vincat. Hæc genuina & propria ſunt Hippocrati. cujus tanta fuit benignitas, ut nihil ſciverit quod nos neſcire voluerit: tanta autem ſollertia & ſapientia, ut nemo poſt eum ſciverit, quod ipſe ignoraverit. In eo enim cuncta medicinæ ſemina animadvertos: quæ tamen in facienda medicina meliùs, quàm ex commentariis ad eum ſcriptis animadvertes. Hujus enarrator fidiſſimus eſt *Galenus*; qui ſcribitur à quibuſdam vixiſſe annos centum & quadraginta. Hic cunctis philoſophis & philologis utilis. loquitur ubique puro, eleganti, ſimplici, & nunquam affectato ſermone, non ſine magnâ vocum & ſententiarum ſupellectile: adeò, ut nullâ ſatietate lectorem offendat; ſed ubique progrediendi cupidum, rhetorico artificio demulceat; homo ad eloquentiam factus. In hoc præcepta quædam philo-

philoſophica rara & eximia, magiſque illuſtria quàm apud ullum alium ſcriptorem invenias. Nihil obtrudit lectori, quod non firmis rationibus demonſtret, ac ejus contrarium refutet. quin moralia habet perpulchra, affectibus moderandis. Ambitionem & avaritiam præcipuè inſectatur. & de qualibet re doctè & eleganter diſſerit. Nullis non ad ingenii cultum ejus lectio utilis. Sunt alii minoris gentis; Aretæus, Aëtius, Paulus, Trallianus, Oribaſius, Caſſius; Dioſcorides de materia medica, & ejus Euporiſta, & ex recentioribus Actuarius, Damaſcenus, Theophilus de urinis, Philaretus de pulſibus, Simeon Sethi, Nonus. Animi causâ inſpicias etiam interdum Geoponicos, & Hippiatros. Geoponica ſcripſit Dionyſius Caſſius Græcè; Latinè verò Cato, Columella, Palladius, Conſtantinus. Sextus ſcripſit medicinas ex animalibus. Latinos inter medicos primus eſt *Cornelius Celſus*; ſed prudenter legendus; nam in multis Aſclepiadem methodicum ſectatur, ut fatetur ipſe. hujus cote ſtylum ſubigemus, & pluris latinitatem ejus, quam medicinam faciemus. Plinius etiam perluſtrandus, qui Græciam & Latium uno volumine conclusit. Accedat his Scribonius Largus, Q. Serenus, & Cælius Aurelianus. ſed hic cum magno judicio legendus: nam is ſcripta Sorani Epheſii Latina facit, qui methodicæ ſectæ addictus fuit. *Marcellus Empiricus* politæ dictionis ſcriptor etiam inſpiciatur. & inter hos *Theodorus Priſcianus*, cujus ſcripta quinti Horatiani titulo circumferuntur. Scripſit ad Timotheum fratrem Phænomenωn euporiſtωn librum unum, cum Logico ejus, & Gynæciis. apparet eum methodicæ ſectæ ſtudioſum fuiſſe. Exſtant etiam ejus ſcripta de acutis & Chronicis, & de occultis phyſicis remediis. His adde Conſtantinum Aphrum.

Inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Inter Arabas præcipui ſunt Avicenna, Rhazes, Averrhoës, Avenzoar, Meſue, Serapio, & Alſaharavius. Qui delectantur fuſa & polydædala varietate remediorum, Avicennam amplectantur: cuncta enim hujus ævi remedia ex eo manant. At Razes utilis illis, qui efficacem & contractam medicinam amant. hic centum annos medicinam fecit. hunc Veſalius paraphraſi eleganter decoravit. Hi utiles ſunt ex quibus excerpas remedia quædam Græcis olim ignota: nam ſcribendi illorum ratio, cum ſine demonſtratione fluctuet, à doctis improbatur. quare his non inhærendum. Unum ex hujus temporis ſcriptoribus his addo, doctiſſimum *Fernelium*: qui Arabum ductum non ſine Græcorum demonſtrationibus ſecutus fuit. Ejus lectionem laudo, modò cum jam dictis auctoribus conferatur; locaque annotentur ex quibus ſuos rivulos traxerit: optima enim ex cunctis ſelegit. ſed ſtare ejus auctoritati non potis eſt, niſi ubi firma demonſtratione ſuâ ſtabilivit. Quare in antiquos ſuos fontes ſi refundi poſſit, ſanè limpidiſſimam firmamque ſcientiam pareret. Sed totus eò abduci nequit, ut qui ſponte interdum declinat & abit. Quid tunc agas? litem dirimet antiquorum demonſtratio, collata cum hujus rationibus; & uſus. hæc ſi vicerint, excutiantur nova tanquam amentatæ haſtæ: ſin Fernelius quid melius, retineatur, & gratiæ illi adſcribantur, ut qui pomœria medica auxerit. Sed gravis hic eſt auctor, nec in primo medicinæ limine ponendus: ſed à Galeno hoc potiùs utendum. Qui tamen compendioſam medicinam nimium amat, hunc legat cum judicio: is enim, ut verum fatear, Græcam & Barbaram medicinam fere uno in volumine concluſit, & propriis locis philoſophiam medicinæ intulit; ut non ſit

neceſſe

neceſſe aliam phyſicam uſibus medicis quærere, cum ex latiſſimo naturæ ambitu ſecundè medicum campum rigârit. Hos ſequuntur myriades pragmaticorum intermediorum, & nuper natorum: qui volumina per ſingula hominis membra digeſta fabricarunt, mirâ remediorum varietate. Inter hos medios, maximè excellit *Arculanus*, qui Razis nonum ad Almanſorem, & Avicennæ ad librum de febribus commentatus eſt. in hoc remedia certa & efficacia. Aliis placet *Gradius*, qui pro Nicolai breviario eſt. quidam conſilia malunt (& non ſine ratione) qualia *Montagnana* tunc edidit. *Gattinaria* nonnullis arridet; nam placida & uſitata remedia ſuggerit. Nonnulli *Varignanam* conſulunt, quod euporiſta & uſu comperta pharmaca adferat. Sunt qui *Guainerium* cæteris his præferant. Quidam ſe addicunt *Savonarolæ*, quo adſtantibus mulierculis ſatisfaciant. Sed nulli ſe mancipare præſtat; verùm quoſdam ex his inſpicere, cùm inter medica verſamur opera. Et qui unum pragmaticum perluſtravit, aut mille, imò omnes legerit. nam unam tantum aut alteram indicationem medendi proſequuntur cuncti, ductam ac evocatam à cauſa morbifica, & parte afflictâ: cæteras ſuſque deque habere videntur. Sine cæteris tamen indicationibus curatio rite non abſolvitur: nam nullus morbus omnium eſt idem; nec ullum remedii genus eandem vim habet in omnibus. diverſæ enim ſunt morborum ideæ: & iidem modò dextri, modò ſiniſtri judicii; concoctu ac excretu difficiles, aut faciles. Et quantum in hominibus temperierum diſcrimen! quàm variæ partium temperies! modò proſtratæ jacent in eodem morbo vires, & aër aut flagrante Sole torretur, vel algore riget; quin ætatis vis quid non remedii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

medii evertit aut perfert? omitto jam conſuetudinem, peculiarem cujuſque naturam, ſexus diſcrimen, vitæ genus in quo æger enutritus, morbi motum. Quare ut in tanto fluctuum ac ſcriptorum remediorum Oceano portum facili curſu collimarent medici, quæ medicamenta prolixè profuderant pragmatici in tam numeroſa morborum turbâ, in unam methodum ad praxin redegi: ut inde, accedente methodo medendi verâ, uno veluti intuitu, maxima remediorum varietas, per cunctos morbos complecti poſſit, & cuique propria ex his pomœriis metho o decerpere ut liceat.

II.

Qua ratione cum certa utilitate dicti jam auctores ſint legendi.

NOn ſatis fuerit compertum habere, quinam legendi ſint, ſed etiam quo modo non citra utilitatem in iis verſandum ſit, explorandum. In omnium auctorum lectione ſemper hæreat animo quod apud Platonem dicitur, ἀρετὴ ἀδέσποτον: ut nos hoc ad ἀλήθειαν. Moneo itaque ut ab eorum ſcriptis abſtineatis, qui ab antiquorum ſententiâ temere abeunt. Plato in Epinomide plebejos quoſdam Deos cùm referret, ἀνοργιάστους hos appellabat. neſcio an eo nomine quid aptiùs adaptari his innovatoribus poſſit. Utinam eâ mente omnes ſcriberemus jam, quâ olim Hippocrates, & poſt eum Galenus! ſtudio nimirum juvandi. Nunc neque hoc facimus plerique; & bene à veteribus etiam excogitata & ſcripta demoliri, ac rebus claris tenebras affundere conamur; receptiſſimorumque auctorum auctoritatem elevamus, ut reponamus noſtram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſtram, dubiam ac titubantem pro exiſtimatiſſi-
na. Si quis reclamet, illico nos inter nos (qui
onſpirare contra externos debeamus) domeſti-
um bellum depugnamus: ac χαλεποὶ πόλεμοι
ἀδελφῶν. *funeſta bella fraterna.* Novus medicinæ
nyſta in primis perlegat Inſtitutiones medici-
iæ. Illæ enim ideam quandam totius medici-
iæ animo immittent: & ex illis ordinem totius
ſtudii medici, & ſubtegmen firmum cui intexi
omnium auctorum ſcripta poſſint, perſpiciet.
unt enim Inſtitutiones medicæ nihil aliud,
quàm ex omnium ſcriptorum medicorum deli-
iis ac medullis condita placenta: aut, ut me-
iùs dicam, ex electiſſimis quibuſque floſculis
ompoſitum mellificium. In lectione auctorum
ura adſit, ut eorum percipiatur ſententia: dein,
it retineatur. Percipietur ſententia auctoris, ſi
erſpectus fuerit ejus dicendi modus, & pecu-
iares ſignificanteſque ejus dictiones ſi intelle-
eris. Maximè in Hippocratis lectione ad hæc
collineandum. Ut enim ἀναδυομένην illam ne-
mo perficere potuit, & obliteratos in ea colores
aliquot deteriore purpuriſſo reconcinnârunt; ita
nullus eo acumine ſcribendi medicinam ab Hip-
pocrate productam abſolvere potuit. Eſt ſanè is,
inter homines, maximus medicinæ auctor: in
quo ſparſa medicinæ totius ſemina animadver-
tas. Sed ex ſucco ſolo excepta hæc non germi-
nant, vel tenuiſſimè enaſcuntur, aut non in fru-
gem ſurgunt. animi ſenſa ſua divina ob conci-
ſam brevitatem latitant, ni verba ejus ſignifican-
tia & dicendi modus fuerit cognitus. Quare
(quia huic immoriendum) Lexica comparanda
erunt Erotiani & Galeni, Iulii Pollucis, Rufi E-
pheſii, Suidæ, Heſychii, Gorræi; ſed ante omnia
Oeconomia Hippocratis Anutii Foëſii. Aucto-
rem quem evolvis, intentâ mentis acie, non ra-
ptim

ptim (ne quid fugiat) perleges. Si ſalebris di ficilibus implicèris ; ne hæreas, enarratores a præceptores conſule. Si nec explicent hi, notar dus locus, & pergendum, dum tempus & lect emolliant hanc difficultatem. Nec turpe quæda ignorare. Aut ſi moræ impatiens fueris, ad ali rum auctorum judicia hæc examina. ſi idem cuncti, ratum ſit : ſin abeant in diverſum, vide num in gratiam redire poſſint: vel illi qui p tiſſimâ ratione utitur, ſubſcribe. Indices lo auctorum dicent. Commentariographos prol xos fugite; diſcendi enim libidinem exſtinguun ſed ubi involvimur difficultatum ſalebris, id ſ lum agendum, ne nimis ingenium fatigetur, tandem expugnetur. Galeno maximè utem pro Hippocratis enarratore, quo ille rectè inte ligatur, utque memoriam exerceamus cum f cundâ quadam utilitate: nam rerum, quæ diſcu tur per cauſas, demonſtratio apud eum luxu riat : quibus ad eruditionem nullus felici campus aperiri poteſt. nam ſcire, eſt per cauſ cognoſcere. His opibus illi fraudantur, qui ap teleſmata ſolum amplectuntur : tenues ſemp eruditione, præ inopiâ rerum ac argumentorum Sed hæc omnia fruſtra, ni Muſarum matri m moriæ, tanquam penuariæ cellæ doctrinarum inſerantur. Sæpius itaque lecta repetantur : ac u cibos manſos ac prope liquefactos dimittimu quò facilius digerantur ; ita lectio non crud ſed multâ iteratione mollita, ac velut confect ſæpiuſque perpenſa, memoriæ tradatur. Sed a non naturæ, hoc eſt, ſummi Dei beneficium m moriæ vis eſt ? Fateor. & cuncti à ſummo nu mine ea afflati ſumus. non æquè ? cultu effinga tur: conſueſcat exercitiis ; hoc obliviosos m mores reddet. Sit animus cæteris ſolutus curis, a earum ideis vacuus : affectus ſileant, qui in ſua

facti

factionem totam mentem rapiunt, ita nullam characterum impreſſionem renuet mens. Et ſæpe, menti immiſſa ad phantaſiam revocentur, ac cum voluptate hæc tunc memoriæ redde: ita jucundè ejus uſu fruetur, ac lætitiâ quadam ſe laxans, ſimulacra rerum fideliùs imbibet. Ad memoriam ſtabiliendam, nonnihil opus pollicetur ipſa medicina & medici, ac ſecundum hos Marſilius Ficinus. Ariſtoteles libro de memoria, oſtendit ob varias cauſſas illam labefactari: vel, quia ſpecies rerum non ſuſcipiuntur; vel, quia non detinentur: utroque enim opus eſt. Propterea mollem & ſtabilem à Summo Deo ſubſtantiam obtinuit cerebrum, ut mollitie rerum characteres admitteret, utque eos ſtabilitate retineret. Inde eſt quod ajunt, memoriam firmari calido & ſicco temperamento: calor enim modeſtus mollit cerebri ſubſtantiam; & ſiccitas eam ſtabilem reddit. nam ex madido fluxoque cerebro, ſimulacra rerum effluunt. his querelis remediantur medicinæ. Sed inter cuncta confert perpetua vitæ ſobrietas: nam crapula & ebrietas, ut ingenium hebetant, ita memoriam prorſus eluunt. Officit etiam tumultuaria diverſorum voluminum lectio: ita in ſenibus multitudine rerum memoria exſtinguitur. Præterea ordo in diſcendis rebus plurimum ad memoriam facit: imò Plato ordinem, memoriæ animam appellat. Quare in auctorum lectione, ſemper de ordinis filo quod trahunt, ſolliciti ſitis: cuncta enim quæ ordinem habent, εὐμνημόνευτα ſunt. Cum ad Galenum ventum eſt, ejus ſcripta pedetentim, non ſaltuatim legantur: conſtanter, non faſtidiosè: ordine, non tranſſultorio modo. In primis ſeſe offert Galeni liber, inſcriptus *Exhortatio ad artes*; dein quoque medicus philoſophus, & de ſectis ad novicios, de opti-

ma

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ma ſecta, de conſtitutione medicinæ. Tunc an
tome, deinde venarum, arteriarum, nervorur
matricis ſectione. Poſtea libri de uſibus partiu
de naturalibus facultatibus, de placitis Hipp
cratis & Platonis, quod animi mores corpo
temperiem ſequuntur, de affectibus animi caſ
gandis, an ſanguis in arteriis, de odoratus inſtr
mentis, de motu muſculorum, de cauſis reſpir
tionis, de ſemine, de fœtuum formatione. De
elementis, de temperamentis, de medicament
rum facultatibus, de optima corporis conſtituti
ne, de optima habitudine, de inæquali intemp
rie: hi tres libelli ligantur inter ſecundum
tertium librum det emperamentis: *κατὰ γ´ νη κ*
τόπους: vel legat hos poſtremo. De antidotis, e
poriſta; de purgantium vi, quos, & quando: c
ptiſana. De Theriaca ad Piſonem & ad Pamph
lianum: ſed hos doctiſſimus Julius Alexandr
nus (quem hic ſequimur) adulterinos falsequ
Galeno adſcriptos demonſtravit. Dein ſunt li
bri de Sanitatis natura, de morborum differen
tiis, de morborum cauſis, de ſymptomatum dif
ferentiis, deque horum cauſis, de plenitudine, d
tumoribus præter naturam, de atra bile, de tre
more & palpitatione, de tabe, de locis affectis
de febrium differentiis, de pulſibus, de ſpiranc
difficultate, de pulſuum uſu, de ſpirandi uſu cau
ſiſque: de morbi totius temporibus, de tempo
ribus morborum, de criſibus, de diebus judicia
riis, de typis, de prænotione, de dignotione ex in
ſomniis, quo modo deprehendantur ſimulantes
ſe ægrotare. Ars medica, de ſanitate tuenda, me
thodus medendi, de facultatibus alimentorum
de cibis boni & mali ſucci, de attenuante diæta
de parva pila, de curatione per venæſectionem
& contra Eraſiſtratum, de comitiali pueri affectu
Glauconi ſcripta ad Thraſybulum. Quantum a

com-

commentaria Galeni ad Hippocratem. Signis adnumerari poterunt Prognoſtica & Prorrhetica: Curationi verò, de victûs ratione acutorum, de articulis, de fracturis. Reliqui ejus Commentàrii ad Hippocratem, veluti ſuorum ſcriptorum epitome ſunt. Pragmatici cæteri, quos ante recenſui, nonnunquam tangendi, ubi jam Hippocratis ſcriptis aſſueviſti, exacuendi palati gratiâ, cibi nimiâ bonitate languentis: ſed id ſaltuatim & fruſtulatim. Ita nec totum perlegemus Paulum, Aëtium, nec Trallianum, aut Oribaſium, vel Raſem, neque Meſuem, nec Haliabbatem, Avenzoarem, vel Alſaharavium. Et ita cum cæteris agemus: nam eadem cuncta apud Græcos felicius invenias. Actuarius fere totus legi poterit; & Avicenna, ſi reſtitutus eſſet; & Averrois ſcripta medica, modò id fiat cum judicio. Sed dices, Arabes felici plenâque manu remedia jucunda ac facilia fundunt. Ita eſt: ſed ea pauca, quæ non apud Græcos. At eſto! ſint ab illis inſtrumenta aucta: ſed non in cithara bene pulſandi ars eſt, quamvis ſine ea non ludat citharœdus. Arabes ex Græcia colonias duxere: ſed fruſtra quæras apud hos, quod non apud Hippocratem & ejus enarratorem Galenum invenias. Laudo ſupellectilem remediorum promtam paratamque; & utinam ut Dædalo ſua, & Vulcano tripodes cæteraque animata omnia, juſſa adeſſent: vel potius per ſeipſa, quamprimum ſui opus eſſe ſcirent, ad opus accurrerent, ac id (quod jam φλυαρία quorundam ſibi perſuadet) conficerent ultro, quod nos cum delectu. Delectu magis militum, quàm innumeris copiis, & iis veteranis potius quàm tyronibus ingentia bella conficiuntur: Ita nos ſeligemus ex cunctis optima, & uſu firmata; his ſtabimus. Veteres illi pictores nobiliſſimi, quatuor tantùm coloribus tam elegan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

eleganter pinxere. nec excludimus ſeram æt-
tem, quæ coloribus quid adjecit. Ita vetera
remedia extollimus, non relegamus nova, q
felicia in opus: quin pomœria agri medici li
benter proferemus. Commoditas hinc fiet m
jor: ſed artem non variat inſtrumentum. A
perpetuò poſſedit tantum roboris & venuſtati
quantum ſatis cultui eſt. Hoc ſemper artis fui
artis modum loco adhibuiſſe. Mutandorum r
mediornm nunquam meta erit: ſed ni ars fine
ſuum accipiat, deſinet eſſe ars: nam perfectè f
cere promittit. ſed illa habitum habet in inte
lectu, faciendarum cum ratione rerum. Hæc f
cili, attamen efficaci, remediorum copia inſtru
cta, tanquam Macedonicâ phalange, audact
cum morbis concurrit. tum quæ remedia no
mina nondum dederunt uſui, nec ſacrament
adhuc huic militiæ ſacra, excludis de cohorte; n
ſi præclaris editis facinoribus gloriâ ſplendean
ſuumque genus certis notis aperuerint. Non a
lenda copia iners: paucitati operoſę præſtat confi
dere. Sit tamen juſtus exercitus, & bene notus ti
bi, beneque inſtructus. Excute ergo laſcivien
tem varietatem, tanquam inutilem & imbellem
copia, quantam uſus capit, ſuffecerit. Contend
tu potiùs ad artis penetralia, ubi arcana rerum
cognitio, ut his paucis & fortibus paratiſque
κατὰ καιρὸν loco & tempore utaris. Veterum
cum tam multiplici rerum varietati memoria pa
eſſe nequeat, arte eam juvabimus; locoſque com-
munes fabricabimur; quibus, ut certis thecis,
memoriæ egregiè digna inferamus: ut, cum
opus fuerit, tamquam ex divite penu, illico pro-
mere has opes poſſitis. Age cum Lucretio, flori-
feris ut apes in ſaltibus omnia libant. Omnia
nos itidem decerpimus aurea dicta. Poterunt lo-
ci hac ideâ effingi: Accipiat paginæ frons quæ-

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

que trium locorum titulos, juxta poſitos. tergus verò folii, nudum ſit ab inſcriptione, quo nova charta ſemper addi poſſit. Volumen hoc chartaceum contineat ſeptem vel octo libros chartæ. Cunctæ itaque varietates his locis inferantur, & difficiles deciſiones: nam perenni inſcriptione memoria firmabitur; &, ſi quid exciderit, facili viâ revocabitur, cum ſit ad manus & in mente is locus unde petas. Sed non cuncta quæ legitis locis importabitis, ſed ea quæ maximè memoratu digna, & rarò obvia, de quibus videberis periclitari, ne tibi excidant. Et totarum hiſtoriarum capita tribus, ut ajunt, verbis tantùm, cum numeris annotentur in locis, ut ſcias à quo auctore, cum uſus erit, repetas. & in ipſo auctore, puncto notate id in locos retuliſſe: ut ſi poſtea locum petas, illico adſit oculis; & ne iterum, ſi evolvatur denuo à te auctor, is locus inſcribatur. Sed nonnunquam quædam ancipiti ſignificatione ſeſe offerunt, ut neſcias, in locos ſi referas, unde rectè repetas: propterea conſulo ut etiam Alphabetarii loci alii ſtruantur, quo, inde facilius quæ peti poſſe videntur, eò reponantur. Sed priores etiam jam dicti loci indice egent. Sed cautio adſit, ne nimium his locis fidatis, indeque memoria inculta perdatur. non enim ſatis eſt inſcriptis rem habere, ſed memoriæ una inſcribi debet. Hac ſerie inſcriptiones vel tituli locorum poni poterunt. Deus remediorum, curationis, & ſanationis auctor. Per quos homines uſibus humanis medicina illata fuerit, de auctoribus medicis, & de medicinæ origine. Clinice & Iatraleiptice; & quando primum. Vitia medicinæ & medicorum. Sectæ medicæ: dogmatica, methodica, empirica & Paracelſica; Sophiſtica & ſophiſtæ. Dignitas medicinæ, laus ejus, & præmia medicorum. Quales medici eſſe debeant corpore &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

re & animo,miniſtri, finis medicinæ, objectu
medicinæ , ejus partes, officium medici. De n
tura , quæ ad medicinam attinet. diſcrimen phy
ſici & medici. De elementis . Quid elementum
& quo modo differat à principio: ejus mater
& forma. Quot elementa. ignis, aër, aqua, te
ra. formales differentiæ elementorum. Miſti
ne elementorum ut fiant corpora. formarum
miſtione origo. Proprietates, & effectus elemen
torum . Qualitates ex elementis ortæ. elemen
torum ſitus. Quid mixtio, & ejus cauſæ. in mi
ſto elementorum ſubſtantiæ. An elementa in
mixtis ſecundum ſuas formas , an ſecundum
potentiam ſuam. Elementorum contemplati
quam utilitatem adferat medico. De tempera
mentis & iis quæ à temperamentis fiunt. Quid
ſit temperamentum. quid differat à calido in
nato . Temperamentorum origo. Homo o
mnium animalium temperatiſſimus. partium
ſimilarium & diſſimilarium vis. Temperamen
torum differentiæ quot & quales. Ad pondus, &
de Pulchritudine: ad juſtitiam. Signa tempe
ramentorum . Partium ſingularum temperie
Calidum,frigidum,humidum, ſiccum, quot mo
dis aliquid dicatur . An calidum elementare i
omni vivente excedat . Ætatum temperamen
ta & differentiæ: infantia,pubertas, adoleſcen
tia,juventus,virilis ætas, ſenium duplex. An ju
venum & puerorum idem ſit calor. Anni tem
porum temperies , ver an temperatum , æſtas
hyems, autumnus. Regionum temperies. An
ſub æquatore temperatiſſima regio . Qualitate
ſecundæ: Color quid,& ejus differentiæ,& cau
ſæ. Odor, & ejus differentiæ, cauſæque. Sapor,
inſipidus, acidus, acerbus, auſterus, adſtringens
dulcis,amarus,ſalſus, acris. Tactiles qualitates
molle, denſum, grave. Utilitas quæ ex notiti

tempe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nperamentorum. Cutis temperata. Partes
idæ, frigidæ, humidæ, ſiccæ. De Humoribus:
id humor, quot, quales, primi, ſecundarii, ex-
mentitii, alimentarii: quomodo & unde
nt: duo excrementa humorum: Sanguis:
uita, dulcis, ſalſa, acida, vitrea, gypſea, tenuis,
iſſa; ſigna ejus. De bile, vitellina, porracea,
uginoſa, glaſtea, flava. De melancholia, & ejus
ferentiis; ſigna atræ bilis. Uſus humorum:
ræ ſanguinis, copia morum, mutatio humo-
m. Ichor humorum; & ſigna cujuſvis. Motus
morum. Utilitas doctrinæ humorum. De ſe-
ne, & quid ſemen, utriuſq; ſexûs ſemen. An ſe-
en ut opifex, an ut materia fœtui ſerviat: ſemen
ulieris. Cauſę & origo ſeminis. teſtium vis. San-
is menſtruus quid, & ejus origo. Conceptio,
ſtrumenta procreationis, geſtatio & motus fœ-
s, membranæ fœtus: hepar num ante cor pro-
eetur: ſigna maris & fœminæ: Partus, ſuper-
etatio, fœtus tempora, ſeptimeſtris, &c. abor-
s, fœtus mortuus. Similitudo filiorum cum
rentibus, & phyſiognomonica. Monſtra, mola,
drogyni: fœminarum in mares mutatio. Uti-
as cognitionis ſeminis & materni ſanguinis:
erilitatis cauſæ. Anatome: an unum tantum
inceps membrum: cur ſeminales partes ſectæ
on regignantur. Caput, cerebrum, frons, par-
s caput veſtientes, partes in capite contentæ:
rtes à cerebro ortæ, partes cerebro aſſiſtentes,
culi: quomodo fiat viſio: lacrymæ: aures, na-
s, os, muſculi, ligamenta. Thoracis coſtæ, ſter-
on, muſculi, mammæ, lactis procreatio, diaphra-
ma, tunica coſtas cingens. Partes quæ in thora-
continentur, cor, &c. aſpera arteria, lingua-
rmo ut fiat. Ventris inferioris, umbilicus, & con-
nentes partes: contentæ, ventriculus, &c. me-
nterium, hepar, fel, lien. Partes ab hepate ortæ:
partes

partes ſerum attrahentes & ſuſcipientes , ren
veſica , &c. Partes procreationi dicatæ , teſt
paraſtatæ , &c. uterus. Conſenſus uteri & ma
marum. De manûs partibus & ſtructura, de c
re , oſſium ſtructurâ. Calidum innatum, & ſ
ritus,quid ſit, & cauſſa ejus,& effectus ; præſta
tia ; quotuplex ; mutatio ejus. Spiritus quid,
quot : naturalis,vitalis: humidum primigeniu
De animæ facultatibus : & earum actionib
quid anima, & quot : quid facultas animæ : p
creatrix, nutrix, attractrix, retentrix, excretri
nutritio,auctio, coctio, fames, excrementa. Se
tientis animæ facultates,viſus,auditus, olfact
guſtus, & tactus , ſenſus communis , phantaſi
cogitatio, memoria. motus,appetitus. vitalis v
De ſanitate tuenda. Quid ſanitas. ſigna temp
rierum totius : ſigna cerebri temperati , &
temperati : pilorum cauſæ variorum : oculor
temperatorum varia ſigna:pulmonis tempet
ræ notæ;hepatis,ventriculi,teſtium. Aëris qu
tas varia , regionum varietas, ventorum vis : an
tempora. Cibi boni vel mali, medicamentoſi:
ctus puerperarum , victus melancholicorum, &
Quantitas cibi; modus utendi. Conſuetudo:c
nandum an prandendum liberalius : occaſio
bandi. Potus, aqua , vinum , cereviſia , mul
quantitas potûs, ebrietas. Balnea,dulcia,therm
rum, modus eorum, aëreum. Alvi dejectio, uri
ſudor, vomitus,menſium & hæmorrhoidum p
fluvium ,venus. motus & quies: frictiones. ani
motus. Semina cerealia , triticum , ſiligo , &
Panis & placentæ, pultes & polentæ , legumin
fructus , alimenta ex herbis. Quadrupedes, lac
cinia. Aves, piſces, ſucci , condimenta. Differe
tię & cauſę morborum. quid morbus,genera m
borum, intemperies: manifeſti,occulti,venena
contagioſi : organici ; ſolutio continui : p
ma

marii, per ſympathiam ſimplices, compoſiti; acuti, longi, &c. Cauſæ morborum, agnata, antecedens, continens, externa. Faſcinum, philtra, incantationes. Signa morborum; & quid ſignum, pathognomonicum, epigenomenon, & epiphænomenon. In excrementis, actione læſa, qualitate mutata. doloris idea, ſitus. Differentiæ & cauſæ ſymptomatum: quid ſymptoma. In motu: tremor, rigor, horror, tuſſis, ſternutamentum, oſcitatio, pandiculatio, palpitatio, ructus, ſingultus. vomitus, nauſea: ſtridor dentium. Læſio actionis principis cerebri; ut phantaſiæ, cogitationis, memoriæ: vigiliæ, ſomnus. naturalis facultatis, ut attractio, &c. Qualitatis mutatæ, viſibilis, &c. dolor. Excrementorum ſymptomata, in ſubſtantia, qualitate, copiâ, tempore, & excernendi modo. Prognoſtica. Quid ſignum prognoſticum. Signa cruditatis & coctionis. ſigna mortis vel ſalutis, & quæ ad melius & deterius: ſigna quæ ad ſpeciem & ad tempus criſis apparent. Tempus morbi: quid principium, augmentum, vigor, declinatio. Paroxyſmus, periodus. Prognoſes in urina, dejectione, ſure, expectorato, menſtruis, vomitu, hæmorrhagiâ, pure. Criſis quid: criſis bona, mala, fida: & quando futura. Dierum decretoriorum naturæ & cauſæ. unde certus naturæ in his ordo. Luna cauſa adjuvans. Qui dies decretorii: dies ſextus: & ſingulorum dierum vires. Criſes ſingulorum morborum. Septimanarum ratio. Abſceſſus. Dies & hora mortis. Quo affectu quiſque peribit. De pulſuum ſignificatione. quid pulſus: Diaſtole, ſyſtole: duplex in pulſu quies. differentiæ pulſuum. De reſpiratione, quid ſit, unde fiat: inſpiratio, exſpiratio, uſus ejus: differentiæ variæ. Urina quid ſignificet, quid ſit: ut fiat urina. ejus colores, ſubſtantia, quantitas, contenta urinarum, enæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

orema, hypoſtaſis, ſpuma, pinguedo, innatantia corpora, &c. Qualitas urinæ, odor. unde varia urina; ut ex ætate, ſomno, cibo, &c. De febribus hecticis, ephemeris, ſynochis, putridis, continuis, intermittentibus, quartana, &c. Morbi partium, capitis, thoracis ventris, artuum. Victûs ratio in morbis ſervanda. De natura medicamentorum, Quid pharmacum: unde eorum vires: ut in actum ducantur à noſtro calore. prima eorum qualitates, & ſecundæ: ſapores, &c. Purgantia, vomitoria, ſudorifica, urinalia: partibus peculiaria, antipharmaca, venena. Delectus remediorum, quando quæque colligenda: radices, flores, ſemina, ſucci, lachrymæ. Præparantia: corrigentia: menſes ducentia, obſtruentia, aperientia, &c. Externa, repellentia, emplaſtica, anodyna, narcotica, emollientia, attenuantia, trahentia, diſcutientia, maturantia, puſtulas & veſicas concitantia. De compoſitione medicamentorum: de ejus utilitate & neceſſitate: baſis. Coctio remediorum, lavatio, veſtitio, tritura, infuſio, nutritio, mollitio: metallica remedia, & Alchimica. Adjuvantia remedia. Pondera & menſuræ: Sirupi, &c. Methodus medendi. De chirurgia & chirurgo, ejuſque officio. Venenorum natura: ab iis præcautio. Vita num prorogari queat medicina. cur alii aliis longioris vitæ. Mors, ejus cauſæ & neceſſitas. ſenes cur facile moriantur. Mortis hora an prædici poſſit. Ægri deplorati ſæpe ſervantur. Semina ampliſſimum ad medicum campum habetis; vos in meſſem excolite. Qui velit, hæc latius ex Inſtitutionibus medicis & Methodo medendi (nam inde profecta ſunt) pandere poterit: aut (ut varia ingenia ſunt) arctiùs contrahere. Sunt qui breviſſimos velint locos, ad praxin. Hi ſerie hac tranſigant: In primis ponent morborum definitiones,

tiones, dein cauſas cujuſq; morbi: ſigna unde noſcatur, quod ſit talis morbus: Signa differentium cauſarum ejus mali, hoc eſt, differentiæ propriæ cauſarum ut noſcantur: differentiæ etiam communes. Indicationes curativæ: prognoſis num liceat ſatisfacere Indicationibus. Præſervatio, curatio, chirurgia; pharmacia, lenientia, præparantia, purgantia univerſalia, & pecularia. topica: diæta: empirica.

M. HORTENSII
Diſſertatio de Studio
MATHEMATICO
Rectè inſtituendo,
AD V. C.
MARCUM ZUERIUM
BOXHORNIUM,
Eloquentiæ in Academia Lugd. Bat.
PROFESSOREM
digniſſimum.

QUÆ ſuper *Diſſertatione de ſtudio Mathematico rectè inſtituendo* non ita dudum coram diſſeruimus, Vir Clariſſime, ea paucis in chartam conjecta, quia ita poſtulabas, conſpectui tuo ſiſto & offero; non ut ſingulare aliquod cimelium, ſed quia pro amicitia noſtrâ, petitioni tuæ omni modo duxi ſatisfaciendum. Verborum lenocinia, & affectatam dictionis elegantiam hîc ne quæras. Sacra iſta ſineulla prompa tractari amant, & ut Mathe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſis ipſa per ſe ornari negat, contenta doceri; ita animus eſt, ab omni fuco temperata manu, rem ipſam nudè proponere. Sic ergo habe. Quicunque Mathematicæ ſcientiæ operam dare vult, ante omnia certum ſibi *ſcopum* proponere debet, nec temere per omnes ejus partes, quæ variæ ſunt ac vaſtæ, vagari. Nam aut perfectam Matheſeos notitiam affectat; aut tantam modo, quæ ſufficiat ad reliqua ſtudia feliciùs pertractanda. Si prius; ſciendum, non ſine labore ac temporis impendio, tum præcipuè certo duce atque ordine, eò perveniri. Si poſterius; res quidem tantâ difficultate non conſtat; at interim conſilio quoque indiget; nec ſine juſta methodo incœptanda. Qui Mathematicus audire cupit, non Arithmeticam modo & Geometriam, quæ Matheſin propriè dictam & ab omni materiâ abſtractam conſtituunt, verùm & Aſtronomiam, Geographiam, Opticam, Mechanicam & Staticam, Muſicam, Geodæſiam & Architecturam militarem, probè calleat oportet. Cæteris, qui guſtu aliquo Matheſeos contenti eſſe volunt, partes aliquæ ad lubitum eligendæ, & in iis tantum comparandum exercitium, quantum rebus ſuis & ſtudiorum inſtituto cenſent convenire. Ita multos hodie videas, qui uſum & praxin hujus aut illius partis ſectando, de plenaria ejus & fundamentali notitiâ parum ſunt ſolliciti. Paucos contra invenias, qui puram illam & abſtractam Matheſin ita penetrent, ut ſe nomine Mathematicorum ex merito dignos eſſe oſtendant. Ut autem quantum licet utriſque ſatisfaciam; viam indicabo, quâ quis è tyrone aut perfectus Mathematicus evadat, aut eam ſaltem cognitionem acquirat, quam animo ac voto ſuo ſatisfacturam eſſe prorſus confidat.

Igitur, quoniam Arithmetica & Geometria ſolæ

ſolæ per ſe conſtant; cæteræ partes abſque his minimè: & in Geometria multa occurrunt, quæ etſi demonſtrationes ſuas habeant, per numeros tamen plurimum illuſtrari ſolent ad captum incipientium: in id tyroni unicè incumbendum ut antequam ad Geometriam accedat, *Arithmeticæ* vulgaris aliquam ſibi comparet peritiam. idque autè vivâ præceptoris voce, aut ex libellis minùs obſcuris, quales ſunt Arithmetica Gemmæ Friſii, Malapertii, Rami cum notis Snellii, &c. Sufficiet autem nôſſe quatuor ſpecies in integris & fractis, tum regulam auream, & quædam de numerorum reductione ac proportione. Hinc ad *Geometriam* ſe conferat, omnium aliarum Matheſeos partium, atque ipſius adeò Arithmeticæ, baſin ac fundamentum. Ac perceptis probè Definitionibus, Poſtulatis, Axiomatibus, ipſa aggrediatur Elementa, ab Euclide mirando ingenio & arte concinnata, & ad poſteritatem tranſmiſſa. Hîc diligentem ſe præbeat & impigrum ad labores; &, ſi fieri poſſit, explicantem ea audiat Magiſtrum; ſin minùs, Commentatores adeat ſelectiores, Clavium, Candallam, Commandinum, Dibuadium. Commandinum præ cæteris commendarem, niſi vitioſiſſimè eſſet editus; nec tacerem Rhodium, niſi in quibuſdam Propoſitionibus demonſtrandis inveniſſem minùs felicem. Ergo Clavio potiùs adhæreat; eique adjiciat Henric. Savilium in 8. priores Propoſitiones Euclidis, & Proclum in librum ejus primum. Nullum hîc tædium objiciat, aut ad compendia quædam Geometriæ deflectat. Devoranda ſemel omnis moleſtia; & ut nucleo potiatur, putamen, etſi durum, frangendum. Ramum ſi cum Euclide conjungere velit, eſto, ob brevitatem Propoſitionum & ad juvandam memoriam, non ut adhæreat, aut ſequatur. Dedit ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

vir nobis hortulum amœnis aliquot floribus conſitum, ſed qui nullâ ratione cum pomario Euclidis, & cultiſſimo Geometriæ agro, quem e-jus Elementa aperiunt, veniat comparandus. Itaque Euclidem

Nocturnâ verſetque manu, verſetque diurnâ.

Mirum enim, quantum ad firmandum judi-cium faciat liber iſte, ubi quis ſedulo inquirit in proceſſum Demonſtrationum, & unius Propoſi-tionis ex altera deductionem, atque huic ratio-cinationes ſuas & diſcurſus mentis ſtudet con-formare. Nec greſſum teneat, aut iter ſemel in-ceptum mutet, ſi alibi ſpinæ occurrant, & re-moræ quæ cogant interdum ſubſiſtere. Illud perpetuo mente impreſſum habeat, quod ipſe Euclides olim regi Ptolemæo primo, interrogan-ti, num brevior aliqua ad Geometriam via eſſe hac inſtitutione elementari; reſpondit, nempe nullam eſſe quæ ad Geometriam ducat viam Regiam.

Perceptis ſex libris Elementorum prioribus, animum applicet ad doctrinam Triangulorum planorum, & *Geodæſiam*, non neglectâ interim Cyclometriâ. Et in doctrina quidem Triangu-lorum planorum præ cæteris legat Regiomonta-num de Triangulis, Lansbergii Geometriam Triangulorum, Trigonometriam Pitiſci & Snel-lii Finckii Geometriam Rotundi. Geodæſiæ præ-cepta hauriat ex Orontii Finæi, Clavii, Metii, & Stevini Geometriâ practicâ. Cyclometrica pe-tat ex Finckii Geometriâ Rotundi, Cyclome-triâ Snellii, Longomontani, Lansbergii, Ludol-phi à Cöllen, Adriani Romani, & ob notabilia ψευδογραφήματα Joſephi Scaligeri. Poſtquam in his ſatis ſe exercuit, tres ſequentes Euclidis li-bros, ſeptimum nempe, octavum, & nonum perlegat; ac ſimul ad intimiorem Arithmeticæ

cogni-

cognitionem adſpiret. Huic inſtituto ſervient Arithmetica Stifelii, Algebra Clavii & Rami, Ludolphi à Collen Arithmetica ſurdorum, aliique. Decimum Euclidis librum ne attingat, niſi prius artem Analyticam penitius introſpexerit; cujus præcepta petenda erunt ex Iſagoge, Zeteticis, aliisque tractatibus Franciſci Vietæ, ex libris Getaldi de Reſolutione & Compoſitione Mathematica, ſcriptis Anderſoni, Cyriaci, aliorum. Quæ tamen ut felicius aſſequatur, ex uſu erit affectiones quantitatum generales ediſcere, quæ ſub ſpecie quadam Matheſeos univerſalis adumbratæ ſunt ab Adriano Romano in Cyclometricis: atque ita quaſi habitum quendam acquirere, quantitates abſtractas variis modis inter ſe comparandi. Dum in Analiticis verſatur, Problemata omnis generis ſibi reſolvenda proponat: quorum ſylva quædam offertur in ſcriptis Ludolphi, Anderſoni, Vietæ, Pappi Alexandrini, quoad Geometriam; Diophanti quoad Arithmeticam. Atque interim & decimum Euclidis librum abſolvat, & tres ſequentes qui agunt de ſolidis. His verò deguſtatis, ad Archimedem & Pappum ſe conferat, & quæ ipſi circa ſolidorum doctrinam tradunt, ſtudioſiſſimè evolvat. Pro praxi autem Stereometriæ legat Joh. Bajeri & Kepleri Stereometriam doliorum vinariorum. Tandem ut ſtudio geometrico colophonem imponat, ne dubitet ſe diffundere per Helices Archimedis, & Conica Apollonii; & problemata quæ ad iſtam materiam pertinentia paſſim in aliis offendet autoribus, via Geometrica & Analytica, continuo exercitio reſolvere.

Hac ſemitâ qui incedit in ſtudio Geometriæ, tandem ſe aptum præſtabit ad percipiendas nullo fere labore cæteras Matheſeos partes, in qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

bus ſi quis operam ſuam non male collocatam velit, tali fere modo in ſingulis progrediatur. In Aſtronomicis à doctrina Sphærica initium faciat, legendo Inſtitutiones Aſtronomicas Peuceri, Metii, Mæſtlini, Crugeri, & commentaria Clavii in Sphæram Joh. de Sacroboſco. Perceptis autem Artis terminis, & uſu circulorum, doctrinam Triangulorum ſphæricorum penitiſſimè ediſcat, tam per Tabulas Sinuum, Tangentium, & Secantium, quam per Longarithmos. Atque heic adeat modo dictos, Lansbergium, Pitiſcum, Snellium, Finckium: & pro notitia Logarithmorum, Neperum, Benjam. Urſinum, Keplerum, & Gellibrandum in Trigonometria Britannica. Problematum Sphæricorum reſolutionem petat ex Ptolemæi libro 2. Almageſti, Longomontani Aſtronomia Danica, Neperi Logarithmis, & Inſtitutione Aſtronomica Crugeri. Doctrinam Horologiorum ſolarium & Aſtrolabii, ex Gnomonica Clavii, Aſtrolabio ejusdem, & Gemmæ Friſii Aſtrolabio Catholico. Ubi verò ſatis diu in Sphæricis verſatus fuerit, ad Theorias Planetarum tranſeat; & perlectis Theoriis Planetarum Purbachii cum commentariis Rainholdi, aut Chriſtiani VVurſtiſii, & Screkenfuchſii; Theoriis item Magini & Mæſtlini, ad ipſos fontes Artis properet, Ptolemæum cum expoſitore Theone, & Copernicum cum narratione Rhetici, in quibus ſi quæ ardua aut difficilia occurant, ad inſtitutionem præceptoris confugiat potius, quam tempus fruſtra, proprio Marte ſudando, conterat. Pertractatà Aſtronomia veteri, recentiorum ſcripta evolvat, ſcilicet Progymnaſmata Tychonis Brahe, Aſtronomiam Danicam Longomontani, Lansbergii Progymnaſmata de Motu Solis, & Theorias, Kepleri Epitomen Aſtronomiæ Copernicanæ, Commentaria

de

de Motu Martis, & Tabulas Rudolphinas; noſtraſque, quarum editionem propediem meditamur, Controverſias Aſtronomicas; atque in calculo Aſtronomico ſtrenuè pro ſupputandis Planetarum locis & Eclipſibus ſe exerceat; ubique, ſi opus ſit, implorato auxilio præceptoris; quod, niſi ipſe cum damno meo expertus eſſem, quid ſit ſine duce in iſtis autoribus vagari, non tantopere ſuaderem.

In Geographicis, poſt rudimenta Cluveri, Bertii, Apiani, Ptolemæum conſulat, & Ortelium, & Mercatorem: ac crebrâ Tabularum Geographicarum inſpectione, ideam univerſi Orbis Terrarum, quantum poteſt, menti ſuæ imprimat. Nec omittat artis Nauticæ doctrinam petere ex Metio de uſu Globorum, Snellii Typhi Batavo, Petro Nonio, Stevino.

In Opticis & Catoptricis, præter Euclidem de iſta materia, adeundam habebit Opticam Rhodii, Riſneri, Aguilonii, Kepleri; Maurolycum de Lumine & umbra, Perſpectivam Rogerii Bacchonis, & tandem opus ipſius Vitellonis principis Opticorum. In Dioptricis legendi erunt tractatus Scheineri de Oculo, de Refractionibus cœleſtibus, de Maculis Solis, nec non Sirturi Teleſcopium, & Dioptrica Kepleri. In Schenographia, quam Perſpectivã vocant, Guidi Ubaldi Perſpectiva & Stevini; aut ſi Gallicè norit Maroloiſii; ſi Italicè, Vignolæ.

In Muſica apud Latinos inveniet Boëthium, Fabrum Stapulenſem, Henrici Glareani Dodecachordum, Kepleri Harmonicen Mundi, & opus Muſicum recens M. Merſenni; apud Italos Zarlinum & Galilæum; qui vel curioſiſſimo ſatisfacere queunt in univerſa Muſices tam Theoria quàm praxi.

In rebus Mechanicis & Staticis evolvat Me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

chanicam Ariſtotelis & Guidi Ubaldi, Pappum Alexandrinum, Stevinum de Iſorrhopicis, Archimedem & Galilæum de iis quæ vehuntur in aqua, & ob materias mixtas Vitruvium, Cardanum de Subtilitate & rerum varietate, & Joh. Baptiſtæ Portæ Magiam naturalem.

In Architectura militari præcipui hodie cenſentur, Speckelius, Barleduc, Maroloiſius, & recentior Freitagius. Ex his quæcunque ad muniendas & oppugnandas civitates præcipiuntur ex uſu militiæ hodiernæ, Geometriæ cognitione inſtructus nullo negotio hauriet; modo idiomatis Gallici aut Germanici, quo in libris ſuis utuntur, non ſit omnino ignarus.

Atque ita quantâ potui brevitate rationem modumque expedivi, Clariſſime Boxhorni, quo quis aut ad plenariam matheſeos cognitionem pervenire queat, aut hinc inde quantum inſtituto ſuo ſatis ſit, decerpere. Non ignoro alia aliis placere, & forte nonneminem futurum, cui ea methodus minus arrideat, aut Autores alii, cum iis quos citavi, videantur permutandi. Verum in tam vaſta ſcientia, non quod omnium palato placeret proferre ſtudui, ſed quod non omnino diſpliceret judicio meo. Ipſe enim, ſi mea res ageretur, non alio tramite incederem. Fateor equidem, nonnullas partes ab uno Autore felicius multo pertractari, quam ab alio; eoque delectu opus eſſe, ſi accuratiſſimæ methodi leges ſint obſervandæ. Verùm nec tempus, nec otium mihi fuit minuta iſta accuratius cribrandi. Et poterit ſtudioſus Matheſeos, ſi talibus modo Autoribus inſtructus ſit, ubi progreſſus aliquos fecerit in ſingulis partibus, optimos à minus probis facillime diſcernere. Apud te non eſt quod multis me excuſem, ſi ſtrictior fui quam pro dignitate

mate-

materiæ; candoris tui erit brevitati meæ ignoſcere. Nam & Typographum urgere ſcis, & ſi pro varia ingeniorum conditione atque hodierno ſtudiorum ſtatu, ſcribenda foret Methodus; ſingulis Matheſeos partes peculiarem inſtructionem pro ſe requirerent. Nulla enim tam anguſta eſt, quæ talia ſcribentem non patiatur, tum quoad materiam pertractandam, tum quoad ſcripta diverſorum Autorum, quam latiſſimè exſpatiari. Hęc ergò ſufficere arbitror, &, ſi quodam modo paritione tuæ videar feciſſe ſatis, habebo unde mihi gratuler. Vale, vir Clariſſime, & me, ut ſoles, conſtanter ama. Dabam raptim Amſtelodami, IV Non. Iul. CIↃ IↃ C XXXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

SEBASTIANI FOXII MORSILII DE PHILOSOPHICI STUDII RATIONE EPISTOLA,

AD FRANCISCUM FRATREM.

IN ſtudio Philoſophico, Frater, ne cæcus & errabundus ancipiti animo verſere, dum in tanta Philoſophorum turbâ, quid eligas potiſſimùm, neſcias; dicam profectò quid ſentiam, non quid fieri debeat, ne meo velle alios judicio videar ſubjicere. Univerſa Philoſophia duas in partes à me aliàs diviſa eſt: in *contemplatricem*, & *actuoſam*. Quarum illi tres partes ſubjeci, Phyſicen, Mathematicen, & primam Philoſophiam: huic rurſus totidem alias, Ethicen, Oeconomicen, Politicen. Quibus etiam adjungendæ ſunt dicendi tres artes, Grammatica, Dialectica, & Rhetorica; non uti partes Philoſophiæ, (neque enim ſunt) ſed tanquam inſtrumenta. Quibus de omnibus quando paullò antè ſententiam meam expoſui, & iis pariter Mathematicarum diſciplinarum rationem addidi: tres illæ tantùm in hoc loco reſtant explicandæ, Phyſice, Philo-

ſophia

ſophia prima, & Morum Scientia; cujus tres eſſe has partes diximus, Ethicen, Oeconomicen, Politicen. Ad Phyſices ergo notitiam Ariſtotelem in primis legi oportet, qui, cùm populariter, & ad communem hominum captum ſcripſerit, atq; ea magis quæ cadant ſub ſenſum, conſectatus fuerit, principio eſſe legendus videtur. Nam Plato, & Academici, à vulgo ſeſe abducere conati, diviniorem quandam philoſophandi viam ingreſſi ſunt: itaque qui bene ſit in Ariſtotelis lectione verſatus, is ſine dubio magnam phyſices notitiam eſt aſſequuturus. Fuit enim vir illle adeò diligens ejus ſcientiæ indagator, ut quæ alii priùs obſcurè, ac breviter admodùm ſcripſerant multis allegoriis, & ænigmatibus involuta (ut antiqua fuit Philoſophandi ratio) ea ipſe apertius dixerit, affectatâ tamen in quibuſdam brevitate difficili, & lubricâ, quæ tametſi permagnam afferat difficultatem, vulgaribus quidem ingeniis facilior eſt, quàm illorum copia. In ipſo autem Ariſtotele legendo viam, atque ordinem intelligendi ſingula ſervari oportet: tum aliquot interpretes adhiberi, qui non tam ejus omnem adimant difficultatem, quod fieri certè neceſſe eſt, quàm variarum etiam rerum cognitione lectorem imbuant. Id enim commodi affert Ariſtotelis obſcuritas, quod occaſionem auctores multos legendi præbet, id quod vel nullâ oblata, ſtudioſi facere debuiſſent, propter notitiam rerum ipſam. Ex omnibus ergo Ariſtotelis libris de naturæ Philoſophia primùm legendi ii ſunt, qui περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως, id eſt, de auditione naturali conſcribuntur. Ii enim univerſam initiorum naturalium explicationem complectuntur: quam cum Phyſico tenendam cumprimis in noſtris ea de re libris diximus, & hos quoque Ariſtotelis libros legiſſe opus eſt. Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

quos qui priorem noſtrum de Naturæ Philoſo-
phiâ librum legerit, quaſi erit introductus: quo-
niam eaſdem res noſter hic tractat, quas illi, ſe-
breviùs, apertiùs. Ergo cum hos cœperint Ariſto-
telis libros ſtudioſi legere difficiles, ac moleſta
illas Philoſophorum reprehenſiones æquo ani-
mo ferant, ac ſi diligenter Peripateticorum ſen-
tentiam noſſe velint, cognoſcant. Multum enim
prodeſt, adverſariorum argumenta, & opinione
intellexiſſe, ut quid rectè ſecuſve dicatur, no-
ſcamus. Qua in re quoniam diverſæ Philoſopho-
rum ſententiæ ab Ariſt. citantur eademque bre-
viter, & obſcure, non inutile fuerit Plutarchi li-
bellum de Philoſophorum Decretis legiſſe, u
ex iis ſententias eorum deſumas. Quibus cogni-
tis, & illorum refutationes, & aliorum aucto-
rum innumerabilia loca, intelligentur. Idem fe-
re præſtant Græci interpretes (nam Latinorum
nemo fere lectu dignus exſtat) ut Alexande
Aphrodiſeus, Themiſtius, Simplicius, Philopo-
nus: ſed hi quidem legendi, ad eruendam Ariſto-
telis ſententiam, & orationis difficultatem tol-
lendam, ſunt. Et quoniam ex Phyſicorum li-
bris primus eſt de ribus initiis rerum, materiâ
formâ, privatione: ſecundus de cauſis, deque na-
tura: tertius de motu, ac infinito: quartus de lo-
co, & inani, ac tempore: quintus de motuum
formis, & differentiis, deque quiete: ſextus de
motuum magnitudine, proportione, duratione,
continuitate: ſeptimus decollatione motuum
cum motore ipſo: octavus de motore primo, &
ejus æternitate: hi certè ſi conferantur cum prio-
ri noſtro libro rectè, ut ipſe judico, ea omnia
brevi cognitione comprehendentur. Addatur ad
poſteriores quinque Ariſtotelis Phyſicorum li-
bros libellus is Procli de motu, qui univerſam
rem exquiſitè, pulcherriméque complectitur,

Geome-

Geometrarum exemplo juncta demonſtrationibus docens: ut ſi quis eum legat, Ariſtotelis diſputationes de motu haudquaquam requirat. Libros Phyſicorum ſtatim quatuor de cœlo conſequuntur: quibus noſter ſecundus congruit: qui ideò ſecundo loco ſunt ab Ariſtotele poſiti, quòd poſt initiorum explicationem de corpore naturali Phyſico diſſerendum ſit. Quod cum aut ſimplex ſit, aut compoſitum, de ſimplicibus agitur primum, ut de cœlo, & elementis: tum de concretis. Itaque horum librorum primus de cœli eſſentiâ, figurâ, motu, unitate, partibus, & æternitate diſſerit: cui Phyſicorum octavus liber reſpondet: ſecundus eandem tuetur artem, refutatis aliorum opinionibus, deque ſtellarum natura, figura, motu, ſitu; poſtremò de terra, ejuſque ſede, ac figurâ: tertius de elementorum numero, eſſentia, figurâ, ordine, ac motu: quartus de elementis, & eorum viribus, qualitatibuſque agit. In his quoque libris multæ occurrunt difficiles quæſtiones, quas Alexander Aphrodiſeus, & Simplicius in commentariis in eoſdem explicant. Reſtant duo de ortu, & interitu, qui communes mixtionis elementorum cauſſas oſtendunt: quibus ſecundi noſtri libri poſterior pars reſpondet. Horum etiam librorum primus communes ortus, & interitus cauſas universè continet, omniaque motûs genera quæ in Phyſicorum libris conciſè relata ſunt: ſecundus eandem rem docet accuratiùs, explicatis elementorum naturis, qualitatibus, motibus, & connexione. His addendus videtur proximè *Meteoron* quartus liber, ut veteres cenſent Peripatetici: in quo de viribus qualitatum elementorum in mixtis corporibus, deq; illarum facultatibus, & mixtione ipſa diſſeritur. Quæ res hon modò Phyſicis, ſed medicis etiam neceſſaria eſt. In hos libro elegan-

ter

ter ſcripſere Alexander Aphrodiſeus, Simplicius, ac Ioannes Philoponus. Quorum interpretatio utilis eſt admodùm ad ſententiam Ariſtotelis, & ad rerum variarum notitiam aſſequendam. Hactenus elementorum, & qualitatum, mixtioniſque corporum cauſæ ex his libris & è noſtro ſecundo poterunt intelligi: ſed quia illas corporum miſtorum effectiones concretiones ipſæ debent mox conſequi, eâ de cauſa tres libri Meteorologicorum prioris legantur. Quorum primus de communibus elementorum viribus, loco, ordine, deque iis, quæ in aëre cernuntur, ut crinitis, lacteo circulo, pluvia, nubibus, nebulâ, rore, pruinâ, grandine, ventis, fluminibus, fontibus, deque inundationibus agit: ſecundus de mari, ventis, & eorum varietate, ac regionibus, deque terræ motu, tonitru, fulgure: tertius de fluminibus, & eorum formis, deque aliis rebus, quæ accenſæ in aëre cernuntur. Quos etiam in libros tametſi accuratè Alexander Aphrodiſeus ſcripſerit, commodum erit tamen Plinii ſecundum librum, ac ſeptem illos Senecæ de quæſtionibus naturalibus ac Theophraſti de igne, ac ventis adhibere, ut horum collatione univerſa res intelligatur perfectè. Cui etiam rei tertius liber ex noſtris, qui ea de re ſcriptus eſt, non parum conducet. Sequuntur miſtorum perfectorum cauſæ, quæ magnam Phyſices partem continet: quas nos in quarto libro perſequimur. Hujus generis ſunt ſtirpium generatio, & natura, quam à Theophraſto, Plinio, Dioſcoride, aliiſque hiſtoricis petere oportet: tum lapidum, metallorum, quæ breviter Ariſtoteles in fine libr. 3. Meteôron, & Theophraſtus in libello de Lapidibus, ac Plinius docuére: ſed optimè omnium Georgius Agricola: poſtremo animalium, de quibus uberrimè, atque abſo-

abſolutiſſimè Ariſtoteles ſcripſit, Plinius, Ælianus, atq; ætate noſtra eleganter Eduardus Vuortonus Anglus. Ad harum rerum notitiam problematum Ariſtotelicorum, ac Plutarchi, & Alexandri Aphrodiſei, atq; aliorum quicunq; problemata collegêre, lectio adhibeatur, quæ multa ſcitu digna, jucundaq; poterit docere. Quorum omnium tam eſt utilis, ac neceſſaria cognitio, ut quæ his prius in Phyſica tradi ſolent, moleſta & inutilia ſint, ſi cum his ipſis conferantur. Si enim utilitatem è Phyſica requirimus, unde major, quàm ex ſtirpium, animalium, metallorum, lapidum cognitione comparari poteſt, quorum eſt frequens in vita uſus, & neceſſitas? ſi jucunditatem, quænam rurſus major eſſe hac poteſt? niſi fortè moleſtas illas de primis rerum initiis diſputationes his anteferendas exiſtimes: ſi rerum deniq; peritiam, unde obſecro quiſquam uberiorem queat comparare? Quapropter ridere ſatis non poſſum eorum ineptiam, qui peracto quodam, ut ipſi vocant, ineptè artium curſu, ad alias ſeſe continuò diſciplinas referunt harum rerum, quas dixi, notitiâ deſtituti: quas dum negligunt, ipſi à ſe ſuæ inſcitiæ pœnas ſatis magnas exigunt, dum ſe optimarum rerum cognitione privant. Atque ego ſanè non modò ei, qui Philoſophiam naturæ volet accuratè cognoſcere, hæc omnia ediſcenda cenſeo, ſed brevem etiam aliquam Medicinæ rationem, qualem Galenus deſcripſit, adhibendam, (ſi modò ſit ab ea arte alienus, & alicui ſe cæterarum diſciplinarum dediderit) ut nullam Philoſophiæ partem omiſiſſe, aut ignorâſſe videatur. At quoniam, uti ſuprà retuli, Ariſtotelis difficultas interpretem requirit, adhibendi quidem ii ſunt, qui non tantùm eam tollant, ſed eruditionem etiam augeant & alant. Tales ſunt Alexander Aphrodiſeus, Themiſtius, Philoponus, Simpli-

Simplicius, Porphyrius, aliiq; multi antiquoru
ac recentiorum,quos longum eſt recenſere. At
Alexander quidem, qui primus omnium jace
tem Peripateticorum diſciplinam excitavit,
Ariſtotelis obſcuritatem, Comentaris illuſtra
editis conatus eſt, diligentiſſimè hujus ſe
ſum & doctrinam expreſſit, niſi quod idem, ſi
Ariſtotelem ipſum in omnibus imitari cupien
ſive quod ejus erat ingenii, durus eſt, ac n
mium difficilis. Hujus ergo in Meteôron libr
exſtant eruditiſſimi Commentarii: omitto eni
illos, qui in Topica, & Elenchos ſcripti ſun
itemque problematum, & naturalium, mor
liumque quæſtionum &,de mixtione libros Pe
ripateticorum diſciplina omni refertos. Hun
poſtea perſequutus Themiſtius,eleganter perſp
cuéque libros de Phyſico auditu Paraphraſi e
planavit. Quem qui legat,non magnopere ipſu
requirat Ariſtotelem. Non eſt in hac parte neg
ligenda Iohannis Philoponi Alexandrini Gram
matici diligentia, quia accuratè liberéque ad
modum quatuor priores Phyſicorum libros in
terpretatur, (reliqui enim deſiderantur) a
duos de ortu, & interitu: quibus octo alios de
mundi ortu contra Proclum ſcriptos adjecit ele
gantiſſimos,& Academicorum Peripateticorum
que doctrinam omnem complectentes. Simpli
cius etiam tametſi prolixus interpres, non par
vam tamen Ariſtoteli operam navavit, ſcriptis
commentariis in octo libros Phyſicorum, & in
quatuor de cœlo: utpote qui Platonis,& Ariſto
telis magnam habuerit cognitionem, & utrum
que ſummopere conciliare ſtuduerit. Sunt & in
terpretes alii Latini, tum boni,tum mali: ſed o
mnes longo intervallo Græcis poſtponendi: imò
ne legendi quidem,dum illos habuerimus. Quod
ſi verò quis interpretum multitudine obrutus, ac
defa-

[d]efatigatus eoſdem non putet ſibi legendos, aut [m]agno ſaltem cum faſtidio legat: facillima mihi [s]ane ratio videtur, ut dum quæſtiones Phyſices ſin[g]ulas tractare, aut Ariſtotelē ipſas tractantem, le[g]ere oporteat, auctores alios, qui ea de re ſcripſe[r]int, evolvat. ut hujuſmodi collatione rem ipſam cognoſcat, & è multis comparet judicium. Veluti ſi cum de principiis rerum, de cœlo, ejuſque motu, de elementis, de mixtione, aliiſque hujuſmodi agitur, Plotini libros de materia, deque actu, & poteſtate, de cœlo, & ejus motu, Theophraſti de igne, Alexandri de mixtione, aliaque generis hujus legat. His cognitis, Plato tandem adjungendus eſt, qui longè quidem maturiùs exercitatiuſque ingenium requirit, utpote qui diviniora, magiſque recondita Philoſophiæ tractet myſteria. Hunc quamquam à Philoſophorum vulgo rejici, legique rariùs videam, tamen ita cenſeo neceſſarium eſſe Philoſopho futuro, ut ſine illo perfectam ejus diſciplinæ notitiam habere poſſit nemo. Etenim nec ipſemet Ariſtoteles commodè, ignorato Platone, intelligi poteſt, cum eadem ferè ſint utriuſque decreta: & in Platone quaſi fontem Ariſtotelicorum ſcriptorum liceat intueri. Adde quod & medici Hippocratem, aut Galenum ut intelligant, Platonem debent adjungere: cujus videant in iis duobus auctoribus imaginem expreſſam: ſiquidem, ut Galenus in lib. de utriuſque decretis refert, Hippocratem eſt Plato in pleriſque imitatus, & Galenus Platonem ubique ſequitur; Ariſtotelem verò nunquam. Quid, quod Theologi antiquos omnes patres, ut Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Auguſtinum Platonis diſciplinam amplexos animadvertent: id quod ex Auguſtini ipſius de Civit. Dei libris planum eſt. Nec verò hîc docere opus eſt, quantò magis Platonis do-

gmata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

gmata cum religione noſtra conſentiant, qua aliorum philoſophorum, quando id eſt copio à Beſſarione doctiſſimo in libris adverſus ca lumniatorem Platonis diſputatum. Ergo in Pl tone legendo qui à vulgi ſenſu maximè diſce ſit, & abditiſſima quæque, ac divina eſt conje ctatus, magnâ uti opus eſt cautione, tum ob i lius difficultatem, tum quia ore aliorum ſente tiam ſuam dicens, quid ſentiat, fere ſemper oc cultat. Quamobrem & nos noſtris in Timæur commentariis communem quandam Platon corum dialogorum rationem præpoſuimus: qu cognitâ, quaſi viam ſtudioſi habeant præmuni tam. Platonis verò ipſius de natura diſputati potiſſimùm in Timæo, Parmenide, & Sophiſt continetur, in aliis verò locis ſparſim. Quocirc utile admodùm erit, Alcinoi, & Appuleji de Pla tonis doctrinâ libros legiſſe; ut cognitis iis, acce dant ſtudioſi magis inſtructi. Adde his Plotini li bros, ac Procli commentarios, fragmentaque illa Jamblichi, & Porphyrii, quæ exſtant, tum Plutar- chi libellos quoſdam, qui Platonica dogmata ſparſim comprehendunt: quales ſunt ii de anim generatione ex Timæo, de Platonicis quæſtioni- bus, aut Marſilii Ficini, ac Beſſarionis, virorum doctiſſimorum ſcripta. Quæ omnia præter Pla- tonicæ diſciplinæ cognitionem multarum rerum afferre poterunt eruditionem. Ac de Philoſo- phiæ naturæ ſtudiis, lectioneque auctorum hæc ſatis. Huic adjuncta eſt hiſtoria de anima: in qua omnium artium, & ipſius Philoſophiæ origo eſt poſita. Quam ipſam plerique antiquorum, ac re- centiorum nonnulli præclaris literarum monu- mentis mandârunt: ut Ariſtoteles in tribus libris de anima, & iis, quæ vulgò *Parva naturalia* no- minantur: Plato in Timæo, Phædone, ſparſim- que aliàs: tum Alexander Aphrodiſæus, ac Lu-

dovicus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

[Lud]ovicus Vives, qui hac in re illis non eſt infe-
[ri]or. Atque de anima quidem Ariſtoteles (quem
[in]itiò cunctis legendum puto) ita ſcripſit, ut e-
[ju]s vires, & actiones accuratiùs, quàm eſſen-
[ti]am deſcripſerit. Nam in primo libro ſenten-
[ti]as aliorum, ut ſolet, refutat: in ſecundo quid
[it]a ſit, & quotuplex, quibuſque viribus prædita,
[o]ſtendit: in tertio internas animi, humani præ-
[ci]rtim, vires enumerat. Porrò in libello de ſen-
[ſu], reque ſenſili eandem ferè rem, quam in ſe-
[c]undo illius operis libro tractat, id eſt, ſenſuum
[ex]teriorum objecta, varietatem, ac vires. In
[al]io verò libro memoriæ, ac recordationis cauſas
[e]xponit: In alio ſomni, ac vigiliæ animalium: In
[al]io rurſus, è quibus quia nonnulli divinatio-
[n]em petunt, eadem quoque de re alio in libro
[d]iſſeruit. Exponit item in reliquis vitæ ac mor-
[ti]s, & horum longitudinis, & brevitatis, cauſas,
[t]um ſenectutis, & juventutis, mox reſpiratio-
[n]is, ultimo animalium motionis, & inceſſus.
Quæ omnia cum Ariſtoteles in ſecundo libro de
[a]nima explicanda ſuſcepiſſet, ſeparatis volumi-
[n]ibus maluit deſcribere, quàm in uno breviter,
[a]c obſcurè. In hos libros Themiſtius, Philopo-
[n]us, Simplicius, atque alii ſcripſere: ſed omnium
[o]ptimè Themiſtius, ſi Ariſtotelis intelligentiam
[r]equiras. Quibus addendi eſſe videntur tanquam
[i]nterpretes, Theophraſti de Phantaſia libellus
[c]um ejuſdem interprete Priſciano Lydo: Ale-
[x]andri Aphrodiſei libri de anima, & naturalium
quæſtionum: tum Gregorii Nyſſeni de homine
[l]ibri; aut ejus compendium à Nemeſio Philoſo-
[p]ho deſcriptum: itemque Ludovici Vivis, qui or-
[d]ine, perſpicuitate, copiâque omnes in hac par-
[t]e ſuperavit. Sunt & à Platone de anima ſparſim
[i]n ejus ſcriptis permulta explicata: ut in Phædo-
[n]e, Menone, libris de Republ. & legibus: ſed
eadem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

eadem omnia diligentiùs in Timæo tradunt
Quam ad rem, ſi Platonicam velis diſciplina
tenere, Plotini libros de animi eſſentiâ, & d
biis, Porphyrii, Proclique Iamblichi, fragme
ta addantur: quæ tametſi ex inſtituto Platone
non interpretentur, eaſdam tamen res tractan
& continent. Nam Plotinus auctor brevis, &
conciſus, Platonicam ubique docet diſciplinam
Eandem illuſtravit Proclus, ſed diffusè, tame
ut magnâ rerum varietate poſſit lectorem del
ctare. Cujus ſi Theologia, (quam ſe mihi h
bere dixit aliquando *D.* Diegus Hurtadus Me
doza ſummâ vir eruditione, ac nobilitate illuſtr
Caroli V. Cæſaris apud Rom. Pontificem leg
tus) exſtaret; magnam profectò Platonis ſc
ptis lucem afferret. Sed hanc rem eleganter, do
ctéque Marſilius Ficinus in libro de Theologi
perſequutus eſt. Tranſeo ad Philoſophiæ parte
alteram, quam priſci omnes Theologiam, *Me-
taphyſicam* vulgo nunc appellant. Eam, ſi ver
tatem doctrinæ quæras, nullam eſſe aliam, qua
Chriſtianam putare debes, cum hæc divinaru
rerum notitiam verè, perſpicuéque tradat. Se
quia illam Philoſophicam ad eruditionem no
inutilem fore arbitror, danda quidem eſt ope
ra, ut ipſam noſcas diligenter, non ut ei fidem al
quam habeas. Hanc multi diverſis voluminibu
complexi ſunt, ut Ariſtoteles in libri, qui *Meta
phyſicorum* vulgo inſcribuntur, ac diſcipulus e
jus Theophraſtus in libello ea de re, Plato in Pa
menide, ac Timæi priori parte, atque Epinomi
de, lociſque aliis, Triſmegiſtus in Pimadro, &
Aſclepio, longéque poſt hos Plotinus, ac Diony
ſius Areopagita: qui tametſi Chriſtianus, Plato
nicus omnino eſſe videtur: tum Pſellus in libe
lo de Dæmonibus, Iamblichus, Proclus; atque
Latinis Marcus Cicero in libris de Natura Deo
run

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

m, & divinatione; denique Platonici omnes, i ſtudioſè hac ſunt in arena verſati. Nam Ari-ıtelis de Philoſophia prima libri, quos Alex-der interpretatione illuſtravit, excepto duo-cimo, nihil ſanè tanto titulo dignum habere ihi videntur: quippe qui vocabulorum inter-etationes, ac diſputationes eaſdem quæ in Phy-cis ſunt, atque in libris de cœlo, contineant. uo nomine à Platonis cenſeo Theologiam anc antiquorum petendam, non ab Ariſtoteli-s, qui eam minimè attigêre, naturalium rerum ntummodo inquiſitioni intenti. Cum enim anc Platonici, divinarum in rerum contem-atione poſitam putâſſent, quidquid de Deo otuit ab homine perveſtigari, attigere. Docent Plotini libri de tribus eſſentiis, de uno, & bo-o, de ideis, de animarum deſcenſu in corpora, riſmegiſtus in Pimandro, & Aſclepio: in quo anifeſtam hiſtoriæ Moſaicæ imaginem intueri oſſis: poſtremò reliqui Platonicorum libri de eo, geniis, animis, rebuſque aliis hujuſmodi corporeis conſcripti: qui, tametſi magnâ ſunt perſtitione, atque errore gentium referti; ſum-am tamen antiquitatis memoriam, & cogni-onem parere poterunt. Sed jam ad poſtremam hiloſophiæ partem accedam, quæ verſatur in ominum moribus inſtituendis, cujus eſt magna n omnes vitæ partes utilitas, ac neceſſitas. Hanc tidem diligentiſſimè Peripatetici, & Academi-i literis prodidere, diversâ tamen ratione. Illi nim vulgo ſeſe accommodantes, vulgaria, & ne-eſſaria vitæ uſibus præcepta tulerunt: hi verò, t ſolent, recondita quædam conſectati divini-atem quandam affectârunt. Itaque major in hoc ſt Peripateticorum ſcriptorum uſus; quippe cum itæ communi, atque hominum moribus civili-us magis congruant. Et profectò cum tres in

partes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

partes hæc tota morum philoſophia diviſa ſi
in Ethicen, Oeconomicen, ac Politicen, ſingu
læ peculiare ſtudium, atque ordinem deſide
rant, ſingulæque ſuos habent auctores. Et cu
Ethice, quæ in unius hominis inſtitutione ve
ſatur, de his diſſerat potiſſimùm: de ſummo bo
no, de affectibus moderandis, de virtutibus, d
vitiis, Ariſtoteles (quem in hac parte legen
dum quoque arbitror primum) eadem in Eth
corum libris ad Nicomachum filium, & ad E
demum, ac in Magnis moralibus, & libello de
virtutibus complexus eſt. In quibus omnib
eadem cum ſæpe tractet, & inculcet, Ethicoru
profectò liber ad Nicomachum præferendus e
aliis perſpicultate, copiâ, & doctrinâ. Cui tame
interpretationis inſtar addendi reliqui videntu
ut cum eandem rem variis modis tractari vide
mus, collatione factâ, quid auctor ſentiat, intell
gamus. Atque ut res ordine progrediatur, pr
mus Ethicorum ad Nicomachum liber, qui e
de ſummo bono (cui primus etiam eſt noſtr
reſpondet) legendus videtur unà cum decimo
jus operis, qui eandem continet diſputationem
idque adhibitis Euſtratii commentariis, quand
nulli exſtant alii meliores. Atque etiam, ſi me
quiſquam conſilio uti volet, ut collatione au
ctorum diverſorum, qui eandem rem tractent
cuncta meliùs intelligat: adhibeat Platonis Phi
lebum de ſummo bono, Senecæ libros ea de re
ac Plotini, & Ciceronis de finibus bonorum, &
malorum. Iam quia reliqui Ariſtotelis libri
primo uſque ad nonum virtutis, ac vitiorum
rationem exponunt, ita ſunt legendi, ut cuique
tractationi auctorum reliquorum diſputationes
eâ de re latè diffuſæ, diſtinctè, convenienterqu
accommodentur. Itaque quoniam inprimi
quæri ſolet, virtus ne ſit docenda, nec ne, id
Platon

atonis Menone, Plutarchi libello de morum
rtute, atque ex alio titulo ejuſdem rei inſcri-
o petendum eſt. Tum quia variæ virtutis par-
s ſunt, variaque officia, ut nos diffusè in com-
endio Ethices noſtro docuimus, eadem apud
ctores diverſos legenda erunt: ut apud Plato-
em, Xenophontem, Epictetum, Plutarchum,
enecam, Ciceronem: eâ tamen adhibitâ diſtin-
ione, ut diſputationem unamquamque de mo-
bus apud ejuſdem auctores diverſos requira-
ius. Veluti ſi de amicitia ſit agendum, ad Ari-
otelis octavum, ac nonum librum Ethicorum
ccedent Lyſis Platonis, Ciceronis Lælius, Plu-
rchi libelli, de amici & adulatoris diſcrimine,
e commodo ex inimicis capiendo, de amicitia
n multos diffusâ, aliorum denique ſcriptorum
bri, qui eâ de re benè ſcripſiſſe feruntur. Idem
rit in aliis tractationibus efficiendum: quarum
iverſos inveniet diligens lector auctores. Se-
uitur altera Moralis ſcientiæ pars, quam Oeco-
omicen, id eſt, familiarem appellant. Hanc in
bello eâ de re Ariſtoteles, ac Xenophon ſcri-
tis mandârunt: nam Plato in Civili dialogo
am à reliquis duabus partibus minimè ſejun-
endam putavit, & idcirco eam locis diverſis
parſim complexus eſt. Ad hanc pertinent Plu-
archi præcepta connubialia, ac liber de filiis in-
tituendis, Platonis Hipparchus, qui eſt de quæ-
tûs ſtudio, ac cætera omnia, quæ domeſticis de
ebus ſcripta videantur. Reſtat pars tertia, quam
oliticen, id eſt, Civilem nominant. quam A-
iſtoteles abſolutiſſimè octo libris de rep. com-
lectitur, atque eo prior Plato copioſius in Civi-
ſeu de regno, & in duodecim de rep. & legibus
ibris, Plutarchus in Politicis, ac lib. de principe,
enophon in Cyropædia, aliique auctores per-
multi. Atque hoc ſanè in Philoſophiæ genere,

quod eſt in humanæ vitæ moribus, & conſuetu-
dine poſitum: magna hiſtoriarum, & antiquita-
tis morumque gentium diverſarum notitia po-
ſtulatur, in quibus exempla vitiorum, ac virtu-
tum intueri, agnoſcereque liceat. Nam qui non-
nullis eſt propoſitus Philoſophandi finis, ut vel
de moribus differentes præcepta omnia refe-
rant ad contentioſas ſcholæ diſputationes, is mi-
hi profectò ridiculus videtur; cùm nullum di-
ſciplinæ genus quietius, aut popularius eſſe de-
beat, quàm hoc ipſum de moribus. Quod ne
prolixâ diſputatione demonſtrem, argumento
eſſe poterunt antiquorum Philoſophorum eâ
de re ſcripta plurimis exemplis, & varietate re-
rum referta. Quam enim frequentibus Plato u-
titur exemplis, & ejuſdem adverſarius Xeno-
phon? quam denique plurimis Cicero, Seneca
& Plutarchus, cæterique omnes? Nec verò hîc
opus eſt docere, quemadmodum ſint hiſtoriæ
legendæ, aut quo ordine, quove conſilio; cum
id à meo ſit inſtituto alienum. Illud obiter ad-
monuiſſe ſit ſatis, ita eſſe hiſtoriam legendam
ut temporum, factorum, locorum, perſonarum
eventuumque habitâ ratione, quæ plurimum
adjuvant memoriam, cuncta in communes quaſi
locos conjiciantur, è quibus ut è penu, cum opus
ſit, exempla proferantur. Quod ipſum Valerius
Maximus, cæterique omnes, qui exempla rerum
diverſarum collegêre, videntur inſtituiſſe, atque
omnis lector diligens ſive memoriâ, ſive ſcripto
obſervare debet. Ita enim efficietur, ut quam-
cumque ad rem exempla ex hiſtoriis, quas quiſ-
que legerit, petita proferre, & accommodare
poſſit: id quod profectò nunquam aſſequetur
ſi temerè, ac tumultuariè omnia perlegens ni-
hil certum, aut definitum teneat in mente. Ha-
bes igitur, frater, meam omnem de Philoſoph

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ci ſtudii ratione ſententiam, quam tu quæſo ſic amplectere, ut conſilium in hac parte meum cepiſſe te, non de ratione ſtudii præcepta communia audiiſſe, arbitrere. Nam de ſtudiis quidem permulti præcepta collegere, ac moroſius fortaſſe, & difficilius, quàm par ſit. A me autem perbrevem hanc Philoſophandi rationem accipe: quam ſi, ut ſpero, ſequaris, non inutilem in hoc ſtudio operam poſueris. Reſtat, ut quemadmodum cœpiſti, ac liberalem decet hominem, & ingenuum, his te dedas ſtudiis, quibus reip. profuiſſe velle, atque à parentibus honeſtiſſimis minimè degeneràſſe videare. Vale.

PETRI ANGELII BARGÆI,

Quo ordine Scriptorum Hiſtoriæ Romanæ monumenta ſint legenda,

LIBELLUS.

Ex Bibliothecâ

JOHANNIS ANTONIDÆ van der LINDEN, MED. PROF.

IN Hiſtoria cognoſcenda ut rerum geſtarum, & temporum ordinem, qui unus eſſe ſolet memoriæ cuſtos, proſequamur; & à primis temporibus ad ultima hęc tempora, quaſi filo per manus ducto, deveniamus; primus hiſtoriæ ſcriptor, quem nobis legendum proponi oportet, eſto is, quem ordine cæteri conſequentur.

Dionyſius Halicarnaſſeus, cujus hiſtoria comple-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ctitur vetuſtiſſimas Italorum, & urbis Romæ origines; & Romanorum res geſtas domi foriſque uſque ad Larten Herminium Exquilinum T. Virginium, Tricoſtum, Cœlimontanum Coſſ. id eſt, annum ab Urbe conditâ CCCVII.

Titus Livius, cujus primi tres libri ab adventu Æneæ in Italiam, uſq; ad Lartem Herminium, & T. Virginium Tricoſtum COſſ. conveniunt cum undecim libris Dionyſii qui exſtant, & eadem omninò tractant quæ Dionyſius; ſed breviſſimè ſi cum illo comparentur.

Eutropii primus liber etiam, ferè totus cum iiſdem tribus T. Livii conjungendus.

Plutarchi Romulus, & Numa Pompilius, cum primo Livii conjungendi. Et

Ejuſdem P. Valerius Publicola, & Cn. Marius Coriolanus, cum ſecundo Livii.

T. Livii extremus tertius liber ab Larte Herminio ſcil. & T. Virginio Tricoſto Coſſ. uſque ad extremum decimum librum, id eſt, ad annum ab Urbe condita CDLXII. Quo anno fuere Coſſ. Q. Favius Maximus Gurges, & *D.* Junius Brutus Scæva. Eritque decurſus circiter annorum CLV.

Eutropii extremum caput primi libri de capta Urbe à Gallis.

L. Flori primus liber uſque ad Bellum Tarentinum, & cum Pyrrho Rege.

Plutarchi L. Furius Camillus.

L. Flori extremus primus liber de ſeditionibus, de prima, ſecunda, tertia & quarta Urbis diſcordiâ.

Ab Q. autem Fabio Maximo, & *D.* Bruto Scæva Coſſ. uſque ad P. Cornelium Scipionem & T. Sempronium Long. Coſſ. (Quibus Coſſul. geri cœptum eſt Bellum Punicum ſecundum, anno videlicet DXXXVI ab Urbe conditâ.) Livii hiſtoria LXXIV annorum amiſſa eſt. In cujus locum

legun-

eguntur T. Livii libri à Floro in compendium edacti, quæ vulgo *Epitome* nominatur. ſunt autem iſti:

T. Livii liber undecimus, ac reliqui novem, qui eum ſequuntur ab Q. Fabio Max. Gurgite & D. Junio Bruto Scæva Coſſ. uſque ad P. Cornelium Scipionem & T. Sempronium Long. Coſſ. Atque hic erit, ut paulò ante diximus, circiter LXXIV annorum decurſus.

Plutarchi Pyrrhus.

L. Flori de Bello Tarentino & cum Pyrrho Rege, de Bello Picente, de Bello Salentino, de Bello Volſinienſe.

Polybii primi duo libri.

L. Flori ſecundus liber de primo Bello Punico, de Bello Liguſtico, Gallico, Illyrico.

Eutropii liber ſecundus, de Tribunis militaribus, conſulari poteſtate uſque ad initium Belli Punici ſecundi.

T. Livii liber XXI ac novem qui eum ſtatim ſubſequuntur: à P. Cornelio Scipione & T. Sempronio Longo Coſſ. uſque ad Ser. Sulpitium Galbam & C. Aurelium Cottam coſſ. ad annum videlicet ad Urbe condita DLIV. Eſt autem decurſus annorum circiter XIIX. ab initio ſcilicet Belli Punici uſque ad initium Belli Macedonici primi.

Appiani Alexandrini de Bello ab Annibale geſto, libellus unicus.

Polybii tertius & quartus liber. Præterea nonnulla in fragmentis, uſque ad extremum XVII. librum. Quæ tamen, quia manca ſunt & valde perturbata, ſeparari commode poterant à tertio & quarto, atque ex hoc ordine rejici.

Eutropius de Bello Punico ſecundo: quod extremo capite libri tertii comprehenſum legitur.

Plutarchi Q. Fabius Maximus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Ejuſdem M. Claudius Marcellus.

L. Flori Hiſtoria de Bello Punico ſecundo; quæ libro ſecundo legitur.

Hinc ad primum Bellum Macedonicum pergendum eſt, quod cum Philippo Rege Perſe patre geſtum fuit. Ideoque poſt ſuperiores continuò legendi ſunt.

T. Livii liber XXXI ac reliqui novem, qui eum ſtatim conſequuntur à Ser. Sulpicio Galba & C. Aurelio Cotta COſſ. qui anno ab Urbe condit. DLIV. Conſulatum geſſerunt, uſque ad C. Claudium Pulchrum & T. Sempronium Gracchum coſſ. id eſt, in annum ab Urbe conditâ DLXXVII. Quo anno Bellum Iſtricum geri cœptum eſt. Et erit decurſus circiter XXIII. annorum.

L. Flori de Bello Macedonico primo, de Bello Syriaco Regis Antiochi, de Bello Ætolico.

Plutarchi M. Porcius Cato Cenſorinus, ſeu Major, ut ab aliis appellatur, de Bello Ætolico.

Appiani Alexandrini liber de Bello Syriaco.

Eutropii liber quartus de Bello Macedonico, & de Bello Syriaco. Et hic decurſus ferme XXII annorum eſt; ab Urbe autem conditâ DLXXVII.

T. Livii liber XLI, & reliqui quatuor qui poſtremi conſequuntur, à C. Claudio Pulchro & T. Sempronio Graccho COſſ. uſque ad C. Sulpitium Gallum & M. Claudium Marcellum coſſ. annum ſcilicet ab Urbe conditâ DXXCIIX. Et erit decurſus XI. ferme annorum.

Plutarchi T. Quinctius Flaminius.

L. Flori liber ſecundus de Bello Iſtrico, de Bello Gallogræco, de Bello Macedonico ſecundo, ac de Bello Illyrico.

Plutarchi L. Æmilius Paulus, qui Perſeum vicit, ac de Macedonia triumphavit.

Eutropii liber quartus de Bello Macedonico ſecundo. Et hic erit decurſus XII. annorum ferme.

T. Livii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

T. Livii XLVI. & tredecim qui proximè ſequuntur ab L. Floro in epitomas redacti (nam ipſius qui erant integri, perierunt) legendi, à C. Sulpitio Gallo & Marco Claudio Marcello coſſ. uſque ad extremum LIX. librum, id eſt, ad. M. Æmilium Lepidum & L. Aurelium Oreſten coſſ. annum verò ab Urbe conditâ DCXXIIX. & erit circiter XL. annorum decurſus.

Appianus Alexandrinus de Rebus Lybicis ſive Carthaginenſium.

L. Flori de Bello Macedonico tertio, de Bello Punico tertio, de Bello Achaico, de Rebus in Hiſpania geſtis, & de Bello Numantino.

Plutarchi C. & T. Gracchi.

L. Flori de Legibus Gracchianis, de ſeditione T. Gracchi liber III.

T. Livii liber LX ac triginta qui deinceps illum ſequuntur à Man. Æmilio Lepido & L. Aurelio Oreſte coſſ. uſque ad extremum XCI. librum, id eſt, ad Æmilium Lepidum & L. Volcatium Tullum coſſ. annum ſcilicet ab Urbe conditâ DCXXCIIX. Et erit ferme LX. annorum decurſus.

C. Criſpi Salluſtii liber de Bello Jugurthino.

L. Flori de Bello Jugurthino, de Bello Allobrogico, de Bello Cimbrico, Teutonico & Tigurino; item de Bello Thracio.

L. Flori de ſeditione Apulianâ; de ſeditione Druſianâ; de Bello quod adverſus ſocios geſtum eſt; de Bello ſervili.

Eutropii de Bello Iugurthino, de Bello Cimbrico, de Bello ſociali, de Bello ſociali, de Bello civili Mariano & Mithridatico. Item prima pars ſexti libri, uſq; ad Bellum cum Spartaco geſtum.

Plutarchi C. Marius.

Ejuſdem L. Cornelius Sylla.

Appiani Alexandrini liber primus de Bellis civilibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

T. Livii liber XCI ac ſeptemdecim qui ordine eum ſequuntur uſque ad extremum CIIX, id eſt à M. Æmilio Lepido & L. Volcatio Tullo Coſſ. ad C. Claudium Marcellum & L. Cornelium Lentulum Coſſ. annum videlicet ab Urbe condita DCCV. Quo anno geri cœptum eſt Bellum civile Cæſaris & Pompeji. Et erit circiter XIIX annorum decurſus.

Eutropii liber ſextus de Bello cum Spartaco.

L. Flori de Bello cum Spartaco, de Bello civili Mariano & Sertoriano; de Bello civili ſub Lepido, de Bello Mithridatico.

Plutarchi Sertorius.

L. Flori de Bello Piratico, de Bello Getico, de Bello Baltarico de Expeditione in Cyprum, de Bello Gallico, de Bello Parthico.

Plutarchi L. Licinius Lucullus.

Ejuſdem M. Licinius Craſſus.

Ejuſdem M. Tullius Cicero.

Dionis Fragmenta XXXV & XXXVI lib.

Appiani Alexandrini libellus de Bello Mithridatico.

C. Criſpi Salluſtii de Conjuratione Catilinæ.

Dionis liber XXXVII.

L. Flori Bellum Catilinæ.

Eutropii Conjuratio Catilinæ: Bellum Gallicum uſque ad C. Jul. Cæſarem dictatorem.

C. Cæſaris Commentarii de Bello Gallico.

Dionis liber XXXIIX, ac duo qui deinceps eum continuò ſequuntur, uſque ad extremum XL. librum.

T. Livii liber CIX. ac ſeptem qui deinceps eum ſequuntur, à C. Claudio Marcello & L. Cornelio Coſſ. uſque ad Julium Cæſarem & M. Antonium Coſſ. annum ſcilicet ab Urbe conditâ DCCX, quo anno Cæſar in magiſtratu occiſus eſt. Et erit decurſus circiter V. annorum.

C. Iuli

C. Iulii Cæſaris libri de Bello civili Alexandrino, Aphrico, & Hiſpanienſi.

Suetonii Tranquilli C. Julius Cæſar.

L. Flori liber quartus de Bello Cæſaris & Pompeji.

Dionis liber XLI. ac duo ſequentes uſque ad extremum XLIII.

Eutropii J. Cæſar dictator.

Plutarchi Cn. Pompejus Magnus.

Ejuſdem C. Julius Cæſar.

Ejuſdem M. Porcius Cato Uticenſis.

Appiani Alexandrini liber ſecundus de Bellis civilibus.

T. Livii liber CXVII ac viginti tres qui deinceps ſequuntur, præter quos nulli alii ad noſtram ætatem pervenerunt; à C. Julio Cæſare ſcilicet & M. Antonio COſſ. uſque ad Neronem Claudium, Druſum Germanicum, & T. Quinctium Criſpinum COſſ. Quo in Magiſtratu Druſus eſt mortuus. Ad annum nimirum ab Urbe condita DCCXLV. Et erit circiter XXXV annorum decurſus.

L. Flori extremus quartus liber de Cæſare Auguſto, ac reliqua deinceps omnia.

Eutropii liber ſeptimus uſque ad T. Claudium Neronem, Cæſarem Imperatorem.

Plutarchi M. Antonius.

Ejuſdem M. Junius Brutus.

Appiani Alexandrini de Bello Illyrico & III. extremi libri de Bellis civilibus.

Dionis liber XLIV ac duodecim, qui continuo ſequuntur, uſque ad extremum LVI librum, id eſt uſque ad imperium Tiberii Claudii Neronis.

Suetonii Tranquilli C. Julius Cæſar Auguſtus. Et erit decurſus circiter XXI annorum, à Druſo ſcilicet & Criſpino COſſ. uſque ad ſextum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Pompejum & Sextum Apulejum coſſ. Quibus conſulibus Auguſtus obiit. Atque hunc annorum decurſum cum ſuperiore decurſu conjungi oportebit.

Quibus inſuper addemus:

Velleji Paterculi prius & poſterius volumen.

Iohannis Zonaræ Annales: &

Iornandis Epiſcopi librum de Regnorum & temporum ſucceſſione. Iſti enim perpetuo & continenti ordine ea breviſſimè complectuntur, quæ à Romulo uſque ad Tiberium domi foriſque acta ſunt. Quamquam hi, quia continuata hiſtoria eſt, facilè conjungi cum ſuperioribus poterunt, ſic ut res cum rebus, tempora cum temporibus aptiſſimè conveniant. Id quod intelligi etiam volumus de *Diodoro Seculo*, de *Trogo Pompejo*, de *Valerio Maximo*, de *Paulo Oroſio*, deque eo, *qui libellum de Viris illuſtribus ſcripſit.* Omnia enim aut capitibus ita diſtinguuntur, ut ſine ullo labore ad rem præſentem accommodari poſſint; aut ita continenti oratione perſcribuntur, ut diſſecari non poſſint, quin legentis ordinem & curſum perturbent & remorentur.

Perductâ igitur hiſtoriâ ad ordinem Divi Auguſti, id eſt, ut diximus, ad annum Urbis DCCLVI; hæc, quæ ſequuntur, ſupererunt legenda, ut perpetuo ordine hiſtoriam ad hanc ætatem noſtram perducamus.

P. Cornelii Taciti ab exceſſu D. Auguſti Annalium libri V.

Dionis liber LVII & LVIII: quibus continentur res domi foriſque geſtæ annorum circiter XXVI ab exceſſu Cæſaris Auguſti ad exceſſum C. Caligulæ.

C. Suetonii Tranquilli Tiberius Cæſar.

Ejuſdem C. Caligula.

P. Corn. Taciti liber XI, ac reliqui qui ſequuntur

tur omnes. Nam à quarto uſque ad undecimum amiſſi ſunt.

C. Suetonii Tranquilli C. Claudius Cæſar.

Ejuſdem Nero Claudius Cæſar.

Ejuſdem Sergius Galba.

Plutarchi Sergius Galba.

C. Suetonii Tranquilli Otho Silvius.

Plutarchi Otho Silvius.

C. Suetonii Tranquilli Aulus Vitellius.

Ejuſdem Divus Veſpaſianus.

Ejuſdem Divus Titus.

Flavii Ioſephi libri, de Bello Iudaico.

C. Suetonii Tranquilli Flavius Domitius.

Iohannis Zonaræ eorundem Imperatorum vitæ; quæ & ipſæ, apud illum aliæ ab aliis diſtinctæ, ſeorſim legi poſſunt uſque ad Iuſtinianum Imp. ad annum ſcilicet ab Urbe conditâ MCXXC: à Chriſto autem nato DXXIX.

Iornandes Epiſcopus, de Rebus Gothicis.

Procopius, de Bello Gothorum; de Bello Perſico; de Bello Vandalico.

Agathias, de Bello Gothorum.

Leonardus Aretinus, de Bello Italico adverſus Gothos.

Iohannis Zonaræ Iuſtinianus.

Paulus Diaconus, de Gente & origine Longobardorum.

Hinc perſequenda, quæ à *Dione Caßio*, *Ælio Lampridio, Trebellio Pollione, Flavio Vopiſco, Volcatio Gallicano, Herodiano, Sexto Aurelio Victore,* Eutropio *Pomponio Læto, Ammiano Marcellino, Iohanne Zonarâ, Nicetâ Choniate*, & poſtremò à *Petro Meſſiâ Hiſpano* de Imperatoribus perſcripta ſunt. Quæ omnia ita ſeparari ac rurſus componi poſſunt, & ex unoquoque auctore ſeligi, ut ſingulorum Imperatorum vitæ & res geſtæ continuatæ legantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Huc addi præterea debent:

Annales Iohannis & Matthæi Villani.
Hiſtoriæ M. Ant. Cocci Sabellici.
Blondi Flavii Forolivienſis.
Leonardi Aretini.
Poggii Florentini.
Nicolai Macchiavelli.
Pauli Iovii Novocomenſis.
Compendium Rerum Neapolitanarum:

& alia hujuſmodi ſexcenta, quæ à noſtris ſcript
ſunt.

Hæc ſunt quæ de Ordine ejus Hiſtoriæ, qu
ad Romam, Romanumque imperium pertinent
legendæ præcipere voluimus. Si qui tame
exiſtimabunt, nos fuiſſe in partiendis tempori
bus, quaſique diſſecandis, tamquam in membr
& fruſta quædam auctoribus, nimium diligente
ac ſuperſtitioſos; eumdem propemodum ordi
nem ſecuti, primum quemque auctorem, cuju
partes legendas propoſuimus, legere totum po
terunt. Nos certè hunc ordinem, quod ad re
memoriæ mandandas pertinet, eſſe optimum
non modò judicavimus, ſed etiam experti ſumus

NOMINA AUCTORUM,

qui Res Romanas ſcripſerunt.

*Dionyſius Halicarnaſſeus. T. Livius. L. Florus
Eutropius. Plutarchus. Polybius. Appianus Ale
xandrinus. C. Criſpus Salluſtius. Dion Caſſius.
C. Iulius Cæſar. C. Suetonius Tranquillus. Velleju
Paterculus. Iohannes Zonara. Iornandes Epiſcopus.
Diodorus Siculus. Pompejus Trogus. Valerius Ma-
ximus. Paulus Oroſius. Libellus de Viris Illuſtribus. P
Cornelius Tacitus. Fl. Ioſephi lib. de Bello Iudaico. Pro-*

copin

copius de Bello Gothorum. Agathias de Bello Gothorum. Leon. Aretinus de Bello Gallico adverſus Gothos. Paulus Dinaconus. Ælius Spartianus. Iulius Capitolinus. Ælius Lampridius. Trebellius Pollio. Flavius Vopiſcus. Volcatius Gallicanus. Herodianus. Sext. Aurelius Victor. Pomponius Lætus. Ammianus Marcellinus. Nicetas Choniates. Petrus Meſſia.

Reliquæ ſunt Hiſtoriæ à noſtris recenter ſcriptæ.

IOAN. CASELI

Ad generoſum juvenem

ERNESTUM A STEINBERG, IN BODENBURG.

EPISTOLA,

De ſtudio liberalis doctrinæ, decente equeſtri loco natos: aliqua de peregrinatione nobili: nonnulla de oratione civili perſpicua.

GENEROSO JUVENI ERNESTO A STEINBERG, IN BODENBURG. S. D.

GRatulabar equidem tibi, ERNESTE STEINBERGI, & BURCHARDO, fratri tuo germano, qui iſtâ ætatis maturitate, bonâ doctrinâ ſatis inſtructi, tanta animorum conjunctione, & contentione, ad ipſam virtutem adſpirantes, de adeundis longinquis regionibus conſilium caperetis, & vobis adjungeretis in peregrinatione HENNINGUM ARNISAEUM, virum vitæ jam uſu præditum, eruditione excellentem, maximè æqualibus, neque minus laborum patientem, quàm ipſimet eſſetis, virorum fortium filii. Neque enim negligendum hoc vobis arbitrabamini, quòd prudentiores & fortunatiores veſtri ordinis facere animadverteretis. Neque verò

vos tam exempla, quæ tum ex antiquitate, um ex hoc ſeculo caperetis, excitârunt, aut onfirmavit principum & ſapientum auctoritas, uàm evidens ratio permovit. Credebatis enim eri non poſſe, quin qui plura vidiſſent in rebus umanis, plura quoque intelligerent, & pruden-iùs faciliuſque negotia, quamvis ardua, tracta-ent. Neque hoc inſtitutum parvi faciunt, niſi qui domi deſides, limen vix unquam tranſie-int, rati ſibi injuriam fieri, niſi cum præſtantio-ibus æquiparentur, quibus hac re, & fortè aliis, amen eſſent impares. Non inficior autem mul-a, eaque periculoſa itinera, ab aliquibus fruſtrà uſcipi, idque neceſſe eſt pleriſque evenire, qui vel nimis adoleſcentes tantam rem aggrediun-ur, vel litteris ſe non ſatis muniverunt, vel de fine ſuarum actionum nihil conſtituerunt. Qui-bus enim ætas eſt infirmior, cùm ubicunque ſint, tùm foris, ubi maximè ſunt in lubrico, fa-cilè labuntur, ut pro bonis exemplis peſſima, pro ſalutaribus conſiliis noxia, colligant: uti merca-tores imperiti pro bonis mercibus, corruptas domum reportant, quando, quas non probè in-telligunt, has ab illis, quod erat cumprimis vi-dendum, non dirimunt. Errare autem eos, qui literis carent, in omnibus, pérpetuum eſt. Du-plo namque plus vidêre præditos literis, è quo-dam Menandri dicto diſcimus: quem tamen non loqui puto de præcipuo, ſive ſingulari ſtu-dio ſapientiæ. Hujus enim major vis eſt, & ea, quam homines ingenio aſſequi poſſumes, per-fectio. Qui denique de fine, id eſt, virtutis & prudentiæ adeptione, nihil conſtituunt, iis ma-ximos ſumtus cum laboribus perire, mirum videri non poteſt. Horum etiam ſtudiis merca-torum ſtudia prætulerim, qui dum peregrinan-tur, dum multa maria navigant, rem faciunt; vi-

deas,

deas, qui aliquid prudentiæ ſimul invenerint: neque fuêre nulli inter ipſos negotiatores, qui cum & litteras magnâ diligentiâ didiciſſent, e- juſmodi præterea nobiles peregrinationes ſuſce- perint. Uterque verô vobis proſpexiſtis, quem dixi, virum: cujus, quando foris minus omnia tuta ſunt, ſimul conſilio niteremini. Quâ fide præſtò vobis ſemper fuerit, ipſi prædicabitis: ego, quod in ſe ſuſceperat, ipſi cordi fuiſſe, litte- ris ipſius facilè confirmem, quas ubicunque ſub- ſiſteretis, accuratè ſcriptas ad me dedit: feci quo- que, ut & meas legeretis: cum quando fortè ubi futuri eſſetis, fuiſſem præmonitus, ſæpè item fa- miliaribus narravi, quando in Gallia, in Britan- nia, in Belgio, vos eſſe ſuſpicarer, & verus, ut poſtea cognovi, interdum fui: etſi citiùs vos ex- ſpectaveram. Verè enim adfuturos putabamus: quos media domum æſtas ſalvos retulit. Ut au- tem ille à vobis in hanc viciniam venit ad ſuos, neque hanc alteram patriam, ſiquidem ita docti rectè academiam ſalutant, præteriit. Fuit hoc nobis gratum, quòd de peregrinatione iſta pau- culis horis multa docuit, quæ ſciſcitarentur familiares. Expoſuit etiam mihi mandatum tuum: ego abeuntem dimiſi, non niſi cum per- brevi ad te epiſtolâ, pollicens tamen, quæ à me præſtari arbitrer opus. Quod enim ex me quæ- ris, id aut ipſe pridem tenes, aut ex illo non mi- nus accipias, quàm ex quiquam alio, quod ſta- tim affirmavi. Cùm enim intimas philoſophiæ partes penetrârit ARNISAEUS, idem quoque & illas, quæ ſenſibus, & maximæ partis mortalium judicio patent, ſibi perſpiciendas putavit: idque levi operâ, quia neceſſe eſt, ut qui ſubtiliſſima quæque mente videat, altera, populo magis ex- poſita, in manibus habeat: unde accepimus, cum naturam rerum Pericles accepiſſet ab Anaxago-

ra,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ra, ad res gerendas acceſſiſſe paratiſſimum. Has tamen ad te dedi, non ut vos aliquid docerem, ſed oſtenderem, me eſſe ejuſdem, cujus vos eſtis, ſententiæ, mirificè denique probare, quæ facis. De exquiſitioribus diſciplinis, quæ ſcientiæ appellantur, ſingulorum mentes perficere creditæ, non eſt, ut hîc verbum faciam: alterius generis ſunt, quæ cultum vitæ reſpiciunt, & ſalutem publicam procurant. Cùm eo loco natus ſis, & à natura factus, huc te referre debes, & omnino vis. Quid enim viro nobili dignius, quàm omnia ſibi parare; & omnia agere, quæ patriæ; id eſt, quibus cum vitam degimus, & totis gentibus, ex uſu ſint. Non nego hoc ſtudium dedecere quemquam mortalium: ſed cum alia ſit aliorum conditio, & fortuna, non quid unumquemque omnium deceat, ſed quid quiſque poſſit, id initio animadvertendum eſt. Quorum nullæ ſunt fortunæ, quorumque humilis conditio, in repub. quidem vivunt, & reipublicæ, non perinde, ut homines cum dignitate: ſatis hoc, ſi inveniant, unde miſeriam propulſent: his convenit, ut rem abſque ullius injuriâ quærant, etiam augeant etſi neque primo loco reip. neque pluribus multùm commodent. Nobili loco natis, & patrimonio abundantibus, majores, naturâ & legibus partes ſunt, neque eorum cuiquam declinandæ: etſi multi in faſtum convertunt opes, neque ſe vivere arbitrantur cum dignitate, niſi in luxu vivant; quæ non ſolùm falſa, ſed impia quoque ſententia eſt. Hoc omnes ſapientiæ & veræ pietati addicti, probè intelligunt: nec diverſum ſequuntur: in quibus vos eſſe, veſtra felicitas & primus honor eſt. Qui enim genus & divitias jactant, ipſi inanes dotium ingenii, eos nos ſinamus in populo primos eſſe, & ipſe ſuſpiciam, ſi boni & benefici ſint, aut eſſe velint: talibus non

adulor.

adulor, ut multi utilitatis ſuæ gratiâ faciunt: h
potiùs ago, ut illis ipſe uſui ſim, & ſerviam, nih
aliud, niſi publicum bonum, &, quòd hoc mi
honori eſt, ſpectans. Quotquot autem cujuſcu
que ordinis & fortunæ in litteris educantur, ne
ab iis deficiunt, quo nihil ſit turpius, hi vivun
vivere certè debent, reip. aut alicui ejus non u
timæ partium. Quod ſi mihi largiris, & ita ſen
tis, ut profectò ſentis, non debent iidem in
de mercaturam facere, ſive ad quæſtum omni
referre: nobili autem eodemque fortunat
viro nihil ſit indignius: ortorum autem tent
loco, & primùm emergentium, alia eſt con
ditio. Namque his debetur, poſtquam liter
& opinione virtutis, aut etiam virtute non ſi
mulatâ, adſcenderunt in altiorem locum, tùm
honor, tùm commodum: adde præmium: ne
que non rectum eſt, ut hæc accipiant, & non de
lata bonis rationibus poſtulent, quòd in foro &
ſenatu perpetuas & graves operas præſtant
Quod hæc legenti in mentem venit abſque du
bio, id deteſtabile eſt, quòd quidam ignari, ob
litivè veri finis, id eſt, ſalutis publicæ, ad rem fa
ciendam ſe potiſſimùm applicant, & ditati auro
ne quidem prædiis expleri nequeunt. Hoc verbo
attigi ut me rectè ſentire, illaſq; peſtes reip. non
amare noveris: cui tamen ſe ſervire falsò prædi
cant, & aſtutè ſimulant. Tales CL. VALENTI
NUS FORSTERUS, vetus hoſpes tuus, diſ
ſimilis talium, & ego, multas, eorumque fata
novimus. Dixi de oneribus juriſconſultorum:
quibus debentur præmia, & quidem ſingularia.
Fortunatorum ordinis equeſtris longè alia ratio
eſt. Nobiliorum enim pauci admodùm perpetui
tatem illiuſmodi operarum in ſe ſuſcipiunt: rectè
tamen, & neceſſariò, ſi ſalvi eſſe debeamus, in
ſenatum leguntur, qui cum poſſideant à repub.

ſua,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſua, ei minus deeſſe poſſunt, neque unquam debent: prætérquàm quòd ipſis primi honores, uti par eſt, tribuuntur in regiis: iis, inquam, qui ſe ad illos paraverint. Quod vos feciſſe à primis annis ſedulò, & novit Academia Iulia, & omnis hæc ad Hercyniam natio. Etenim & CONRADUS STEINBERGIUS, frater item veſter germanus, utroque annis major, nec ipſe litterarum expers, & mathematicarum diſciplinarum amans, longè latéque peregrinatus, plurium linguarum cognitionem ſibi maturè paravit, ad utrumque uſum, tùm ad lectionem, tum ad ſermonem, ſi hoſpes longinquus adveniat, aut ipſe ad Reges ablegetur, iterve habeat: acceſſit (ſic enim magis vitæ ratio perficitur) quod in Belgicis caſtris militavit biennium. Tria namq; potiſſimum juventutem ad vitam præter educationem domeſticam erudiunt, quod à pluribus diſputatum audivi, quibus aſſenſus fui lubens: litteræ, regiæ, & militia. Porrò verò, ERNESTE, à tot annis in inſtituto tibi tuo perſeverandum judicas: certo argumento eſt, quòd ita pertinaciter tibi in propoſito perſeverandum cenſes: Hanc conſtantiam pro palma habeas: cumque te confirmari à me non dedigneris, ecce facio officium. Unum relinquitur, quod perpetuum ſit, ut agas totos dies, in quo totus es. In deliberatione opus eſt oratione, ut inſtrumento: quo ſemoto, nuſquam appareat: neque innoteſcat ſatis, ſi quid ſit boni conſilii. Cùm autem eloquentia, à rebus inanis, præter loquacitatem nihil habeat; illarum naturæ prima ratio ab optimis dicendi magiſtris habita fuit: quorum principes habiti, unicus ille magiſter ſapientiæ, & hujus in præceptis, & in orando Demoſthenis æmulus, Latinitatis pater tibi cum paucis tritus. Proinde inepti ſunt & abſurdi, qui, potiore parte penitùs omiſsâ, hanc artem ſe docere

cere profitentur, etiamſi digitum in artem diſſ
rendi intendant: ſed hæc illas res non agnoſc
nedum tradat: largitur argumentandi m
dos, non principes, neque locos invidet. P
rùm ad rem, ſive vix aliquid, quòd de reliqu
nec ipſa, quibus opus eſt, quædam etiam
pænè infantibus nota, tradunt pro oracu
lis. Ineptiis & abſurditate ſe ipſos vincunt, q
pueros in arenam diſputantium vel quaſi i
roſtra ad orandum producunt. Pueris enim æt
etiam negavit rerum in oculos incurrentium co
gnitionem: ſed ejuſmodi tamen litterarum de
pravatores in populo, & apud imperitos in pre
tio ſunt: quibus oſtentatione & pollicitation
bus facilè perſuadent, umbras anteponere re
bus, cùm illarum ne quidem ſomnia dormien
tes viderint. Tu vera ſecutus, & his annis vit
hominum intelligens, & ſciens omnium gen
tium & temporum hiſtoriæ, non abibis ab iis
quæ tractâſti hactenus. quoniam verò de ſcri
ptorum lectione præcipuè ex me quærebas, La
tinæ linguæ proprietatis, puritatis, perſpicuita
tis, elegantiæ, copiæ deniq; eſſe nobis rationem
perpetuam, & ſingularem curam habendam, &
ipſe ſentio. Has orationis virtutes, quando Latium
in Latio multis jam ſeculis nuſquam fuit, à po-
pulo, aut etiam ex vivis dicendi magiſtris, aut
oratoribus petere non poſſumus, ad monumen-
ta cultiſſimi ſeculi eundum nobis eſt: in iis diu
multumque immorandum, & fortè conſeneſ-
cendum, ſive adultioribus & confirmatis, ad ea
ſæpè reſpiciendum: quod florentibus adhuc re-
bus omnibus, à Græcis & Latinis factitatum fuiſ-
ſe accepimus, ut idem nobis faciendum, dubitare
minus debeamus. Sed quæris, quos ego ſcripto-
res, quibus præponam, ſive primos eſſe velim:
etſi, quid mihi videatur, ex aliis audieris, vel ex
iis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

s, quibus aliud non videtur, niſi quòd tumi-
am orationem, quàm moratam malunt, & a-
ienam novam, ſive prorſus obſoletam, quàm
eterem uſitatam redoleat. Itaque pro nihilo du-
unt, ſi quis de Terentio verbum faciat, aut epi-
tolas familiariorum Tullii in manibus habere
uventutem primum jubeat. Hic autem cum il-
um triverit, exemplo ſuo, quid nos facere ve-
it, docet. Ratio ipſum hæc movit, quæ nos im-
ellere quoq; debet, quòd nihil eſſet cultius, ſi-
e ſententiam ſive verba ſpectares: non, quod A-
er illa ſcriberet, ſed quòd cum hoc ſive pro hoc
apientiſſimi, in urbe ſcriberent: quod ipſe non
nficiatur, & ſibi laudi ducit. Hoc igitur adole-
ſcens ipſe, in Græcis tamen tùm potiſſimum ver-
ſatus, cum vidiſſem ſuadere Manutium, ſequebar:
in quo fortè non aberraverim, etſi, quod volui,
aſſecutus non fui, ipſe non niſi aliquo ingenio, &
veniens ad eam rem tardius. Neq; me tamen o-
peræ laborumque pœnitet: unde, quis miretur?
id quod mihi non ceſſiſſet infeliciter, ſuadere
me familiaribus, quod & hodiè faciendum di-
xerim, ſi quis me conſulat, & audiat. Malevoli
ſive alieni ab hoc ſtudio, calumnientur, ac ſi
quis unicam cantilenam canat: neque hanc bar-
baram tamen, ſi paullò elegantiores judicent.
Neque tamen ibi ſubſtiti, qui & ob ſermonem
ipſum, & meliore de cauſſa, quoſque lectiſſimos
ſimul præterea legerim, ac ipſos inſuper poëtas
Romanos. Homerum enim didiceram à pueri-
tia. Nec aliud conſulam, hujus, de quo agimus,
ſtudii cultoribus: laudo omnes omnibus, com-
mendo aliis alios, ingeniorum habitâ ratione.
Reprehendi, qui Plautum non legerent: dixi &
quare, & quomodo rectè legatur: neque ſi quem
ex hiſtoricis nominatim non commendârim, ne-
gligi velim, legendos cenſeam, cùm hac de cauſ-

ſà, tùm ob hiſtoriam: Salluſtio nihil exquiſi-
tius: quia ſublimior eſt, Thucydidem ſapit, ne-
que cuivis ſtatim obvius. Multum quoque con-
fert perpetua, ſive multa poëtarum lectio, ſi quis
quibus, quando utatur, intelligat: intelligit au-
tem, qui præcepta artis dicendi, non illa vulga-
ria, ſed ſincera atque plena, didicerit: optim-
quoque oratores in eo genere ſe ſemper exer-
cuerunt, atque ita orationem, & copioſiorem fe-
cerunt: & luculentiorem, & hoc rectè ſequan-
tur, qui velint & poſſint. Neque enim hoc o-
mnium eſt, in tanta ingeniorum differentia: qu-
de poëtis conſulimus, ad primos pertinent. Hu-
jus ſtudii auctores fuerunt multi ante me, qui &
hoc fecerint, & ſuaſerint: de uno, antè memin-
etiã Ioannes Chryſoſtomus refertur Ariſtopha-
nem triviſſe quotidie, qui Atticè ſcripſiſſet pr-
omnibus: Dion autem Chryſoſtomus, etiam ab
aliis conſultus, docet his conſentanea: neque i-
uno loco. Referam præterea tibi quoddam ado-
leſcentiæ meæ, neque id inane, ſomnium: quo-
hodiè parum abeſt, quin pro re ipſa habeam-
certè non prorſus repudio, neque ignarus ta-
men omnium, quæ magiſtri artis proferunt, qu-
ad hanc, non aliô, reſpiciunt: ut quis pulcra ſcri-
bat, non poſſe fieri rectiùs, quàm ſi vir bonus
ipſe ſit, aut, quod huic proximum eſt, eſſe ſtu-
deat. Hæc autem cogitatio me à vitæ multis er-
roribus avertit, ab omnibus non potuit, tùm
quod illò nemo pervênit, quod quiſquam no-
ſtrûm intellexerit, tùm quod nullâ diligentiâ me
in omnibus corrigere potuerim: in quo cum non
fruſtra laboretur, fruſtra tamen laboret, qui per-
fectionem adfectet, mortalium generi negatam.
Habes à me litteras, ERNESTE, ſive lucubra-
tiunculam, qua expoſui, non quæ poſceres, ſed
quæ depromere ipſe poſſem, ſive deberem. Nec

enim

nim debui aut volui ſcribere, quæ cognoviſſes
ntè, aut à viro, quem quotquot noverint, ma-
nifaciunt, accepiſſes; aut acciperes, quando
elles. Hæc autem ſcripſi meæ erga te, iſtumque
rdinem declarandæ voluntatis gratiâ: nec eſt,
quod quoſdam ſuſurrare audio, ut placere ſtu-
eam equeſtri loco natis: qui ad principes quo-
que ſemper ſcripſerim liberè, neque coràm alio
genere orationis uſus: hodiè ſi ſecus faciam, u-
ura vitæ ad horulam me dignum quis me æſti-
net? nec ipſemet ego faciam, indies fato obno-
tius. Vale Helm. ex academia Iul. V. Cal. Sept.
CIϽ IϽ CIIX.

HENNINGO ARNISÆO
V. CL.
JOANNES CASELIUS
S. D.

REverſis vobis feliciter è peregrinatione domum, cum nos inviſeres, expoſuiſti cætera, & mihi, & familiaribus jucunda omnia: neque id ingratum, quo plus mihi boni, ſimulque aliis, creares, quam moleſtiæ. Iubebatis enim, me ſcribere (hoc autem meditationis & operæ cujuſdam eſt: laborem nolim dicere) quæ in rem veſtram non eſſent, quod nihil eorum vos fugeret, ſed fortè aliorum, qui ea publicata legerent, ſive ipſi adoleſcentes, ſive adoleſcentiæ educatores. Tuo igitur uſui nihil parans, neque ERNESTI, qui à te omnia accepiſſet, facilior fui, tùm pro more meo, tùm quia mihi in hujuſmodi rebus plus ſumo, quàm quidam omniſcientiæ venditatores habeant: fortè hoc quoque errato, quòd ſenes in pleriſque plus videre non injuriâ putantur, ſive quia litteris magis eruditi ſunt,

ſive

ſive quia annis reprehenſi & correcti, & quò
interdum auctoritatem ſibi, quaſi legitimam, ſ
munt. Sive de harum aliqua, ſive aliis de cauſſi
tibi tùm manus dedi, & rem vobis notiſſiman
mihi ſæpè cogitatam, & hinc inde ſcriptam litte
ris, novâ ſcriptione repetitam, ad vos miſi: placu
potiſſimâ ex parte. Quare, cum quid alii, harum
rerum, neq; idonei, iidemq; iniqui, cenſores jud
carent, moneres, reſumendum calamum cenſu
non ut illis ſatisfacerem, ſed confirmarem alios,
qui hæc fortè prætereà legerent. Neque enim eo
rum ratio nobis habenda eſt, qui animos in pe
verſis ſententiis obfirmârunt, & ſuas opinion
pueris & inperitis obtrudunt pro decretis ſapien
tiæ. Rediens iterum ad nos, cum videres à me r
textum nihil hactenus, opportunâ quadam in
terpellatione exegiſti debitum. Credidiſti cred
operam meam vobis minus neceſſariam, profu
turam aliis. Eſto: egoque ingeniis ſerviam. Prin
cipium autem meæ illius epiſtolæ arbitratu poſ
tum, anſam mihi prębuit loquendi de peregrina
tione, ea potiſſimûm, quam nobilem licet nob
appellare, ſive eruditam: de qua venit modò m
hi in mentem, quod conciſè ſatis, & evident
admodum, ſcripſit Philo: τυφλοί, φησι, πρὸς ὀξ
βλέποντας ἀναποδήμητοι πρὸς τοὺς ἐκδεδημηκότας
Tu ob ſtudium ſapientiæ idem ſentis, ſed fort
& alteram ob cauſſam. Neque enim interdix
rit Hippocrates iis, qui jam vera multa percepi
ſent, ne explorarent & plura alia. De altero no
debui minutiora perſequi. Cur enim ad erudi
tum juvenem, cui tu præſto eſſes? nec per o
mnes ſcriptores vagari volui, quorum alios evo
viſſet dextero judicio, cæteros, cum placeret, e
volveret, majore etiam illius maturitate, non n
gligens eruditiorum ſententiæ, & ſincera præce
pta dicendi ſimul reſpiciens. Denique illâ ſcr
ption

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ptione oſtendere volui meam erga populares voluntatem, eumque ordinem, in cujus educatione ſalutis plurimum repoſitum eſt, ob potentiam & auctoritatem. Unam educationem, quæ ad militiam eſt, habent à majoribus, ut prædia, hæreditariam: de animi culturâ ad humanitatis officia fuit olim minus, vel ſupinius cogitatum. De ipſis autem, & de rep. benè meremur, qui alios atque alios, ſive huc excitamus, ſive in his erudimus, qui ſive operâ, ſive exemplo, atque item conſilio plus præſtent. Non autem fugit te, meum erga cives omnium generum ſingulare ſtudium: utque quibuſdam non obſcurè ſuccenſeam, exteris præſertim, qui, animo parum grato, noſtri noſtorumque rationem minus habent: ipſe tamen hoſpitum, in quibus virtus & elegantes bonæque litteræ ſtudioſiſſimus. Unde ab aliquot annis cœpi meditari, etiam ſcribere aliquid, quo utrumque teſtatum facerem, etſi res ipſa, ſive ſtudia mea perpetua & quotidiana certius teſtimonium dicunt. Inſcripſi autem φιλόξενον, etſi neutrum omittam, & de civium prærogativâ potiſſimum, ac fortè verboſius, agam. Sed & hoſpites etiam longinquiores per mihi caros eſſe, neque tu ignoras. Vidiſti enim in conſuetudine mea, tùm qui hanc expeterent, tùm quos in eam, ob ingenium adſciſcerem, Anglos, Scotos, Polonos, Livonios, Boruſſos, Belgas, Tranſmarinos ad Boream, ne propiores recenſeam. Neque ſolum diligendos cenſui, ſed etiam ornandos, qui in noſtra quoque juventute ornandâ multum boni feliciſque ſtudii ponerent. De iis qui domum remigrârunt, non loquar in his litteris; habuimus & habemus hodie è Suecia NICOLAUM GRANIUM, virum modeſtum, in omnibus bonis diſciplinis verſatum, & in illis explicandis diſertum, & ad-

 ſiduum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſiduum: ſed de hoc inter nos antè meminimus. Ex iiſdem oris ante paucos menſes advenit O LAUS BURAEUS: quem fortè apud nos n que dum videris: ejus ad te ABAKON mitto Sic enim in eo juvene, quod potiſſimum eſt, no ex nulla parte videbis. Et vides enim abſentia & habes pro præſentibus, atque eadem tibi præ ſentia ſunt, quemadmodum quæ ejus generi ſunt præſentia; præſentibus neque mentis ocu lis præditis, abſentia. Tu cenſebis, & de ipſo, & de meo epigrammate, quo heri hoſpitem dona bam. Præter ejuſmodi enim, & animum & ſer monem & cœnam mihi nihil ſupereſſe, nequ ipſe queror, & tu probè nôſti. Vale. Helmæſta di, ex ac. Iul. IIX. id. Maji CIↃ IↃ CIX.

CASPARIS SCIOPPII,
Comitis à Claravalle,
DIATRIBA.
De compendioſa & facili Linguam Ebraam & Chaldaam condiſcendi Ratione.

I.

AD facilem, & ſimul ſolidam linguæ Hebrææ addiſcendi rationem, præcipuè requiritur, ut id Gradatim fiat & Ordine; ne quis vel omnia ſimul, vel poſtrema primùm aggredi præſumat. Paulatim enim oportet ad id quod ſummum eſt per- veni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

venire. Nec poteſt promovere ad majora, qui neglectis prioribus pergit ad poſteriora.

II. Qui proinde perfectionem aliquam in Linguæ Hebrææ ſtudio conſequi, & ad culmen ejus pervenire cupit, is noviſſe debet; quinam hic ſint obſervandi Gradus, quâ ratione in ſingulis pes ſit figendus, atque ab uno ad alium conſcendendum. Non enim agimus nunc de levi illo, & ſuperfunctorio linguæ hujus ſtudio, prout id hodiè vulgò à pleriſque tractari ſolet, doctis pariter & indoctis, dum in Conjugationum & Declinationum, cæterarumque Grammaticæ partium mediocri cognitione, Radicum Biblicarum inveſtigatione, & Communiorum vocabulorum intelligentia, A & Ω prora & puppis ejus ponitur; ſed de exacta & plenaria ejus notitiâ, quâ & Biblia Sacra, & cæteros Hebræorum libros, quocunque ſtylo, quacunque Dialecto ſcriptos, quis legere, atque ita in penitiſſima Gentis & Linguæ adyta, ac receſſus penetrare, tum etiam genuino & puro ſtylo ſcribendo eos imitari poteſt.

III. Hoc ſtudium, ut latè ſe ad univerſos Judæorum libros, Hebræâ pariter & Chaldæâ linguâ ſcriptos, extendit: ita plures & diſtinctos habet gradus, quorũ nullus ſine damno præteriri aut ſuperſcandi poteſt. Gradus autem conſtituo ſequentes: I. eſt *Lingua Hebræa* pura & nativa, prout ea in ſacris Bibliis eſt comprehenſa. II. *Lingua Chaldæa*, ut ea, puriſſimè quidem Danielis & Eſræ capitibus aliquibus minus purè, differenter tamen, in Targumim ſive Paraphraſibus Bibliorum Chaldaicis continetur. III. *Studium Rabbinicum* vulgare librorum ſine punctis. IV. *Maſora*, ſive Critica Hebræorum ſacra. V. *Studium Talmudicum librorum antiquiorum & ſecretiorum*: quales ſunt *Talmud* utrumque, Babyloni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

lonicum & Hieroſolymitanum, *Medraſchim* iter
ſive Commentarii Allegorici & Cabaliſtici. I
& quoad res, & quoad ſermoni genus, omniu
ſunt difficilimi. VI. *Styli Hebraici exercitium*
De ſingulis his gradibus ordine pauca.

I.

De Lingua Ebrææ Studio.

I. PRimum gradum, atq; ita fundamen tum totius ſtudii pono in cogn tione linguæ Hebrææ puræ: tanquar matris cæterarum tum Dialectorum, tum etiar Linguarum omnium. Hujus ſpecimen perfecti ſimum exſtat in Sacris Bibliis Hebraicis, iiſqu ſolis. Nam præter illa nullum alium antiquum Judæi habent librum, qui linguâ Hebrææ purâ ſi conſcriptus, vetuſtis ipſorum monumenti omnibus, injuriâ temporum, & gravitate per ſecutionum ac exſiliorum, collapſis & deperdi tis.

II. Linguam Hebræam compendio qui vu diſcere, eum à Legendi ratione incipere eſt ne ceſſe; quæ petenda ex Grammatica. Hic vor ſuadeo, ut quis, quantum fieri poteſt, Gramma tica utatur unâ, & Autore uno. Nihil enim ma gis noxium, quàm per multa præcepta, & mul tos autores volare, præſertim in ipſis initiis. O ptimè in hunc ſenſum dixerunt veteres Hebræ
לא גמירי מחד רבה לא נתקימה תורתם בידם
Qui non diſcunt à Præceptore uno, in illorum mani bus Lex non eſt ſtabilis, hoc eſt, illi nihil ſolidi ad diſcunt, nullam ſolidam acquirunt eruditio nem & ſcientiam. Grammaticâ ergo utatur pr mo, vel *Cardinalis Roberti Bellarmini*, vel *Epiton Grammaticâ IOHANNIS BUXTORFI* impreſſâ Baſileæ apud Ludovicum König in

Ha

Hac tamen eum potiùs, quam illâ, uti malim id-co; *primò*, quia per ſe eſt brevis & valde ſuccin-cta, captui diſcentium accommodata: *deinde*, quia, ubi ulterius progrediendum erit, ejuſdem Buxtorfii pleniore & perfectiore Grammaticâ u-ti cogetur, & aliis ejus ſcriptis per univerſum hoc ſtudium. Quantum autem laboris & tædii ſit compendium, ubique eodem Autore, iiſdem præceptis, eadem methodo uti poſſe, ſatis dici nequit.

III. Ad legendi itaque rationem acquiren-dam, Tyro in hoc ſtudio ex dicta Epitome Grammatica memoriæ inſculpet Literarum & Vocalium nomina, figuras & poteſtates, atque ut citiùs imprimantur, & firmiùs inhæreant, ca-lamo ſingulas pingere & effingere poterit. Hinc ad vocales cum conſonis conjungendas, & ſyl-labas componendas accedet. Apud Hebræos conſona ſemper inchoat ſyllabam: Vocalis lon-ga cum una littera ſyllabam conſtituit: Vocalis brevis duas conſonas conjungit. Inde ſtatim ad lectionem tentandam perget. Ad hoc re-petenda ſunt quinque priora Grammaticæ ca-pita.

IV. Exercitatio lectionis fiat conjunctim in formis Conjugationum in Grammatica, & in Sententiis Mercurii Quadrilinguis. Nam, cùm utraque ſint à Tyrone ediſcenda & memoriæ in-figenda, tantò facilius deinceps id fiet, ſi exer-citatio hęc lectionis in dictis argumentis præceſ-ſerit. Primum tamen omnium tentamen velim eſſe in Conjugationibus; *primò*, quia ibi legendi modus eſt facilior, quùm eædem literæ & voces repetantur, unâ duntaxat aut alterâ ſyllabâ im-mutata. 2. quia facilitatem ſtatim ſequitur ali-quis profectus: 3. quia profectus iſte amorem ſtu-dii generat, & continuationem urget: 4. quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

utilitatem aliquam ſimul affert, ad tanto minore cum labore Conjugationes ediſcendas.

V. Exercitatio hæc lectionis, ſive privatim fiat à diſcente ſolo, ſive præſente præceptore, fiat clara voce, non per meditationem aut confuſam muſſitationem, ut convenienti pronunciationi rectius aſſueſcat, & linguam tanto expeditiorem ad peregrinam linguam proferendam reddat: *deinde* ſit continuata, quotidiè minimùm per horam, nec dies ullus ſine exercitio abeat: *tertiò*, fiat tamdiu, donec habitum aliquem lectionis adeptus fuerit, neq; priùs ulteriùs progrediatur. Tota hæc exercitatio intra menſem, ad ſummum, perfici poterit.

VI. Promtitudine aliqua in Lectione adeptâ, ulterius pergendum, Lectio in ſententiis continuanda, & cum ea conjungenda ſententiarum duarum, trium vel quatuor Interpretatio, pro diſcentis vel captu, vel diligentiâ; accedendum quoque nunc ad Conjugationes verborum memoriæ mandandas.

VII. Quamprimum itaque Tyro ad interpretationem acceſſerit, ſimul quoque incipiet Paradigmata verborum memoriæ mandare, quotidiè unam ad minimum formam, initium faciendo à verbis perfectis. Has ubi tenuerit, ſtatim præceptor, ex lectis & expoſitis ſententiis, Verba omnia perfecta ſeliget, atque ad paradigmata applicare docebit, quo ipſo omnia accidentia, & ipſam radicem, diſcipulus uno momento perfectiſſimè cognoſcet. A verbis perfectis ſimilis progreſſus fiet ad verba imperfecta; quotidiè eas radices ex ſententiis excerpendo, & examinando, quarum formas & paradigmata diſcipulus memoriæ jam commiſerit. Cum hac continuatione accreſcet paulatim ſententiarum exponendarum nume-

rus

rus. Notandum autem, in primo hoc curſu Verba tantum nuda & ſimplicia eſſe conſideranda, non cum Affixis Pronominibus conjuncta.

VIII. Circulo conjugationum abſoluto, & oſtensâ nudorum Verborum ad paradigmata applicandorum, & reſolvendorum ratione, explicabit deinde præceptor quoque Pronominum cum Verbis rationem; Nominum item & Pronominum doctrinam tractabit, oſtensâ primùm, juxta Præceptorum doctrinam, nudâ ipſorum de numero in numerum declinatione, prout varietas formæ ſingularis id admittit. Si Pronomina adjuncta fuerint, ea ſeparabit; & Nominis formâ abſolutâ inventâ, Nomen flectetur per numerorum differentiam. Voces indeclinabiles, quia paucæ ſunt, nudo tantùm indicio indigent.

IX. Atque ad hanc exercitationem ſufficient dicti duo libelli, Mercurius ſc. quadrilinguis, & Epitome Grammatica. Hunc ante curſum ubi abſolverit, & generalem linguæ cognitionem aſſecutus fuerit (ſive totum Mercurium abſolverit, ſive non: quamvis ſatius eſſet, ut totum abſolveret cum curſu Epitomes Grammaticæ) ſuadeo, ut ad Libros Biblicos legendos ſe accingat. Nam hic totius hujus ſtudii eſt finis, ut Verbum Dei eâ linguâ exaratum intelligere queamus. In his ſolis totius linguæ Hebrææ puritas, elegantia, & nitor conſpicitur. Hi omnium rerum Hebraicarum, omnium ſtatutorum, rituum, dogmatum, &c. principium ſunt & fundamentum. Ad Biblici ſtyli normam ſolam ſtylus, ſi quis in eo excellere cupit, formandus eſt & fingendus.

X. In libris Biblicis initium fieri poterit, ut communiter ſolet, à Pſalterio. Hic verò jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

plures difficultates & anomaliæ, voceſque irregulares ſe offerent, quam in Sententiis, ubi analogia Grammatica ſervata. Harum rationem cùm aliquo modo perceperit, ad vocum quoque conjunctarum explicationem erit pergendum, Syntaxis examinanda, Hebraiſmi explicandi, Anomaliæ quælibet enucleandæ, Accentuum diſtinguentium ratio, & quicquid ad abſolutam Grammaticæ tractationem facit, exquiſitè tractandum.

XI. Ad hæc autem pluribus & plenioribus jam opus eſt ſubſidiis & inſtrumentis. Requiritur perfecta Grammatica, quæ hæc omnia perſpicuè & perfectè tradat: requiruntur Lexica commoda, in quibus Radices inveſtigari, & ſignificata vocum addiſci poſſint. *Grammaticam* autem hactenus nullam vidi pleniorem & perfectiorem, quàm *Theſaurum Grammaticum IOHANNIS BVXTORFII*, editum Baſileæ apud Ludovicum König/ in 8. In eo enim cùm vocum ſingularum natura & proprietates, omneſque anomaliæ ſpeciales, exactiſſimè & minutiſſimè explicantur, tum Vocum conjunctarum ratio & elegantia ita accuratè & copioſè pertractatur, ut vix quicquam intactum relictum videatur, quod deſiderari, vel diſcentem remorari poſſet. *Lexica* ſunt varia; Commodiſſimè tamen ab initio adhiberi poterunt ejuſdem BUXTORFII Lexica; & primò quidem ejus *Manuale Hebraicum* in 12. in quo omnes Voces tam Primitivæ quàm Derivativæ, quotquot in Sacris Bibliis exſtant, cum nudis illarum ſignificationibus proponuntur: deinde ejuſdem *Lexicon Hebraicum* in 8. in quo Vocum ſignificata inſuper exemplis copioſè illuſtrantur, & plurima loca difficilia ex Hebræorum Commentariis explicantur. Hoc Lexico vel propter Mercu-

rium eſt opus; quia adjunctum eſt ei Lexicon breve Rabbinicum, communiora Vocabula continens, quæ in Rabbinorum Commentariis paſſim occurrunt. Fieri autem non potuit in Mercurio, quin plurimæ ex Rabbinis & Chaldæa etiam lingua ei inſerantur voces, ob varietatem materiarum & vocabulorum, quæ ex Lingua Hebræa, ut in Bibliis eſt comprehenſa, omnes peti minimè potuerunt. Præter hæc verò ſunt & alia Lexica utiliſſima & optima, magiſque prolixa atque copioſa, ut *Theſaurus linguæ Sanctæ Santis Pagnini, editus Lugduni in fol.* Item, *Arca Noæ, ſive Theſaurus Linguæ ſanctæ Marci Marini, edit. Venet. apud Iohannem Degaram*, An. 1593. (Hæc duo Biblicas tantùm voces continent & explicant:) *Lexicon Pentaglotton, Hebraicum, Chaldaicum, Syriacum, Talmudico-Rabbinicum & Arabicum, Valentini Schindleri*, edit. Hanov. 1612. Hoc Lexicon debitâ ſuâ laude nequaquam defraudandum: ſed quam mancum, mutilum & imperfectum ſit in Chaldaicis, Talmudicis & Rabbinicis, docebit *Lexicon Chaldaicum, Talmudico-Rabbinicum IOHANNIS BUXTORFII.*

XII. Hæc ſtudii Hebraici exercitatio tamdiu continuabitur, donec quis ſacra Biblia ſine hæſitatione Grammaticè intelligere, & mediocriter, atque majori ex parte, interpretari poſſit. Nam ineffabile eſt, quantum in totius Linguæ, & ſequentium partium ſtudio, adjumentum afferat, ſi quis bonus ſit Grammaticus, & bonus textualis. Unde Judæi ſupra omnes eum efferunt, qui bonus eſt *Baal paſuk*, ut ipſi loquuntur, h. e. textualis & Grammaticus. Proinde, licet quis ad linguam Chaldæam & Rabbinos accedat, nunquam tamen hoc ſtudium deponendum & abjiciendum.

XIII. Nullam autem certam periodum huic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſtudio aſſignamus & determinamus hac vice; id vel Præceptoris prudentiæ, vel Diſcentis diligentiæ committentes. Ab hoc autem gradu, ubi quis ſufficienter in eo confirmatus fuerit, proximum eſt, ut ſcandat ad ſecundum, Linguæ ſc. Chaldææ ſtudium.

I I.

De Lingua Chaldæa.

I. LInguæ Chaldææ ſtudium, Linguæ Hebrææ ſtudioſo ideò quoque eſt neceſſarium: primo, quia Capita quædam in Danjele & Eſra hac linguâ ſunt exarata, quæ lectu & intellectu æquè ſunt neceſſaria, atque cæteræ Bibliorum ſacrorum partes: deinde, quia multi utiliſſimi atq; adeò antiquiſſimi & præſtantiſſimi Hebræorum libri, eâ ſunt ſcripti: tertiò, quia etiam vulgares & recentiores Rabbini ſubinde ſcriptis ſuis multa Chaldæa inſerunt; unde ad illorum lectionem nemo feliciter unquam accedet, qui non Chaldææ quoque linguæ cognitione tinctus & imbutus fuerit.

II. Habet Lingua Chaldæa eaſdem Literarum & Vocalium figuras cum lingua Hebræa, eandem etiam legendi rationem ferè ſequitur: unde hîc de ejus Exercitatione potiſſimum agendum.

III. Primum hujus linguæ tentamen ſit in Danjele & Eſra. quia in his lingua pariter eſt facillima & puriſſima: cum interpretatione & uſu conjungantur Præcepta Grammatica, eodem modo, & eadem methodo, ut in Lingua Hebræa, à Verbis incipiendo, & ad reliquas Orationis partes progrediendo. Præcepta hîc nec ſunt tam multa, nec tam difficilia, ut in Lingua Hebræa,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

bræa, Anomaliæ pauciores, unde ipſa Lingua quoque facilior.

IV. Propter conformitatem autem ſuadeo, ut hîc quoque utaris *Grammaticâ Chaldaica & Syriacâ IOHANNIS BUXTORFII, editâ Baſileæ, apud Ludovicum* König/ quæ eandem habet methodum, eadem præcepta cum Grammatica Hebræa, unde longè faciliùs eam intelliges, eique aſſueſces. Ad Danjelem & Eſram legendum ſufficiet ejuſdem Lexicon Hebraicum & Chaldaicum in 8. cujus antea facta mentio. In his duobus libris omnia Vocabula explicata invenies, quæcunque in Danjele & Eſra occurrunt. Modum exercendi docebit te tertius liber dictæ Grammaticæ, qui Praxin hujus linguæ oſtendit, & exemplis illuſtrat.

V. A lectione Danjelis & Eſræ tranſitus fiet ad Targumim, ſive Paraphraſes Bibliorum Chaldaicas. Harum auctores præcipui ſunt Onkelos & Jonathan, quorum ille quinque libros Moſis, hic Prophetas, tranſtulit: uterque paullò ante tempora Chriſti floruit. Hagiographorum auctores ſunt obſcuriores, recentiores, & his quoque impuriores. In omnibus autem linguæ priſtinus nitor multùm à Danielis & Eſræ puritate deflexit. Unde pluribus quoque obſervationibus Grammaticis ad Paraphraſtas legendos eſt neceſſe. Initium fiat ab Onkelo, tamquam facillimo, & qui præ cæteris omnibus Textûs Hebræi literam preſsè ſequitur. Poſt Onkelum ſequatur Jonathan, Prophetarum Paraphraſtes. Hunc Hagiographa, quorum auctores ſunt diverſi, ſtylo quoque & ſermonis genere differentes: in quibus omnibus & ſingulis, dialecti differentias obſervare decet.

VI. Nam, ut hoc obiter hoc loco moneatur, Chaldaicæ linguæ dialectus triplex eſt: Babylo-

 nica,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

nica, Hieroſolymitana, & Syriaca in ſpecie ſic dicta. *Babylonica*, quæ in florentiſſimo Babyloniæ regno floruit, & puritatem elegantiamque ſummam adepta fuit, ita ut reliquorum dialectorum merito ſtatuatur norma, amuſſis & fundamentum. *Hæc vel eſt Prior & Antiquior, vel Poſterior. Prior* ſive antiquior, quæ tempore exſilii Judæorum in Babylonia viguit, in qua Daniel & Eſra Prophetæ, magnam ſuæ hiſtoriæ partem conſcripſerunt, quam etiam Jeremias tenuit, ut ex particula iſta Epiſtolæ Syriacæ liquet, quam ad Judæos, in Babylonico exſilio viventes, conſcripſit, Jer. 10, 10. *Poſterior*, quæ aliquot annis centenis poſtea, tam in Babylonia quàm in Judæa, inter reduces Judæos uſitata fuit, ac longè à priori nitore receſſit, propter regnorum ac diverſorum populorum commixtionem. *Eſtque vel Targumica vel Talmudica. Targumica*, quâ Targumiſtæ, id eſt, Paraphraſtæ & interpretes Chaldaici Veteris Teſtamenti uſi ſunt in Tranſlatione Chaldaica; Onkelos quidem in Legem, & Jonathan in Prophetas priores, Poſteriores, & duodecim minores. *Talmudica dialectus eſt*, quâ Talmud Babylonicum in Babylonia conſcriptum eſt. Fieri hoc cœptum 500. annis poſt vaſtatum Templum ſecundum, ab illis Judæis, qui poſt captam Urbem Hieroſolymam à Tito, in Babyloniam fuerunt profugi, & Legem Judaicam ibi in Scholis publicè docuerunt. Abſolutum fuit illud opus circa annum 500. poſt Chriſtum natum. Interea Babylonia quoque inſigniter vaſtata, turbata, & ex variis populis mixta ac confuſa fuit, veluti vicinis Ammonitis, Moabitis, Perſis, Arabibus, Ægyptiis, & aliis, per quos priſca illa Babylonica ſeu Chaldæorum lingua ſic corrupta fuit, ut veſtigia duntaxat ejus in Opere Talmudico appareant. *Hieroſolymitana*

dialectus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

dialectus eſt, qua uſi fuerunt Judæi Hieroſolymis, & in terra Judææ, poſtquam ex Babylonia fuerant reverſi. *Eſtque vel ſimpliciter Hieroſolymitana, vel Syro-Hieroſolymitana, quæ & in ſpecie Syriaca, vel Syra-Comagena, ſeu Antiochena dicitur.*

Simpliciter Hieroſolymitana eſt, quâ Targum librorum Hagiographorum, ut Jobi, Pſalmorum, Proverbiorum, & quinque *Megilloth* ſive libellorum, nempe Ruth, Threnorum, Cant. Canticorum, Eſther & Eccleſiaſtis conſcriptum eſt. Tum etiam ſpeciale Targum in quinque libros Moſis, quod in ſpecie Targum Jeruſchalmi ſive Hieroſolymitanum appellatur; item aliud eorundem librorum Targum, quod Jonathanis nomen præfert, qui verò nequaquam eſt Jonathan ille priſcus, qui Prophetas interpretatus eſt. In his tamen ipſis quædam locutionis differentia eſt, & maximè in rebus ipſis, ut plures & diverſi ipſorum auctores omnino fuiſſe videantur, Targum Jobi & Pſalmorum antiquius eſt, ut & in rebus, reſpectu reliquorum, purius. Targum Proverbiorum ab his eſt differens, & multos habet Syriaſmos, id eſt, Verba & phraſes cum Syriaca Antiochena ex æquo convenientes. Targum in quinque Megilloth ſeu libellos his omnibus poſterius eſt, &c. Hæc dialectus pleraque ex parte cum Babylonica poſteriore convenit, in quibuſdam tantùm diſcrepat. Habet & plura vocabula Græca & Romana, quam priores paraphraſtæ. Ad hanc quoque dialectum pertinet Talmud Hieroſolymitanum, liber Zohar, quædam Medraſchim, &c. *Syriaca in ſpecie* ſic dicta eſt, quæ etiam Syra-Comagena ſive Antiochena dicitur, quia ex Antiocheno tractu in reliquas Syriæ partes propagata, ampliſſimum poſt reliquas dialectos uſum obtinuit Eâ Novum Teſtamentum, poſt Apoſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

lorum tempora, deſcriptum eſt. Sed hæc ſufficiant de Dialectis linguæ Chaldææ, quarum differentia paſſim in Grammatica Chaldaica & Syriaca BUXTORFII indicatur, atque ſub finem ejus in praxi ipsâ exemplis demonſtratur.

VII. Quia verò Paraphraſtarum horum tranſlatio, inordinatâ & confusâ punctatione ab imperitis punctatoribus & librariis inſigniter deformata eſt & perturbata; ideò haud parum intereſt, quanam editione in lectione Paraphraſtarum utaris. Editiones Venetæ in fol. quotquot prodierunt omnes, corruptiſſimæ ſunt, & infinitis mendis plenæ. Malo huic doctiſſimorum virorum ope medela afferri cœpta eſt in laudatiſſimo illo Opere Bibliorum Regiorum. Sed præterquam quòd exemplaria nunc ſint rara, non cujuſvis eſt tam carum & pretioſum opus comparare, neque etiam omnia in eo caſtigata ſunt & emendata. Suaſerim ergò, ut quis utatur Bibliis Buxtorfianis editis in fol. Baſil. Anno 1620. apud Ludovicum Regem, ſub titulo; *Biblia Hebraica & Chaldaica, cum Maſora quæ Critica Hebræorum ſacra eſt, Magna & parvâ, ac ſelectiſſimis Hebræorum interpretum Commentariis, &c. In his nunc primùm, poſt quatuor editiones Venetas, Textus Chaldaicus à deformitate punctationis, & pravitate vocum innumerarum vindicatus, &c. Studio fido & labore indefeſſo IOHANNIS BUXTORFII, &c.*

VIII. Ad lectionem horum Targumim commoda quoque exſtant ſubſidia, quæ noviſſe & adhibere, magnum laborum eſt compendium. *Subſidia iſta ſunt vel Generalia, vel Specialia. Generalia* ſubſidia voco Lexica Chaldaica huc facientia, qualia ſunt, *Lexicon Chaldaicum & Syriacum IOHANNIS BUXTORFII* F. quo Voces omnes tam primitivæ quàm derivativæ

quot

quotquot in univerſis V. T. librorum Paraphraſibus Chaldaicis, & N. T. Syro exſtant, explicantur, &c. Editum hoc eſt Baſileæ in 4. apud Ludovicum Regem, Anno 1622. Hoc ad Paraphraſes legendas ſufficiet abunde: nulla enim vox occurret, cujus explicatio illic non extſtet. Poterit tamen quis etiam adhibere antè commemoratum *Lexicon Schindleri*; ſed in eo haudquaquam omnes voces reperiet. *Specialia* ſubſidia ſunt ſequentia; *Interpretatio Paraphraſium Chaldaicarum Latinarum*, ſi haberi poſſit. Exſtat autem in Opere Regio. Librorum quorundam particularium interpretationem ediderunt nonnulli cum notis, quæ non carent ſuo fructu. *Paulus Fagius Latinè vertit Paraphraſin Chaldaicam Onkeli in Legem, annotationibuſque illuſtravit*, edit. Argentorati, Anno 1546. *Iohannes Mercerus, Profeſſor Regius Lutetiis, edidit Duodecim Prophetas minores Chaldaicè cum Verſione Latina, & Notis*, Pariſiis apud Carolum Stephanum, Anno 1557. *Oſvvaldus Schrekenſuchſius edidit Canticum Canticorum & Eccleſiaſten Salomonis Chaldaicè cum Verſione Latina*, Baſileæ apud Henrich. Petri, Anno 1553. Ejuſmodi libri ſi qui alii quoque prodierint, & prodeant, diligenter ab hujus linguæ ſtudioſo ſunt conquirendi. Plurimum etiam adjumenti adferet ad Paraphraſes Chaldaicas JOHANNIS BUXTORFII Lexicon Chaldaicum majus, quod nunc ſub prælo, & ejuſdem Commentarius propediem, Deo dante, edendus, ſub titulo; *IOHANNIS BUXTORFII Babylonia, ſive Commentarius Criticus in Univerſas Paraphraſes Chaldaicas, quæ non ſolùm infinita menda & corruptelæ, quæ in Targum Editionum Venetarum occurrunt, ſub cenſuram revocantur, & ex Analogia Grammatica, ex ipſius linguæ naturâ & fundamentis, ex locorum denique collatione emendantur, ſed &* ² *variarum editionum*

Veneta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Venetarum, Bibliorum Complutenſium, Regiorum, &c. differentiæ conferuntur & examinantur, &c.

Hac viâ in linguâ Chaldaicâ procedens, & his ſubſidiis inſtructus, breviſſimo temporis ſpatio, DEO benedicente, magnos progreſſus faciet.

III.

De Studio Rabbinico.

I. FUndamentis in utraque linguâ, Hebræâ & Chaldæâ, benè jactis, tutò quis accedere poterit ad Rabbinorum ſcripta legenda. Et quò confirmatior in illis fuerit, eò celeriùs & feliciùs hîc quoque proficiet. Nam qui bonus eſt Grammaticus, & Sermonis quoque mediocrem notitiam in ſignificatis & idiotiſmis intelligendis poſſidet; is, visâ aliquâ ſententiâ ſine punctis ſcriptâ, facilè ſenſum ejus divinabit, &, ſenſu cognito, puncta ſecundum leges Grammaticas adjiciet.

II. Hic verò per Rabbinos, non intelligimus veteres illos Talmudicos & ſimiles, qui ſermone magis Babylonico quàm Hebraico, eoque corrupto & difficillimo, uſi ſunt. Sed vulgares & recentiores, quales ferè ſunt Commentatores Biblici, Philoſophi, Hiſtorici, Theologi. Ab his, tanquam facilioribus, incipiendum in ſtudio Rabbinico. Nam communiter uti ſolent ſermone Hebraico, in paucis tantùm idiotiſmis ab eo recedentes, & peculiaribus vocibus utentes, ut in ſeqq. videbimus.

III. Hujus ſtudii exercitatio inſtituatur præeunte Præceptore vel vivo, vel muto.] Nos hic breviter utrumque modum delineabimus.

IV. Præceptor, qui diſcipulum rationem legendi ſine punctis vult docere, lentè procedat, & ſequenti utatur methodo. Primò omnium ſententiam unam & alteram ſine punctis diſcipulo propo-

proponat, ſenſum ejus ei Latinè exponat, ſi aliqua à Biblico ſermone differentia, vel peculiaris, ubi vox Rabbinica lateat, ſignificet, & declaret, exinde jubeat diſcipulum ſententiam illam ſcribere, & calamo puncta ei addere, ac denique eâdem ſine punctis iterum exhibitâ, legere & interpretari. Ubi diſcipulus in punctando erravit, præceptoris erit ei errorem indicare, & ex Grammatica rationem ei demonſtrare & inculcare. Continuetur hoc per aliquot dies.

V. Ubi guſtum aliquem in ſententiis punctandis perceperit, ad continuum aliquem textum, & ſcriptum Rabbinicum deveniat. Hic ante omnes ſuaſerim eligere Commentatores Biblicos, quales ſunt R. Salomon Jarchi, R. Abraham Aben Eſra, & R. David Kimchi, & ex his initium fieri à R. D. Kimchio, qui ſimpliciſſimus eſt & puriſſimus. Commodiſſimi autem ad hoc inſtitutum ſunt Commentarii in Prophetas minores. Ex his ſeligatur unus, iſque breviſſimus, ut eſt Obadias vel Jonas, & ut in primo tentamine dictum, explicet Præceptor diſcipulo quotidiè aliquot lineas, quæ declaratione opus habent declaret, jubeat iterum ea quæ explicavit ſcribere, punctare, & tum eadem ſine punctis ex libro legere & interpretari. Continuetur hoc per aliquot ſeptimanas in uno & altero Propheta.

VI. Incredibile dictu eſt, quantum hoc punctationis exercitium, cùm ad confirmationem præceptorum Grammaticorum, tum ad certam & ſolidam lectionem Rabbinorum momentum adferat. Nam quotieſcunque in punctatione dubium eſt & hæſitatio, ad præcepta Grammatica eſt recurrendum, ratio ibi inveſtiganda, quo ipſo fit, ut quæ hoc pacto memoriæ impreſſa ſunt, nunquam excidere poſſint. Ad certiorem etiam & ſolidiorem Rabbinorum lectionem, mirum quanum

quantum conducat hoc exercitium. Qui ex uſu rationem hanc legendi acquirunt, ut Judæi, nunquam ita correctè & emendatè legunt, ut ii qui artem hanc ex fundamentis Grammaticis addiſcunt. Hinc ex centum Judæis vix unum reperies, qui emendatè & ſecundum artem poſſit legere. Communiter enim ex uſu tantùm linguam addiſcunt, & Grammaticæ ſunt imperiti. Ita qui ex Christianis laborem hunc ſubterfugiunt, & ſine præjactis fundamentis hiſce ſine punctis legere velle præſumunt, nunquam prompti & expediti fiunt in hoc ſtudio, ſed ad primam quamque vocem difficiliorem impingunt, &, ut mus in pice, hærent. Sine pennis volare eſt difficile.

VII. Cum Præceptor viderit, diſcipulum correctè ſatis punctare poſſe, tùm labore hoc eum ſublevare poterit, & ſinet eum illa, quæ ei interpretatur, domi ſolùm repetere, & deinde in præſentia ipſius reddere, ut antea.

VIII. A lectione R. Davidis Kimchii, qui Grammaticus eſt, poterit etiam accedere ad Aben Eſram, qui Philoſophus eſt & Aſtronomus præcipuè, ab Aben Eſra ad R. Salomonem, qui Theologum agit, & ſubinde Talmudicorum expoſitiones adducit; unde ille omnium eſt difficillimus, ac proin poſt cæteros tractandus. Hujus generis Rabbini, præter tres commemoratos, ſunt quoque R. Levi ben Gerſom, R. Saadias, & alii: Libri item Hiſtorici, & Philoſophici, &c.

IX. Atque hæ ſunt generales cautiones, quas Præceptorem vivum obſervare decet, in formando Rabbino Chriſtiano. Quod ſi verò quis vivo ductore deſtituatur, adhibeat præceptores mutos, hoc eſt, exerceat ſe omnium primò in iis legendis, quæ in Chriſtianorum libris, abſque punctis citata, & Latinè reddita, reperiuntur. Ex La-

tina

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

tina interpretatione de ſingulis vocibus facilè judicabit, ſi formâ ipſarum accuratiùs inſpectâ, dignoſcat, quæ cuique ſignificatio conveniens ſit: Ut ſi in Latina verſione habueris Nomen aut Verbum, videndum quæ vox Nominis aut Verbi vim exprimat; ſi adſit Præpoſitio aut Pronomen, an voci alicui adhæreant, an verò ſeparatim poſita ſint, quæ omnia quâ formâ legenda ſint, Præcepta Grammatica te ſufficienter inſtruunt. Atq; hîc in genere tenendum, quòd literæ, ו & י, præter uſum propium, quem in Bibliis habent, apud Rabbinos ſæpiſſimè mediis vocibus inſeruntur, ad certiorem ipſarum formam indicandam, quæ abſque iis aut eſſet obſcurior, aut ambigua: ו ſæpiſſime index eſt vel Vocalis Kametzchatuph aut Kibbutz, י ſimplex, index eſt ſæpè Chirek brevis, vel Tzere. Vav & Iod in media voce geminantur, ut indicetur, eas eſſe pro conſonis mobilibus legendas, ſive per ſe, ſive propter Dageſch: Sic Vav ab initio, interdum geminatur, quando pro conſona, & quidem radicali, ponitur, ut ſic diſtinguatur à Vav copula. Uſitatiſſimum etiam fuit Chaldaicæ linguæ ſcriptoribus, י Affixum plurale, aut quodcunque antecedente Pathach, geminare, vel ipſi præmittere literam א Vocalis Pathach indicem; ut, אמריי Verba mea: זכאי Innocens, pro, זכי &c. Sed hæc obiter. Pergamus ad generalia monita.

X. Diximus, eum qui vivo Præceptore eſt deſtitutus, mutos debere in auxilium vocare Præceptores, & primò quidem ea obſervare, quæ in Chriſtianorum libris ſine punctis ſcripta inveniuntur, & Latinè reddita. Ad hoc inſtitutum accommodatiſſimæ ſunt *Epiſtolæ Hebraicæ* IOHANNIS BUXTORFII, in quibus poſt quinquagenam punctatam, & Latinè verſam, quædam ſtudio ſunt relictæ ad hoc exercitium ſi-

ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ne punctis, cum Latina tamen verſione, & notis. Deinde indagandi & conquirendi ſunt integri libri Rabbinici à Chriſtianis editi, & Latinè verſi. Neceſſe enim eſt, ut incipiens primo ea intelligat, quæ vult legere; deinde ex intellectu & ex ſenſu rationem legendi eruat: aliàs fruſtra ſudabit & ungues arrodet. Tales libri, quia non in omnium ſunt notitiâ, haud abs re erit hîc quosdam nominare & notare:

Iohannes Mercerus edidit Commentarios in quinque Prophetas minores, quibus adjunxit Commentarios R. Salomonis, Aben Eſræ, & Davidis Kimchii, Latinè verſos, Pariſiis in fol.

Simeon de Muis, Hebræarum literarum Profeſſor Regius in Academia Pariſienſi, edidit Commentarios Hebræo-Latinos R. Davidis Kimchii *& R. Salomonis Iarchii in Malachiam*, Pariſ. Anno 1618. in 4.

Idem ibidem edidit Pſalmum CXII. cum Commentario R. D. Kimchii, in 4.

Idem Latinè vertit Commentarios trium Rabbinorum; Salomonis Iarchi, Aben Eſræ & D. Kimchii in Pſ. XIX. Pariſ. apud Ioannem Libert. Anno 1620.

Itinerarium Benjaminis prodiit nuper cum Verſione & notis, Lugduni Batavorum ex officina Elzeviriana.

Ejuſmodi libros alios Tyro ſtudii Rabbinici indagabit, & ſibi comparabit; atque ex illis voces & locutiones Rabbinis proprias, ſtudioſè annotabit & obſervabit.

XI. Horum adminiculorum uſu confirmatus non nihil, ſine cortice nare diſcet, & ad reliquos quoque Commentarios proprio Marte legendos & intelligendos accedet, ſuaſque id iis experietur vires. Requiritur autem hic attentiſſima diligentia, ut ſcopum & propoſitum, ſubjectam-

que

que materiam diligenter obſervemus, atque videamus, quomodo ſingula eò accommodari poſſint. Quod ſi etiam interdum hæreamus in vocabulo aliquo vel phraſi integrâ; non ſtatim ideò ſubſiſtendum: ſed pergendum, & videndum, num forte ex ſeqq. quæ iterum nobis ſunt faciliora, præcedentium quoque ſenſum elicere queamus. Ita ſæpe, quæ in primo acceſſu nobis videbuntur difficillima, in proceſſu ſponte ſuâ reddentur facillima & planiſſima.

XII. Ad totum autem hoc ſtudium Rabbinicum promovendum commoda quoque, & quę ad manus ſunt, ſubſidia ſunt adhibenda, & in auxiliũ, in occurrentibus difficultatibus, vocanda.

XIII. Præter modum generalem loquendi, cum ſermone & ſtylo Biblico conveniente, habent Rabbini multa propria & peculiaria, atque à ſermone Biblico diverſa. Hæc itaq; explicatione & declaratione indigent. Explicatio iſta ſic poſſet inſtitui; ut diverſitas flexionis vocum ſingularum ad Etymologiæ præcepta, tum ſtructura vocum conjunctarum ad Syntaxeos regulas, modoſque examinaretur, ac linguæ Ebrææ præceptis in ſpecie ſubjiceretur, ut ſic univerſalis quædam Inſtitutio Grammatica, tam ad Biblicum, quàm Rabbinicum ſermonem intelligendum, conformaretur. Aliquid hic conati ſunt olim Munſterus, Angelus Caninius, & poſt hos Gilbertus Genebrardus, Hebræarum literarum Profeſſores quondam: ſed accuratior requiritur induſtria. Qui tamen habere poteſt Genebrardi *Iſagogen ad legenda & intelligenda Hebræorum ſine punctis ſcripta, edit. Pariſiis apud Ægidium Gorbinum, An.* 1587. non ſine fructu eâ utetur. Exſtat etiam in prima editione Theſauri Grammatici BUXTORFII *Inſtructio brevis ad Lectionem Rabbinicam abſque punctis vocalibus*, Qui diligens & ſtu-

& ſtudioſus fuerit, is ipſemet ſibi hæc talia po-terit colligere, & annotare. Ea quæ Rabbini e Chaldaiſmo habent, ex Grammatica Chaldaic quoque (de qua ſuprà) peti poſſunt, in qua ſpar ſim multi Rabbiniſmi explicantur.

XIV. Deinde uſurpant Rabbini in ſuis ſcri-ptis multas voces, quæ in Bibliis non exſtant, ſe ex populari ipſorum ſermone petitæ ſunt & de ſumtæ: multa etiam vocabula Chaldaica, au locutiones integras, ad ejus linguæ Dialecto conformatas. Hic opus eſt ſpeciali & ſufficient Lexico. Hac in re deſudârunt olim Sebaſtianu Munſterus, David de Pomis Judæus in Italia Guido Fabricius in Opere Regio Hiſpanico, pe-culiari Tomo, qui Lexica quatuor continet, & recenter Valentinus Schinderus in Lexico Pen-taglotto. Sed horum librorum exemplaria hodie ſunt rariſſima, ac præterea infinitos defectus & errores continent. Qui ergo his libris deſtitu-tus eſt, ei ſuaſerim ut primo utatur Lexico He-braico JOHANNIS BUXTORFII in 8 Ei enim ad finem adjectum eſt Lexicon brev Rabbinico-Philoſophicum, communiora voca-bula continens, quæ in Commentariis paſſim occurrunt, cum aliquot utiliſſimis Obſervatio-nibus ad Rabbinicum ſtudium ſpectantibus Deinde comparet ſibi, quamprimum prodierit *Lexicon ejuſdem Chaldaicum, Talmudicum & Rab-binicum*, de quo paulò pòſt in Studio Talmudico

XV. Tertiò creberrimi ſunt Rabbini in ſcri-ptura Sacra citanda. Id ita ſolent facere, ut ne Characterem varient, nec libros vel capita indi-cent; ſæpè etiam nullâ præmiſsâ formulâ, le-ctorem de allegato loco monente. Hinc ſæpe dif-ficultates quoque & tenebræ. Hic neceſſariæ ſun Concordantiæ Hebraicæ, ad loca illa quærend & inveſtiganda. Prodierunt olim *Primò* omniu

Conco

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Concordantiæ Hebraicæ Venetiis, apud Danielem Bombergum, Anno Chriſti 1523. in fol. *Secundò*, Baſileæ apud Ambroſium Frobenium, Anno 1581. in fol. *Tertiò*, Anno 1621. Romæ quoque prodierunt Novæ Concordantiæ Hebraicæ, cum interpretatione locorum Latinâ ad latus poſitâ, Auctore R. P. Doct. F. Mario de Calaſio, ord. Min. Obſerv. Prov. Romanæ, Linguæ Sanctæ Profeſſore. *Quartò*, denique nuper editæ ſunt Concordantiæ Hebrææ à JOHANNE BUXTORFIO Baſileæ, Anno 1632. Duarum priorum editionum exemplaria jamdudum ſunt diſtracta: Romana editio pretii & molis eſt nimis grandis, ut non à quovis comparari poſſit; neque ad ſcholaſticum uſum ita ſit accommodata: quatuor enim integros tomos in folio conficit. Methodum præterea habet eandem cum duabus primis editionibus. Per cætera opus ſplendidiſſimum, laborioſiſſimum & utiliſſimum. Ad Scholarum uſum accommodatiſſimæ ſunt *IOHANNIS BUXTORFII Concordantiæ, novâ & artificiosâ methodo diſpoſitæ, in locis innumeris depravatis (in prioribus nempe editionibus) emendatæ, deficientibus plurimis expletæ, Radicibus antea confuſis diſtinctæ, & ſignificatione Vocum omnium Latinâ illuſtratæ.* Methodus earum tota eſt τεχνικὴ & artificialis, Radices ſecundum varietatem Conjugationum, Modorum, Temporum, Generum, Numerorum, Perſonarum, &c. cum Præfixis, Affixis, &c. pariter nomina ſecundum differentiam numerorum, & cæterorum accidentium, diſpoſita: radicibus ſive primitivis, omnia derivata ordine & methodicè ſubjecta. Sic in Concordantiis his compendioſiſſimè, primò Locus quæſitus momento, & facillimo jucundiſſimoque labore invenitur: deinde Lexici Hebraici, omnibus vocibus flexilibus completi

pleti, forma abſoluta proponitur: denique Maſora ſive Critice perfecta, quoties, qua formâ, quo libro, cap. & verſu unaquæque vox declinabilis in textu Hebræo invenitur, numeratò traditur. Acceſſerunt etiam ad hanc editionem ſeparatim, eademque methodo, Novæ Concordantiæ Chaldaicæ omnium vocum Chaldaicarum, quæ in Daniele & Eſra continentur. Infinitum & inæſtimabilem hic liber habet uſum quoque in legendis & explicandis Bibliis Hebraïcis; dum omnia loca, in quibus unaquæque vox reperitur, conjunctim ſtatim ad oculi intuitum conſpiciuntur; ita ut illorum etiam, qui non adeò profundè in Rabbinorum ſcripta penetrare cupiunt, nemo hoc libro, ſiquidem tum habere poſſit, carere debeat, atque inter eos quoque ſint cenſendus; qui ad primum hujus Studii Hebraici gradum utiles ſunt & neceſſarii.

XVI. Quartò uſitatiſſimum eſt Rabbinis abbreviatè ſcribere, & voces plures, in certas literas contrahere, quas appellant *Raſche tevos*, Capita dictionum. Capitales enim ſive initiales vocum literæ ſumuntur, & conjunctæ, duobus apicibus ſupernè notantur, ut inde conſtet, eſſe abbreviaturas: ut זלהה pro זכרונו לחי העולם הבא *Memoria ejus ſit ad vitam ſeculi venturi*. Sine harum Abbreviaturarum cognitione nemo poterit in ipſorum ſcriptis ſine offenſione progredi. Mediocrem earum Catalogum recenſuerunt Munſterus & Mercerus: ſed omnium copioſiſſimè IOHANNES BUXTORFIUS in peculiari libello, quem ſcripſit *de Abbreviaturis Hebraicis*, edit. Baſileæ apud Ludovicum König/ in 8.

XVII. His in Rabbinorum ſcriptis animadverſis, hiſque ſubſidiis adhibitis, planum expeditumque, meo judicio, erit iter in vulgares

Ebræorum

Ebræorum ſcriptores, quales ſunt Commentatores Biblici, Hiſtorici, & Philoſophi, & fontes Iſraëlis inter nos Chriſtianos quoque puram tanquam manabunt. Ad Philoſophos, quorum ſtylus pro materiæ varietate intricatior eſt & difficilior, magnum adminiculum adferet, ſi quis legerit librum R. Moſis Majemonidis, quem Hebraicè vocat *More Nevochim*, hoc eſt, Doctorem perplexorum, & cum Hebræo contulerit *Verſionem Latinam IOHANNIS BUXTORFII, F. quæ edita eſt Baſileæ, Anno 1629. apud Ludovicum* König in 4.

IV.

De Studio Maſorethico.

I. A Studio Rabbinico, ſuadeo Linguæ Hebrææ Candidato, ut in Maſoram quoque penetrare, ejuſque legendi rationem addiſcere ſtudeat. Maſora eſt doctrina Critica, à priſcis Hebræorum ſapientibus, circa textum Hebræum Sacræ Scripturæ, ingenioſè inventa: quâ verſus, voces, & literæ ejus, numeratæ omniſque ipſarum varietas notata, & ſuis locis cum ſingulorum verſuum recitatione indicata eſt, ut ſic conſtans & genuina ejus lectio conſervaretur, & ab omni mutatione aut corruptione præſervaretur & validè præmuniretur.

II. Habent Maſorethæ in hac ſuâ arte ſtylum Chaldaicum, eumque valdè nervoſum & conciſum; habent peculiares terminos & vocabula, abbreviaturas & decurtationes vocum ſingulares: unde ſine doctore & ductore commodo, vix quiſquam Maſoram legere poterit ac intelligere. Quæ cauſa fuit, cur hactenus pauciſſimi tam inter Judæos quàm Chriſtianos reperti fuerint,

rint, qui ejus veram aliquam notitiam habuerunt.

III. Ex Hebræis unicus Elias Levita, genere Judæus, gente Germanus, ſuperiori ſeculo, ſuis hanc viam præivit, edito libro Maſoreth Hammaſoreth. Ejus exemplaria, tam inter Judæos quàm Chriſtianos rariſſima hodiè pares cultores habent. Inter Chriſtianos eò etiam rariores, quod Latinè nunquam liber iſte ſit converſus.

IV. Ex Chriſtianis unicus quoque eſt JOHANNES BUXTORFIUS, qui artem hanc Chriſtianis aperuit, & omnia ejus myſteria pandit & revelavit. De hac materia agit liber ipſius, cujus titulus; *Tiberias ſive Commentarius Maſorethicus triplex, Hiſtoricus, Didacticus, Criticus; quo primùm Hiſtoria Maſoretharum Tiberienſium ſive, A quibus Maſora conſcripta ſit, excutitur: quid item tractet, quæ ejus methodus, & quo fine inventa ſit, amplè explicatur*: Secundò, *Clavis Maſoræ traditur, per quam ad maxima & minima Maſoræ penitiùs cognoſcenda, facillimus datur aditus. Tertiò Caſtigationes innumerorum mendorum per univerſam Maſoram proponuntur.* Baſ. apud Ludovic. König/ in fol.

V. Si itaque hiſtoriam Maſoræ, ejuſque, ut compendio dicam, Cauſam Efficientem, Materialem, Formalem & Finalem noviſſe cupis, primam dicti Commentarii conſule partem. Si rationem eam legendi, voces ejus decurtatas, abbreviatas, vocabula denique Maſorethis peculiaria & propria cupis inrelligere, ſecundam adi partem, & Clavem Maſorethicam adhibe, quæ hæc omnia tibi perſpicuè & methodicè explicabit, aditumque à primis ad intima & magis abſtruſa Maſoræ penitùs cognoſcenda, facillimum & planiſſimum reſerabit. Si modum exercen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

di & praxeos ſcire cupis, invenies ſub finem dictæ Clavis, Analyticam Maſoræ magnæ & parvæ in primum caput Geneſeos explicationem, unde ad eam diſcendam ceu manu duceris.

VI. Exſtat autem Maſora hæc tantùm in Bibliis Venetis Majoribus, à Danjele Bombergo olim excuſis, & in editione Baſileenſi BUXTORFII; quæ ideò Venetis præferenda, quòd in ea Loca innumera Maſoræ in Venetis editionibus tranſpoſita, deficientia, pugnantia, numeris depravata, ſubſidio diverſorum exemplarium & Concordantiarum Hebraicarum, repoſita, reſtituta & conciliata ſint, ut ex tertia dicti Commentarii Maſorethici parte, Critica videlicet videre eſt.

VII. Ad hoc ſtudium, Concordantiarum Ebraicarum inevitabilis eſt neceſſitas. Nam quando Maſoretæ loca Scripturæ numerant & adducunt, nullius libri mentionem faciunt, ſed verba duntaxat recenſent. Atque hic inprimis Buxtorfianarum Concordantiarum uſus & utilitas eluceſcit, ubi formæ ſingulæ, more Maſoretharum, accuratiſſimè ſunt diſtinctæ, ejusdem formæ vocabula ſub uno titulo & tabellâ comprehenſa & repræſentata; unde labor loci inquirendi compendioſiſſimus & jucundiſſimus.

VIII. Hoc ſtudium quamvis initio videatur difficillimum, intra pauciſſimarum tamen ſeptimanarum ſpatium, adhibito Commmentario hoc Maſorethico & Concordantiis, abſolvi poterit.

V.

De Studio Talmudico.

1\. Studium Talmudicum ultimum eſſe jubeo, quia omnium eſt difficillimum. In Talmud enim omnes Hebrææ & Chaldææ linguæ dialecti, quaſi in Oceano immenſo, concurrunt, infinita vocabula & loquendi modi, nullibi aliâs occurrentes, rerum ſubtilitas & difficultas maxima. Unde qui ad lectionem Talmudis, & ejus ætatis ſcriptorum, vult accedere, benè inſtructus & præparatus accedat, neceſſe eſt.

II. Quid Talmud ſit, quidque in eo contineatur, non eſt neceſſe hîc commemorare. Adeat, qui hoc noſſe vult, *Operis Talmudici recenſionem, quam* IOHANNES BUXTORFIUS *adjecit ad Tractatum ſuum de Abbreviaturis Hebraicis.* Ibi enim non tantùm ingenere exponit, quid ſit Talmud Judæorum, quæque illius apud recutitam gentem auctoritas: ſed & omnes libros & capita Talmudica, cum ſingulorum argumentis, recenſet. Hujus generis & ſtyli libri, ſunt quoque Zohar, Mechilta, Rabbos, qui vel circa tempora Chriſti ſunt conſcripti, vel non ita diu poſt, dum adhuc lingua Chaldæa, ſed corruptiſſima, Judæis, erat vernacula.

III. Talmudis editiones exſtant tres: *Prima* excuſa eſt Venetiis, à Daniele Bombergo, chartâ elegantiſſimâ, & characteribus nitidiſſimis: *Secunda* prodiit Baſileæ, ab Ambroſio Frobenio, Anno 1588. In hac editione exſecta ſunt operâ Marci Marini ea, quæ contra Chriſtum & Chriſtianos erant dicta, & hujus rei causâ quoque integer omiſſus Tractatus, qui *Avoda Sara* appellatur, hoc eſt, *De Idololatria.* Econtra habet hæc editio hoc præ editione Veneta, quòd libri & ca-

pita

pita locorum Scripturæ, in Talmud allegatorum, in margine ſunt adſcripta; quod magnum præſtat in legendo compendium. Quod ſi etiam locus idem vel, materia eadem, in Talmud alibi quoque exſtet, loca illa parallela iterum ad marginem ſunt appoſita. *Tertia* prodiit Cracoviæ, ante non ita multos annos. In hac editione ſunt reſtituta ea, quæ in Baſileenſi exemplari expuncta.

IV. Talmud duplex eſt, Hieroſolymitanum & Babylonicum, Illud collegit R. Jochanan, Anno Chriſti 230. Editum eſt Cracoviæ. Alterum eſt Babylonicum, quod colligere cœpit Raf Aſſe, Anno Chriſti 367. & laboravit in eo per annos ſexaginta. Ipſi ſucceſſit Maremar, Anno 427. & tandem à R. Avina abſolutum Anno Chriſti 500.

V. Dividitur utrumque Talmud in Miſchnam & Gemaram. Miſchna conſtat ferè Dialecto Hebræâ: Gemara autem Dialecto Chaldæâ impuriſſimâ, cui infinita vocabula peregrina, Græca, Arabica, Perſica, Latina, &c. ſunt immixta; ob Judæorum inter has gentes deportationes & exſilia, à quibus ſingulis aliquid retinuerunt, & linguæ ſuæ admiſcuerunt.

VI. Hujus ſtudii duæ præcipuæ ſunt difficultates: *primò* Dialecti linguæ peculiares; *deinde*, Voces & phraſes Talmudicis propriæ quamplurimæ. Utrique commodis remediis eſt obveniendum.

VII. Prima difficultas tollitur explicatione Dialectorum & idiotiſmorum Talmudicis propriorum, quod pertinet ad Grammaticam. Pauci autem ex Chriſtianis hactenus hic aliquid præſtiterunt; quia pauci fuerunt, qui cum judicio & intellectu Talmud Judæorum legere potuerunt. Aliquid hic quoque præſtitum eſt in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Grammatica Chaldaica JOHANNIS BUXTORFII, in quaſi paſſim Dialectus Talmudica per Etymologiam & Syntaxin inſerta: ſub finem etiam in tertia parte, quæ Praxin continet, exemplis ex utroque Talmud, libro Zohar, & aliis, illuſtrata. Sed & hæc ampliùs augeri, & pleniùs deduci poſſent.

VIII. Alteri difficultati medebitur Lexicon, quod omnia vocabula & loquendi modos continet, Talmudicis uſitatos. Hoc quidem aliqui hactenus tentârunt, Münſterus, David de Pomis, Guido Fabricius, & Valentinus Schindlerus, ſuprà quoque à nobis citati, ſed nequaquam ſufficienter infinita prætermiſerunt, & poſterorum diligentiæ reliquerunt, quam plurima malè explicarunt: voces exemplis nullis illuſtrarunt, qui non exiguus eſt defectus. Nam exempla voces illuſtrant, & vox una eademque, in diverſis phraſibus adhibita, variam quoque ſæpe habet vim & ſignificationem. Omnibus his ſuccurrere conatus eſt iterum *IOHANNES BUXTORFIUS in Lexico Chaldaico, Talmudico & Rabbinico*, quod in trigeſimum usque annum preſſum, nunc in lucem prodit. In eo cæterorum Lexicographorum defectus abundantiſſimè ſupplentur, errores corriguntur, maculæ eluuntur, locutiones & phraſes Talmudicæ apponuntur, & exemplis ſelectiſſimis illuſtrantur, elegantes ſententiæ & adagia paſſim inſeruntur, hiſtoriæ & ritus veteres multi, è Rabbinorum tenebris & latebris, in lucem producuntur, atque ex his omnibus, ad uſum hujus ſtudii demonſtrandum, paſſim Sacrorum Scriptorum & aliorum authorum loca quamplurima declarantur, illuſtrantur, emendantur, omniaque ea copioſè explicantur, quæ ad ſtudium hocce ſcitu neceſſaria, & utilia videntur. Quinimo pro-

propter magnam exemplorum copiam, eorumque dilucidam interpretationem & expoſitionem, ea omnia hoc Lexicon ſupplebit, quæ in Grammaticis deſiderantur & deficiunt. Sine hoc gubernatore nemo unquam feliciter vaſto illi mari Talmudico ſe committet. Nequaquam enim ad ſecretiora hæc Hebræorum ſcripta legenda ſufficit, Vocabulorum duntaxat notitiam habere; multarum præterea rerum, hiſtoriarum, fabularum, dogmatum, rituum, conſuetudinum & ſimilium peritia requiritur, quæ in hoc uno libro, velut in Cornucopiæ ditiſſimo, reperiuntur, & una cum ipſis vocabulorum explicationibus proponuntur, annotatis ubique librorum, unde ſingula petita & deſumta ſunt, Nominibus, foliis & columnis, immenſo & incredibili laboris exemplo. Quanto autem majoris laboris, temporiſque longioris fuit, iſta congerere & comportare, tantò minoris laboris & tædii erit impoſterum ea addiſcere, & uſibus accommodare,

IX. Præter hæc Generalia inſtrumenta, utile & è re erit, ut ſuprà in vulgari Rabbiniſmo monuimus, ſpecialia quoque, ſi quæ ad manus ſunt, adhibere: qualia ſunt ea, quæ à Chriſtianis è Talmude in linguam Latinam ſunt tranſlata. Atque ab his, ſi quis talia nanciſci poterit, initium hujus ſtudii poterit facere, maximè, ſi vivo præceptore ſit deſtitutus. Ita *Conſtantinus l'Empereur edidit Talmudis Babylonici Codicem* Middoth, *ſive, de Menſuris Templi, unà cum verſione Latina & Notis, Lugduni Batav. apud Elzevirios, Anno* 1630. Sic prodierunt Amſterdami, apud Johannem Janſonium, Anno 1629. *Duo Tituli Talmudici Sanhedrin & Maccoth: quorum ille agit de Synedriis, Iudiciis, ſuppliciis capitalibus Hebræorum: Hic de pœnâ falſi teſtimonii,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

exſilio & aſylis, flagellatione. Et hoc ipſotempore, ni fallor, prodierunt, vel prodibunt proximè, quidam alii ſimiles tractatus Lugduni Batavorum, à Conſtantino l'Empereur. Exſtat quoque Caput ultimum Tractatus Sanhedrin, quod vocatur *Chelek*, Germanicè verſum à Chriſtiano Gerſon, Judæo-Chriſtiano. Atque hujus generis, ſi qui alii exſtent, cultor hujus ſtudii ſedulus diligenter indagabit & comparabit. Magno enim cum fructu & ſucceſſu verſiones iſtas cum originali linguâ conferet.

X. Quia verò ad hujus ſtudii majorem perfectionem conſequendam, jam ipſi Hebræi quoque ſunt conſulendi, qui etiam peculiares libros ſcripſerunt ad Talmudis intelligentiam, proderit & horum librorum notitiam aliquam habere. Talis eſt ספר הליכות עולם *Sepher halichos olam*, quem recenter Latinè vertit Conſtantinus l'Empereur, Lugd. Batavor. cum titulo, *Clavis Talmudica*. Extant & alii. Cùm verò nimis prolixum foret hic omnes commemorare, brevitatis causâ remitto eum, qui hos & alios libros Hebræorum ſcire cupit, & copiam eorum ſibi comparare, ad *Bibliothecam Rabbinicam IOHANNIS BUXTORFII*, in qua Libri Rabbinici, quotcunque tum indagari potuerunt, ordine alphabethico in aciem ſunt diſpoſiti, cum ſingulorum argumentis, & locis impreſſionis. Edita eſt autem hæc Bibliotheca Baſil. unà cum Abbreviaturis ejuſdem.

XI. Permultum etiam juvat hoc ſtudium, cognitio Rituum Judaicorum. Rebus enim præcognitis, tanto facilior quoque evadit verborum ſenſus & intellectus. Hinc & iſtiuſmodi libri ſunt comparandi, qui Res Judæorum Eccleſiaſticas, Politicas, & Oeconomicas tractant. Tales

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

les ſunt, *Caroli Sigonii de Republica Hebræorum: Cornelii Bertrami liber de Politia Iudaica tam Civili quàm Eccleſiaſtica: Petri Cunæi de Republica Hebræorum*, Lugd. Batav. Anno 1617. *IOHANNIS BUXTORFII Synagoga Iudaica*, in qua tota fides Judaica, cum omnibus ipſorum cerimoniis, ritibus, ſtatutis, &c. abſolutiſſimè deſcribuntur. Hæc edita eſt Germanicè Baſileæ: & Latinè Hanoviæ. His adde eos auctores, qui contra Judæos, ex ipſorummet libris, ſcripſerunt & diſputarunt, ut eſt Petrus Galatinus *de Arcanis Catholicæ veritatis*: quamvis hic omnia ſua, (ſuppreſſo tamen nomine) deſumpſerit ex libro *Martini Raymundi*, quem vocat, *Pugionem Chriſtianorum, ad impiorum maximè Iudæorum perfidiam jugulandam*, qui auctor ante 400. circiter annos vixit. Ejus libri exemplar manuſcriptum exſtat apud Buxtorfium Baſileæ. In his & ſimilibus libris multa etiam ex Talmud, & aliis libris, paſſim citantur, & Latinè vertuntur, quæ Hebraiſmi ſtudioſus in ſuum uſum poteſt convertere.

VI.

De Stylo.

I. VErbum addam etiam de ratione & modo ſtylum formandi & exercendi. Quæ enim præceſſerunt, ea conſiſtunt in Analyſi & lectione auctorum Hebraicorum. Ex iis Geneſis, hoc eſt, novi operis ſcriptio eſt petenda, & ad illorum normam confirmanda.

II. Stylus ab Hebræis is maximè commendatur, qui quàm proximè ad puritatem linguæ primævæ accedit. Hæc autem, cùm in ſolis libris Sacris permanſerit, ideò ii quoque doctiſſimi in ſtylo judicantur, qui ad imitationem locutionum ſacrarum, ſermonem ſuum formant, atque adeò locutiones ejuſmodi artificiosè ad ſuum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

propoſitum, & res familiares, applicare norunt.

III. Prout autem oratio eſt vel ſoluta ſive proſa, & ligata; ita qui hîc vult excellere, anniti debet, ut in utroque aliquid præſtare queat.

IV. Solutæ orationis modi docentur in Syntaxi: elegantia autem & nitor diſcendus ex bonis auctoribus. Hujus ſtyli uſus hodiè potiſſimum eſt in ſcribendis epiſtolis Hebraicis. Quodnam autem Hebræorum in conſcribendis Epiſtolis, familiaribus & eruditis, ſit artificium, quomodo illæ formandæ, quis ſtylus obſervandus, nemo inter Chriſtianos hodiè oſtendit præter JOHANNEM BUXTORFIUM. Qui itaque id noviſſe cupit, legat libellum ejus, cujus titulus; *Inſtitutio Epiſtolaris Hebraica, ſive, De conſcribendis Epiſtolis Hebraicis liber, cum Epiſtolarum Hebraicarum centuria, ex quibus quinquaginta punctatæ, Latinè explicatæ, & Notis illuſtratæ ſunt: Acceſſit Appendix variarum Epiſtolarum R. Majemonidis & aliorum ejus ſeculi excellentium Rabbinorum, Baſ. apud Ludovicum* König.

V. Ligatæ orationis partes ſunt duæ, *Metrum & Rhythmus. Metrum* eſt, quod vel certum ſyllabarum numerum tantùm, vel certæ menſuræ pedes, certis locis collocatos, ſimul continet. *Rhythmus* eſt numerus poëticus, certum ſyllabarum numerum, certis clauſulis terminatum, continens. Hujus ligatæ orationis artificium & elegantiam apud Hebræos qui noviſſe cupit, adeat & hîc *IOHANNIS BUXTORFII Tractatum de Proſodiâ Hebræorum, qui Theſauro ejus Grammatico eſt adjectus.*

VI. Poſt hos, ſi quis linguæ Hebraicæ in ſcribendo nitorem, elegantiam, puritatem, & ſplendorem videre & imitari ulterius cupit, legat *Hakdamos*, id eſt, Præfationes librorum Judaicorum. In iis enim quiſque author eloquen-

tiæ

tiæ ſuæ vim oſtentat, & omnimodum cultum Orationis ſtudioſiſſimè ſectatur. Sed & ab his virtutibus inſigniter præ aliis omnibus commendatur liber qui vocatur בחינת עולם *Bechinas olam*, qui cum illuſtri Commentario eſt editus, & de vanitate mundi agit; Hunc Judæi legunt, quotquot eloquentiam ambiunt. Ab hac virtute laudatur & liber משל הקדמוני *Meſchal Hakkadmoni*, ad vim, virtutem, uſum & elegantiam linguæ Hebrææ oſtendendam, præcipuè conſcriptus. Ex his utile erit, elegantes phraſes excerpere, & in locos communes redigere, ut, cùm uſus ipſorum eſt, inde depromi poſſint.

VII. Sed ſufficiant iſta quoque in genere de Stylo Hebraico. Potuiſſent quidem ſingula fuſius explicari, & exemplis etiam illuſtrari. Sed propoſiti noſtri hac vice duntaxat fuit, Generalem σκιαγραφίαν & delineationem hujus ſtudii proponere, & inſtrumenta neceſſaria indicare. Hoc conſilio & his inſtrumentis qui uſus fuerit, is brevi temporis ſpatio haud pœnitendos fructus reportabit[f]. Vidi, qui hac methodo intra vertentem annum mediocria fundamenta in omnibus ſex hujus Studii partibus jecerunt, & euſque ſunt progreſſi, ut proprio Marte ulterius progredi, ſeque ipſos, adhibitis ſubſidiis, commodè juvare potuerint. Si præter indicatos in hoc conſilio autores, alii ſint vel æquè commodi, vel commodiores, qui ad meam fortè notitiam non devenerunt, eos quilibet iſtis adjicere & conjungere poterit.

Deo gloria!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

JOHANNIS ALBERTI BANNI

DISSERTATIO EPISTOLICA,

DE MUSICÆ NATURA,

Origine, progreſſu, & denique ſtudio bene inſtituendo.

AD

Incomparabilem Virum,

PETRUM SCRIVERIUM,

Polyhiſtora.

I.

IAM à multis retro annis, Vir Clariſſime, inter nos ſermo ſubinde fuit de Muſica, arte planè divinâ, cui me addictum non ignorabas. Et cum de Poëſi ſermo, cujus Laureâ, doctorum virorum calculo & votis, inter cæteros excellis, (ut de aliis eruditiſſimi ingenii tui dotibus nihil dicam) aliquoties diſcurſum conſiderationemque Numeri Poëtici variâ ſyllabarum quantitate conſtantis, ingeſſiſſet; tandem Θεῖον τὶ Poëſin continere, ad tractandas explicandaſque res, mira narrationis aptitudine, vocabulorum ſelectu, ſermonis proprietate, nervoſa orationis connexione, juſta ſyllabarum quantitate, elegātiſſimo modu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

modulationis fluxu, pulcherrimoque ſingulorum ordine concludebatur. Tum de Lyrico modulamine frequens mentio erat, cujus tantas laudes veterum ſcriptorum monumenta celebrant, ut jam paſſim doctiſſimis viris perſuaſum ſit, Muſicam Poëticæ, vel potiùs Poëticam Muſicæ facultati ſubalternam eſſe. Argumentum verò aſſertionis ipſa Numeri ratio ſuggerebat.

II. Et de numero quidem tum ediſſerebam paucula, ſed quæſtionis propoſitæ difficultatem ſine mora abſolventia. Nimirum Poëticum numerum in ſola ſyllabarum quantitate, quæ ex vocalium ac conſonantium litterarum qualitate ac mixtione oritur, conſiſtere: Muſicum verò numerum, ſonituum tempora ac intervallorum durationes metiri dicebam; quibus verborum, ex arte eloquentiæ pondus ac vim habentium, juſta pronunciatio, ad movendos animi affectus, planiſſimè abſolvitur. Suum cuique arti ineſſe enthuſiaſmum; non quidem ſcriptorum auctoritate, ſed ex ipſis rei Principiis probabam. Et cum hoc Argumentum latius eſſem proſecutus; quid de Auctoribus Muſicis, & tradita ab illis diſciplina ſentiendum eſſet, quærebatur. Verùm rem detrectabam velut cum odio conjunctam, qua doctorum virorum invidiam ſubire, ſine cauſſa, verebar. Sine cauſſa, dixi; nam Muſices apud pleroſque tam exigua eſt notitia, ut apud ipſos Profeſſores, hæc duo, quibus illius ſcientia conſtat, rariſſimè inveniantur conjuncta, Theoria ſcilicet & Praxis. Unde rem ut in principiis ſcientiæ, vel elementis artis continetur, utque ex illis educitur, Profeſſores illius non tractant: ſed ex alterius defectu in graviſſimos errores impingunt. Cum autem docti viri, veterum monumenta evolventes, utriuſque rei no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

titiâ ſæpiſſime deſtituantur; quid quæſo præter Grammaticas obſervationes, aut Hiſtoriarum commenta, acri tamen narratione, ac cenſurâ, hominum animis infigunt? quibus ſi quis ex tranſverſo contradicat, an invidiæ arrogantiæque notam prima fronte effugere poſſit, vide. Utique ea hominum, rerum, temporumque conditio perpetua eſt, ut obſequium amicum, veritas odium pariat.

III. Cum autem hoc Anno ſub finem æſtatis, cum expertiſſimo viro D. Gregorio Plaſſio, Medico excellentiſſimo, in ſuburbanum prædium tuum, ampliſſimum amœniſſimumque excurriſſemus; ubi ex natura loci Muſarum ſedes, otii opportunitas, ſtudiorumque deliciæ ſunt; quod ſanè eleganter *Woelvvyck* linguâ vernaculâ (Latinè *Curæ-fugium* liceat dicere) indigitaſti: poſt doctiſſimas rariſſimaſque tuas in Horatium, Iuvenalem, Perſiumque auditas expenſaſque animadverſiones, quibus loca obſcuriſſima ac corruptiſſima primogeniæ ſinceritati ac veritati reſtitueras; iterum iterumque propoſitus de Muſica ſermo eſt; & quam olim de Muſicæ ſcriptoribus, ac artis explicatione ſententiam ſubticueram, promere & eloqui urgebar. Tum neſcio quo inſtinctu, auſuque, incepi dicere, & ſummis amicis meis, apud quos licere exiſtimabam, aſſeverare, me viginti annorum ſpatio huic diſciplinæ ſingulari amore mancipatum, ſucciſivis horis, à ſeriis ſtudiis deflectentem, operam dediſſe, ſcientiamque & artem proprio Marte nulloque Magiſtro adorſum, magno labore, continuaque diligentia, varioque artificum colloquio, Theoriâ ad artem deductâ, didiciſſe. Quoties mihi volumina Ariſtotelis, Juſtiniani Imperatoris, ac Thomæ Aquinatis, quibus tum operam dabam, è manibus ſeponere, Boëthium,

thium, alioſque convenire, amor Muſicæ imperavit: Difficultas verò & intricata veterum narratio, ſæpiſſime iterum Muſica volumina, tanquam re deſperatâ, manibus meis excuſſit. Et tandem adhuc amor, obliterato tædio, rem facilem reddidit. Poëtæ vox me frequentiſſime animabat,

— *Amor omnia vincit*
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Audeo dicere, poſt longam indaginem, me in variis Provinciis ac Regionibus commorantem, pauciſſimos, imò neminem inveniſſe, qui difficultates Muſicas mihi expedire potuerit, niſi ſola illa diuturna, laborioſa, indefeſſa ac conſtans diligentia. Nimirum vim motricem quærebam ſcientiâ, experientiâque, cognitam habere; quâ Pythagoras, Timotheus Mileſius, aliique paradoxa effeciſſe narrantur. Ex ſingulis tamen aliquid audivi. Scopæ diſſolutæ erant, ſimul difficulter conjungendæ. rem tentavi, aggreſſus hoc modo: Veterum ſententias ſcrutatus ſum; Theoremata ac demonſtrationes praxi applicui cum non ſuccederet res, practicos conveni; eorum opiniones, & exercitationes expiſcatus ſum. ſæpiſſime ipſis ſuorum, quas ignorabant, rationes factorum ex tempore dedi. Et cum mihi ipſi non ſatisfeciſſem, inſtrumentis rem tentavi: ipſemet praxin exercendo, componendo profeci. Libellos varios de re inveſtigatâ conſcripſi, mutavi, auxi, correxi. Toties res inventa ſub manu mutabatur. Plurimorum Inſtrumentorum rationes, ac fabricas inveſtigavi. Quarum Theoremata ac Elementa, cum artificibus proponerem, non intelligebát: Mirabantur tamen, & libenter iſta audiebant. Mechanici, non liberales erant. habebant formulas ſibi à Magiſtris ac præceptoribus præſcriptas, quarum veſtigiis inhærebant; & bene,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

& bene; nam ſine filo Theſeus Labyrinthum non evaſiſſet. Alius tamen alio magis induſtrius, & manuaria operâ expeditior erat. Feſtinabam lentè, videbamque me proficere, licet ut plurimum deſperarem, donec propoſuiſſem immori huic ſtudio. Laborem enim eventus ſolabatur, & ex myſterio Pythagoricæ literæ affulgebat.

Promiſſa ô! *feſsis requies in vertice ſummo*;
Nam *Qui* (Ennii verba ſunt)
Vicit Olympia, mox ſenio confectus quieſcit.

IV. Cum verò mihi jam ex diuturnâ excercitatione aliqualem Muſicæ notitiam pepererim, non libens de ea paſſim verba facio. Horreo enim moleſtas hominum contentiones, quæ ut plurimum (ingenioſæ quantumvis) de Lana caprina ſunt; & ne ungue latius quidem rem promovent. Maximè in votis foret eâ quam acquiſivi Muſices notitiâ, ſecretus tranquilluſq; vivere, & amicorum, quibus rei hujus arcana ſubinde ex occaſione communico, Societate, ſcenam meam abſolvere. Sed nimium inſtas, vir clariſſime, de Repub. Chriſtianæ bono mecum expoſtulans, aliiſque ſeveris argumentis me premens; quaſi numini morem non gerens, bonis invideam. Acquieſcam igitur tuis expoſtulationibus; ſed unum præfari oportet, priuſquam manibus operi admoveam. Omnes omnino μȣσοφίλȣς etiam atque etiam oratos obſecratoſque volo, ut dictionis meæ, audaciamne dicam, an temeritatem, neceſſitatemve! æquâ mente interpretentur: negligentiamque, aut potius inſcitiam ſua benignitate, ac doctrina ſuppleant. Itaque ad rem venio.

V. Homines ſuapte naturâ cantabant, antequam induſtria experientiæ rudimenta in ſcientiam artemque congeſſiſſet. Nihil igitur mirum erit, ſi longâ ſeculorum temporumque ſerie Muſica

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

ſica ſub incude fuerit. Quæ qualiter ad perfectionem venerit, antiquitas nobis non ediſſerit. Nimiam enim hujus obſcuritatem S. pagina ſilentio fecit: difficultatem verò varia, & toto pene cœlo diſtantia, ſcriptorum dogmata pepererunt. Ciceroni tamen hac in re auſcultandum, qui libro primo de Oratore mihi adſtipulatur. *Omnia ferè*, inquit, *quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa & diſſipata quondam fuerunt, ut in Muſicis Numeri, & Voces, & Modi. In omnibus* enim *ferè antè ſpei rudimentum, quam rei experimentum fuit*, ut Appulejus ait. Penes primos igitur artis, non jam dico Inventores, ſed ſcriptores, *Arbitrium* erat, *& jus & norma loquendi.* Inde factum eſt, ut poſterioris ævi ſcriptores priorum ſententias potiùs retulerint, quam expenderint.

Muſica initio anguſta erat: apud Græcos quatuor Elementis, ſeu Chordis, primum uſitata, donec aliquis alius, inventis aliquid addens,

Expreſſit numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Conſonantiæ tres erant ſimplices, *διὰ τεσσάρων*, *διὰ πέντε*, *διὰ πασῶν*. Ex harum mixtione ac replicatione tres aliæ ortæ ſunt. Simplicium moleſtior inveſtigatio fuit. Cum tranſiret Pythagoras caſu fabrilem officinam, ex malleorum ictibus, variâ proportione juſti ponderis differentibus, auſcultaſſe eas primus, & inveſtigaſſe dicitur. Explorando ſingulorum pondera, quæ his numeris continebantur 12.9.8.6. formas notavit, in quibus ſolæ multiplex ac ſequialtera, proportiones continentur. Dupla quidem 12. ad 6, *Diapaſon* ſeu octavam; ſeſquialtera ſcilicet 9. & 6. Diapente; ſeſquitertia 4. ad 3. *Diateſſaron*; conſonantias: ac ſeſquioctava 9. 8. tonum diſſonantem à reliquis determinavit. His Elementis veteres Cantilenas ſuas, adhibitâ numeri, ac temporis varietate, inſtruebant. Diſſimili planè,

ac

ac alieno à nobis ritu. Et, quod imaginor, nuſquam verò legi unum generale erat concentus axioma.

Conſonantiam placere auribus, diſſonaniam intolerabilem eſſe, niſi conſonantiæ antecedentis vel ſubſequentis dulcedine, juſtaque earum duratione temperata corrigeretur.

VI. Tum, ut credo, nullæ erant Compoſitionis regulæ, ſed inveſtigatâ conſonantiarum naturâ artifices (id mihi, jam ſcribenti, poſt longum examen incidit) Cantilenas ex illis pro ſuo libitu aptabant. Et licet conſonantia non æqualium ac diſſimilium vocum concordia, à Nicomacho definita fuerit: tamen paucitas earum, nullum ex immediata harum conſequentia faſtidium admiſiſſe videtur. Et ſufficiebat modulatio, ſi conſonantiis conſtaret. Quamvis enim mas & femina, viri ac pueri, naturaliter Diapaſon modulentur; ideoque id artis præcepto doceri non fuerit neceſſe: tamen varietas aliarum, cùm diapaſon miſcendarum, conſonantiarum artem requirebat, cum ſuapte natura id homines præſtare non poſſent. Poſterioribus ſeculis inventio plurium conſonantium, quæ ſuper-partienti proportione generantur, artem ipſam certis regulis ac præceptis, Muſicam à confuſione vendicantibus inſtructam volunt. Quid igitur de Muſicâ veteres ſuis libris tradiderunt? Dicam ingenuè, nil præter harum conſonantiarum naturam, hoc eſt, proportionum, è quibus naſcuntur ſingulæ, formas. Et quia unum intervallum, ſuo ambitu continet alterum; ita unius, ad alterius proportionem eſſe principium vel elementum, demonſtrare conati ſint. Toni partes *Apotomen* ac *Lemma*, Elementum toni *comma* eſſe ſtatuerunt: primum ſcilicet, qui auribus diſtinctè percipi poteſt, ſonum: In hoc enim omnium inter-

intervallorum quantitas reſolvitur. *Tropos* etiam, licet nimium controversâ narrationis doctrinâ, & tria Modulaminis genera, ſcilicet *Diatonicum*, *Chromaticum*, & *Harmonicum*, ſuis libris deſcripſerunt.

Omnes Græci atque Latini uſque ad annum Chriſti IↄC. ſeu ſeptimi ſeculi initium, (nullum excipio) in hoc unico argumento fuerunt, & vix aliud quippiam in tradenda Muſica præſtiterunt. Audi ſingulorum ordines. Pythagoras, Ariſtoxenus, Nicomachus, Philolaus, Alypius, Ptolemæus, ex profeſſo Muſicam tractarunt. Alii, ex occaſione propoſiti argumenti, eandem attigerunt, ſine methodo. Item inter Latinos Vitruvius, in gratiam Architecturæ, ex Ariſtoxeni ſcriptis; Macrobius, ratione narrationis in ſomnio Scipionis allegatæ; & Appulejus, ex occaſione argumenti in ſuam propoſitionem ingeſti de Muſica ſcripſerunt. At Boëthius, Martianus Capella, & Venerabilis Beda, ex profeſſo ſcientiam Muſicæ, demonſtrativo, ut vocant, ritu tradiderunt.

VII. Ex his pauci omnino ſcopum Muſicæ attigêre. Euclides ſolus inter Græcos doctiori, breviori, clariori, veriorique ratione ac methodo, Muſicam tradidit. Cujus hic ſyllabus eſt in Paragraphos digeſtus: *Sonus*, *Intervallum*, *Genus*, *Conſtitutio*, *Tonus*, *Mutatio*, *Melopoëia*.

Inter Latinos, è veteribus præcipui ſunt Boëthius & Beda. Boëthius primum accuratus veterum interpres, eorundem ſententias collegit, examinavit, diſtinxit, correxit, & conciliavit. Inhæret tamen veterum veſtigiis. Characteres quoque ſonituum (quorum loco apud nos *notulæ* ſunt) tradidit. Deinde Beda, ducentis annis poſt Boëthium, duplici tractatu, Theoricam & Practicam Muſicam ſcripſit. Doctiſſima rei explicatio

tio eſt; ſed veterum limites non exceſſit. Notularum tamen figuras & claves, item ſcalam Muſicam, lineis ac ſpatiis conſtantem, tradidit ex uſu Eccleſiaſtico; quem ego à Gregorio Magno Papa introductum arbitror, cui Cantûs reformatio, meliori ritu inducta, aſſcribitur; ipſeque Cantus, ab ejus auctoritate, Gregorianus dictus eſt. Inde artis rudimenta probamus, quæ, temporis ſucceſſu hominumque induſtriâ, perfectiora in lucem emanarunt.

Euclides, Martianus Capella, ac Beda conceptis verbis, de Melopœja ſcripſerunt, artemque Componendi tradiderunt. Primò quidem Inventionem modulaminis, deinde Compoſitionem ejus Harmonicam ſuo more explicuerunt. Res ut antiquitate veneranda eſt, ita etiam memoriâ digniſſima. Difficilis tamen, anguſta, & minus concinna eſt, ſi cum artis noſtræ perfectione conferatur.

VIII. Ad ea uſque tempora imperfectior erat Muſica: nam anguſtius ſyſtema, pauciores conſonantias, minorem vocum concentum, difficilioremque modulationem habebat. Circa annum Chriſti CIↃ C. ſub decimi ſeculi finem, Guido Aretinus Monachus & Abbas Benedictinus, Muſicus excellentiſſimus, Veterum ſcriptis ſubtiliſſimè ruminatis, meliorem ac faciliorem Muſicæ Methodum inſtituit, Syſtema amplificavit Εικοσιχόρδῳ. Huic poſteritas perfectionem Muſices debet: quam quidem omninò ipſe non abſolvit; viam tamen aliis aperuit. Ab eo enim tempore (quo verò ſeculo, accuratè dicere non poſſum) imperfectæ Conſonantiæ inventæ, ac præcepta ampliora componendi Muſicam tradita ſunt: unde ars ipſa plenior majeſtatis ac delectationis ad perfectionem nobiliorem deducta eſt. Hanc ſententiam, alibi mihi

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

non lectam, nec auditam ab aliis, eo collegi argumento, quod amplitudo Syſtematis plures conſonantias requireret; & acutior ſonus additus à Guidone, imperfectas à veteribus rejectas (ob diſſonantiam gravioris ſoni, quo auſcultabantur) ſuapte natura proderet: Quarum uſus perfectis conſonantiis intermixtus, cum delectationem augeret, artis præcepta poſtulabat, quibus cum judicio omne punctum Muſicæ abſolveretur.

IX. Circa ſeculum decimum tertium, Franco Muſicus floruit. Poſt quem Ioannes Tinctorius, Franchinus Gaffurius, & Iacobus Faber Stapulenſis fuere, decimo quarto ſeculo. Horum operâ ac ſcriptis, Muſica Theorica & Practica mirificè ad perfectionem excrevit amplius. Ab illis regulæ Compoſitionis, juxta ſeriem Syſtematis Guidonici præſcriptæ, diuturnâque conſuetudine obſervatæ, ad nos pervenerunt.

Tandem Ioſephus Zarlinus Clodienſis, Theoriâ ac Praxi inſtructiſſimus, (ut alios inferioris notæ prætercam) doctiſſimis inſtitutionibus, demonſtrationibus ac ſupplementis, linguâ Italicâ editis (apud Venetos, anno 1580) Muſicam præ cæteris felicius tradidit, & abſolvit. Prolixior nonnihil eſt, ſed eruditione compenſat faſtidium; ex quo verior Muſicæ eruditio haurienda. Ejus Compendium in Tabulas redegit Ioannes Maria Artuſius Bononienſis. Italico etiam idiomate: quibus breviter, clarè & perſpicuè rem ſtudioſis proponit. Scripſerunt & alii; qui an Zarlinum æquent, neſcio: ſaltem non ſuperant. Id rectè cenſuit Muſarum delicium, vir clariſſimus, Martinus Hortenſius, Mathematicus excellentiſſimus, & (quod glorior) amicus meus, in accuratiſſima, de ſtudio Matheſeos inſtituendo, Diſſertatione, ad V. Cl. Marcum

Zuerium

Zuerium Boxhornium, pridem editâ. Unus ergo inſtar omnium erit, ſine quo nec veterum ſententiæ expediri poterunt, nec perfecta hujus diſciplinæ notitia facile obtinebitur. Ad perfectionem tamen Muſicæ modernæ non accedit.

X. Principia verò ſeu Elementa, quibus Muſica conſtat, ad ſex capita revocari poſſunt. Primum eſt Syſtematis maximi ſeu univerſalis conſtitutio. Alterum in generibus Cantus explicandis verſatur. Tertium Modorum numerum atque naturam examinat. Quartum Modulamenti rationem docebit. Quintum præcepta componendi tradet. Sextum artem cantandi profitebitur. Hæc capita ſummam Muſicæ complectuntur, ab omnibus ſcriptoribus latiſſimè explicatam. De ſingulis pauca commemorabo.

XI. Syſtema omnium intervallorum à Guidone quidem habemus, ſed accuratam illius demonſtrationem ex uno Zarlino. Novam verò conſtitutionem collocatis inter ſingulos Tonos hemitoniis requiro, ut abſoluta ſit, & efficax ad movendum Muſica.

XII. Genera modulaminis tria ſunt, *Diatonicum*, *Chromaticum*, & *Harmonicum*. Primum à natura natum, excellentiſſimum eſt: duo poſteriora ab arte inventa, exigui momenti ſunt; & temporis ſucceſſu, à quibuſdam etiam proſcripta, ab aliis neglecta, perierunt. Chromatici aliqualis uſus eſt, & energiam habet, ſi Diatonico miſceatur, ut in Syſtemate obiter inſinuavi; cujus uſus nunc floret, præcipuè apud Italos.

XIII. Modi (quos Tropos alii, ego Circulos Harmoniæ voco) veluti nervi corporis ſunt, quorum ductibus Muſica energiam habet. De Tropis, ſeu Modis, etiam Glareanus ſcripſit, non ex fundamento ſcientiæ, ſed potius ex Muſico-

rum

rum praxi ; nec Zarlino comparandus venit.

XIV. Modulamentum, Idea, ac πρωτότυπον Muſicæ eſt, cui concentus vocum aptandus. In hujus inventione ac conſtitutione tota res Muſica verſatur; eo quod ſonitus verborum ac ſyllabarum quantitati, ſignificationi, & ſenſui aptandus ſit; ut energiam habeat Muſica, Rhetoriſque munus ſubeat, docendo, delectando, & movendo. Hujus ſupina apud multos eſt ignorantia: cujus doctrinam hactenus nemo rectè explicuit; forte nec intellexit quiſquam.

XV. Compoſitio partium, ſeu vocum, diverſo ſonitu concentum reddit. Ejus præcipua ratio eſt in aptandis diſſonis inter conſona intervallis. Hujus vulgares leges exſtant, myſteria pleroſque latent; eo quod diſſonorum naturam ac vim motricem paſſim ignorent. De quibus rectè monuit Hieronymus Freſcobaldus, non temere judicandum, etſi communibus & tritis adverſentur Artis canonibus; ſed conſulendam auditus, ac rationis, trutinam; cujus ope Paradoxum aliquid demonſtrabit experientia.

XVI. Ars cantandi, eſt lectio ſeu pronunciatio Modulaminis ſingularum vocum, ex ſignis ſonituum, notulis deſcriptorum, facta. Hanc claram, diſtinctam, fluidam vocis amœnitate, & concinnam verborum ac ſonituum recitatione eſſe oportet, ut Oratoris effectum ſortiatur. Vox ipſa, juſtæ lectionis fundamentum eſt; diductio verò ornamentum. Illa à natura venit, hæc ab Artis præceptis ac uſu; quibus genuinus, propriuſque vocalium ac conſonantium ſonitus, pectore, faucibus, palato, lingua, dentibus, labiiſque proferendus, articulanduſque, acquiritur. Methodus hujus artis à nemine hactenus rectè explicata eſt, niſi à quibuſdam Italis, & per exempla quidem tantum declarata. Muſica ali-

vocalis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

vocalis, alia inſtrumentalis: utriuſque differentia, ac propria natura eſt. de quibus nunc non agam, ne excreſcat Sermo noſter. Ipſe ego hominem deſidero, qui Muſicam exactè eo, quem breviter attigi, ritu ac modo tradat.

XVII. Sed ut periodum hujus Compendii claudam, ingenuè dico, & religiosè aſſevero, Muſicam hanc noſtram, Græcorum illam, & priſcorum Latinorum alteram, infinitis paraſangis ſuâ perfectione, & efficaciâ exceſſuram. Et ut de Græcis obiter aliquid dicam, tanquam aniles fabulas & ſtultorum commenta, pleraque mihi ſuſpecta ſunt, quæ tam ſplendide narrantur. Miror etiam à viris doctis paſſim credi, & ſcriptis propagari. Id ex Muſicæ ignorantiâ oritur. Unum è cæteris exemplum adducam, & quidem hoc quod de Pythagora inventore vulgò narratur. Is Phrygio modo, qui incitativus perhibetur veteribus, commotos raptoſque in laſciviam adoleſcentes, & petulanti furore percitos, SPONDEO ſuccinente, compeſcuiſſe fertur, & mentis ſerenitati reſtituiſſe. Idem in Alexandro Magno fertur præſtitiſſe Timotheus Mileſius. Obvia paſſim narratio eſt. Hoc argumento vis Muſica à Modi proprietate apud omnes aſſeritur. Dorius, inquiunt, gravis ac ſententioſus, caſtuſque dicitur. Conſentio. Phrygius iracundus, bellicoſus, pugnax, ac furioſus perhibetur. Diſſentio. cur? dicam. Dorii Elementa in ſonitibus ac intervallis Chordarum D. F *a.* *d.* conſtituta ſunt, ex recentiorum calculo; è veterum ſcriptis diducto: quas Chordas, λίχανος ὑπάτων, παρυπάτη μέσων, μέση, παρανήτη διεζευγμένων, Græci indigitant. Omnes ferè hactenus unanimiter idem dixerunt, paucis exceptis. Nam in Modorum nomenclatura apud Autores ea diverſitas eſt, ut fabuloſæ videantur Hiſtoriæ. Inde eorum

natura,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

natura, ac effectus æquè dubius ac fabuloſus eſt, ſaltem ex Hiſtorica relatione. In iſtis intervallis modeſta attentio primum generatur à Hemiditono D. F. (ſyllabis *re*, *fa*, exprimendo) poſtea ab F. ad *a*. Ditonus gravitatem inducit (ſyllabæ cantabiles, *fa*, *la*, ſunt.) poſtea ab a. ad *d*. Diateſſaron eſt, ſeu Quarta, medio intervallo, habens ſemitonium majus, quod ipſius duritiem temperat ſententioſo quodam ductu. Et hunc eſſe Dorium Modum, Boëthius ſatis diſertè indicat, cum è ſpeciebus Diapaſon, ſeu Octavæ, modos (ut res poſtulat) educens, à Plagalibus incipiens, ad Authentos progrediendo primo loco Hypodorium ponit, à Chorda Proſlambanomenos (quam Guido A. *re* vocat) Diapaſon complentem. Deinde tonum adſcendens in Hypate Hypaton; (♮ *mi* nos dicimus) Hypophrygii conſtitutionem definit: tum ſemitonio acumen Syſtematis intendens in Chorda Parhypate (quam C. *fa-ut* appellamus) Diapaſon complendo, Hypolydius ponitur. Horum Authenti ſeu principales, tono acutioribus Chordis ſunt. Dorius itaque in Lichanos Hypaton ſeu D. *ſol re*, conſtituendus; Phrygius in Chorda Hypate meſon, ſeu E. *la-mi*; I. Lydius verò Semitonio acutius Syſtema habet in Parhypate meſon, hoc eſt, F. *fa-ut* collocatur. Dorius itaque eo modo, quo diximus, conſtitutus, gravis, ſententioſus, caſtuſque erit; ejuſmodi ſcilicet materiæ ac ſermoni congruens.

XVIII. Petrus Gregorius Tholoſanus lib. XII. Syntaxeos Artis mirabilis c. XVII. ex Pſello, Ariſtotele, Plutarcho, Boëthio, & Tyardeo ponit Hypodorium à C. *fa-ut*, uſque in G. *ſol re-ut*; Hypophrygium ab eadem Chorda C. *fa-ut*, uſque in A. *la-mi-re*; contradicente Boëthio, eo quod ſinguli Modi unius Toni vel Semitonii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

gradu acutiorem conſtitutionem habeant. Ideoque malè ponitur. Dorius à C. *ſol fa-ut* in *aa. la-mi-re*, quæ eſt à Parhypate Hypaton in Neton meſon; Phrygius verò ab F. *fa-ut* in dd. *la ſol*, quæ eſt à Parhypate Meſon, ad Paraneton Diezeugmenon. Fateor quidem Cantum Diatonicum, quem natura docuit, initium ſumere apud literam ſeu Elementum C. adeóque primum ordine naturali Modum inde auſpicandum: ſed hoc nihil ad gentilitiam Modulaminis proprietatem facit, qua uſi fuerunt Dores aut Phryges. Abſurditas itaque iſtius aſſertionis etiam alio argumento evincitur. Nam Modi Plagii Diateſſaron debent eſſe inferiores ac graviores ſuis Authentis, ut habet Axioma. Si itaque, teſte Boëthio, Hypodorius in A. *re*, chordam graviſſimam habuit. Hypophrygius verò in ♮ *mi*, ut mox oſtendimus; uterque Authentus Diateſſaron ſeu Quarta altior eſſe debet. Dorius ſcilicet in *D*, Phrygius verò in E, quæ ex Hypate Meſon collocandus eſt. Accedit & alia ratio, quod Modus à C. *ſol-fa-ut*, uſque in aa. *la-mi-re*, Diapaſon non compleat; quod ipſa natura Modi requirit. Tandem quoque in illo Syſtemate, vel ea conſtitutione intervallorum, laſciva, amatoria, placida, hilariſque potius materia rerum reponenda eſt; ut ſuo tempore demonſtrabo. Dorius igitur ille Modus eſſe non poteſt. Similiter ab F. *fa-ut*, in dd. *la-ſol*, melius ſuccederet iracundia ac furor, ſed defectui Hemiditoni, qui blandus eſt. Diapaſon non impletur; unde major violentiæ ratio eſt. Ex autoritate itaque Boëthii, qui conſtitutionem Dorii in D, Phrygii in E, recenſet, ut luculenter oſtendimus, cæteri erroris convincuntur.

XIX. Inde jam ad Hiſtoriam de Pythagorâ redeamus, & quam ſuſpectæ fidei ſit, dicamus.

Phrygio

Phrygio Modo incitatos juvenes ad petulantem furorem, SPONDEO ſedatos dicunt. Naturali ratione quis primus, ſecundus, tertiuſque Modus ſit; itemque ejus efficacia, compertum eſt. Sed quis ſit ille Modus, quo uſi ſunt Dores aut Phryges, ex Scriptorum authoritate ſolummodo dignoſcitur. Inter Scriptores, & Muſicos, Boëthius ex veteribus Græcis aſſerit. Hypophrygium in Hypate Hypaton Chordâ graviſſimâ contineri complendo Diapaſon. Unde certiſſimè conſtat, hujus Authentum Phrygium, Diateſſaron ſeu Quarta acutiorem, loco proprio collocandum, ſcilicet in Chorda Hypate Meſon, quæ nobis E appellatur. hujus circulus in Chordis E. G. ♮. & C. ex locis ſemitoniorum blandius eſt, non furens; & quidem intervallo majus ſemitonium conficit. Secundo Hemiditonus in G utrumque intervallum ex ſua natura blandum ac modeſtum eſt: Poſtea uſque ad ♮. ditonus eſt, qui à præcedentibus attemperatus eſt; ubi terminatur Diapente, ſeu Quinta; prima ſcilicet & nobiliſſima Diapaſon pars. Ad complendam verò Diateſſaron, quæ altera pars eſt, ſtatim ſequitur ſemitonium majus à ♮ ad C. itidem ſuave; inde Ditonus à ſemitonio præcedente temperatus eſt uſque ad E. ubi circulus completur. Quis jam non videt ex ſpeciebus ſeu intervallis, Phrygium iracundum ac incitativum non eſſe; & juvenes eodem in furiam iramque rapi non potuiſſe? Deinde ſolo Modi circulo, proprietate, ac phraſi, animi affectus moveri non poſſunt: quemadmodum nec nervis corporis vis poteſt fieri, niſi animæ vivificantis adſit influxus: ita enim & hic Modulamenti ſpiritu opus eſt.

XX. At SPONDEO petulantiæ tempera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

mentum induxit Pythagoras. Hoc dicunt Scriptores, ut omnem Muſicæ vim modo ineſſe probent. SPONDEUS profectò Muſicæ Modus aut circulus non eſt, ſpecies Diapaſon non continet: quam bellè igitur ad rem loquuntur Scriptores? SPONDEUS Moduli tarditatem ſignificat ac majeſtatem: quemadmodum pes poëticus duabus longis ſyllabis conſtans, SPONDEUS dictus, nomen uſumque à ſacrificio, libatione, ſodalitate, inducis, ac fœderibus, quæ Græco vocabulo σπονδὴ ſignificantur, accepiſſe notum eſt. In his enim actionibus ipſa ratio rituſque gravitatem ſententiarum, pondus dictionis, & majeſtatem quandam requirebat. Ideoque longis ſyllabarum ductibus ponderoſa vocabula Poëſis adhibebat. Inde *Spondaicum Carmen*; cujus etiam varia eſt gravitas ex verborum majeſtate, vel pondere ſyllabarum. Exempli gratia:

Conturbabantur Conſtantinopolitani.

Hic verſus habet duplicationem conſonantium, reiterationem primarum vocalium *a.* & *o*; quibus pondus explicatur verborum. Non item eſt in hoc verſu, qui levior videtur, Virgilii:

Olli ſedato reſpondit corde Latinus.

Vel in iſto Ovidii:

Nituntur longo veſtigia ponere clivo.

Adde quod Poëtica cenſura, Spondaicorum Verſuum proprietatem, in duobus ultimis pedibus conſtituens, delectum habeat elegantiæ, ſingulos ſingulis verſibus præferens, etiam ejuſdem Auctoris.

Virgilius:

Cara Deûm ſoboles, magnum Iovis incrementum.

Idem:

Cum Patribus Populoque, Penatibus & magnis Diis.

Hi autem verſus inter Spondaicos primo lo-

co

co habentur, elegantiſſimique cenſentur. Sunt alii ejuſdem Autoris, quos minoris æſtimant.

Virgilius:

Saxa per & ſcopulos & depreſſas convalles.

Idem:

Aut leves ocreas lento ducunt argento.

Hos Poëtæ tanti non habent, eo quod non non ſint tam fluidi, ut priores. Et tamen plus ponderis ac molis frequentioribus ſpondeis afferunt; magis ad animos temperandos valent. Hic etiam in Muſica Spondaicus modulaminis, varius eſſe poteſt ex modulamento, & cuivis Modo applicari, licet omnibus non æquè conveniat.

At Dactylici carminis volubilitas diverſum ab hoc impetum mentis excitat. Ennii verſus eſt, etiam proprio vocabulo bellicoſus:

Et turba terribili ſonitu Taratantara dixit.

Alius item:

At tuba terribilem ſonitum procul excitat horrida,
Sidera pallida diffugiunt face territa luminis.

In his omnibus verſibus, Hexametri Carminis genus eſt; & tamen tanta ex numero variegatio oritur.

Magnum argumentum hinc ſumo, ut doctis Viris Poeſin Muſicam perſuadeam; quæ Muſici Modulamenti numeris prius certo ordine excogitatis, pedes metricos accommodet: certi carminis lege omnino neglecta. Res elegantiſſima eſt, licet paradoxa, alibi fuſiùs enarranda. Quod autem de varietate carminis Hexametri, jam diximus; idem de Muſicæ Modis dicendum, quod illis Modulamenti varia ratio adſcribi poſſit, unde moveantur affectus. Cum ergo Spondeus Modulamenti ratione, hoc eſt, motus, numeri ac temporis variegatione conſtet, cuivis Harmoniæ Modo, tam Myxolydio, & Hypodorio, imò tam Lydio, quam Dorio applicari poterit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

XXI. *Spondeum* itaque *ſuccinere*, nihil aliud eſt, quàm gravi ac ſententioſo modulamine, alicujus aures afficere, & mentem temperare; quocunque Modo fiat, ſive Lydio, ſive Dorio: licet natura Modi Dorii, ob dictas à nobis rationes, magis gravitati ſententiarum propria ſit, quam Lydio, qui acutioribus Chordis, & per Ditonos, ac Tonos Majores procedit: unde major vehementia illi ineſt.

XXII. Modulamento itaque variis ſonituum ductibus variegato, adſcribendum eſt, quod de Spondaico ritu carminis narratur; non itidem Modo. Nam ſine ulla Modi periodo ſemper modulamentum efficax eſt: licet magis perſtringat, dum certis limitibus à confuſione vindicatum, proprietatem dictionis animat. Mirum itaque in modum explicandæ ſunt iſtæ Hiſtoriæ; vel utrovis modo mendaces ęſtimandę: ſcilicet errore rei & vocabulorum, vel impropriâ ac interdum Hyperbolicâ narratione: quiſquis tandem erraverit, Boëthius, an alii.

XXIII. De Ionico Modo quàm futilis etiam Hiſtoria eſt? Qui primum Auſterus fuit, deinde Laſcivus: gens enim illa mores mutaverat, cùm voluptati ſe dediſſet; inde varietas, ut eſt apud Athenæum. Et tali commento nubis Ionici Modi naturam enarrant Authores, ut fidem habeamus. *Euge, tuum & belle!*

Ut nunc, ita tunc plurimi Authores Hiſtorias cudebant, nec ad incudem revocabant. Legiſſe uſpiam: ſat erat ut volumen compleretur. Nulla rerum cauſſarum, ac circumſtantiarum ratione habitâ, narratio procedebat, hoc eſt, nullo ordine, diſtinctione, interpretatione, explicatione, conciliatione (quæ omnia ipſa rerum ſeries luculenter ſuggerere poterat) habitis.

Apophthegma lepidiſſimum de Chiapino Vitellio

tellio, ſtrenuo illo milite Italo refertur. Cum effigiem ſuam à pictore quodam delineandam poſtulaſſet, artifici, quomodo faciem conſtitutam vellet, poſcenti: Pinge me, inquit, hominem formoſum: deformis erat,& horribilis vultu)poſt medium ſeculum,obliteratâ mei memoriâ, omnes è manu artificis meam pulchritudinē admirantes, in veritatem effigiei vel jurabunt. Qualis verò ipſe fuerit, ex Epitaphio liquet:

O Deus omnipotens craſſi miſerere Vitelli,
Quem mors præveniens non ſinit eſſe bovem:
Corpus in Italiâ eſt; tenet inteſtina Brabantus:
Aſt animam nemo. Cur? quia non habuit.

Miles ſcilicet, ut homines, ita & Numen habebat. Infelix!

Lapſu temporis invaluit eodem modo partim accurata rerum Hiſtoria,quę nunc paſſim pro vero divenditur. Accedit,quod Scriptores fere rerum quas narrabant nec ſcientiam, nec expedientiam habebant: fruſtra ſanè eaſdē explicandas ſuſcepturi,aut narratas ad incudem revocaturi.

Euge! omnes,omnes,bene! miræ eritis res,ait Perſius.

XXIV. Centum talia occurrunt in Muſica veterum, præcipuè Græca, quæ hominum ingenia mirè torquent; & diſciplinæ utriuſque rationem non explicant,ſed potius involvunt.Ipſa imperfectio ſatis arguit difficultatem, quam paulatim longo artis uſu, hominumq; induſtriâ ſublatam videmus. nec unquam magis expedita reddetur hujus ſcientiæ, artiſque Methodus, quàm ſolida rei ex ipſis Principiis Elementiſque diductione, quæ experientia & optimorum Authorum lectione inclareſcet. Unum Zarlinum præ cæteris commendavi; non quòd aliorum ſcripta nullius momenti ſint; cum multa præclara eruditaque dogmata contineant: ſed unum Zarlinum coryphæum dixi. Cum enim Muſica ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Authoribus deſcripta, in pleriſque defectum patiatur, magno ſtudio, induſtria, ac lectione varia ſupplendum; unum aliquem commendare nequeo, ex quo hauriant ſtudioſi (pauci etiam totam Muſicam Theoricam ac Practicam ſimul intellexerunt & excuſſerunt (præter Zarlinum. Is, inquam, præ cæteris doctius, feliciuſque, & propemodum ſolus, rem exſecutus, meo judicio, videtur. Ordinariæ Praxi deſervire præcipuè poteſt Zarlini Compendium à Ioanne Maria Artuſio Bononienſi, optimâ methodo doctiſſimè confectum. Horum Authorum lectio, additis ſex Capitulis, breviter à nobis ſupra explicatis, ad Muſicę Theoriã & Praxin ſtudioſos manu ducet.

XXV. Cæterum ut ingenuè fatear, requiro adhuc ampliorem Muſicæ tractationem, quæ plurimis novis inventionibus ac regulis, Artis perfectioni deſervientibus, conſtet, qua *Numeri*, & *Vóces*, & *Modi*, (quorum in principio ex Cicerone meminimus) clarius, profundius, & accuratius explicentur, ut Muſica Oratoris officium ſubeat, finemque illius, docendo, delectando, & movendo conſequatur. Hujus aliquem Ideam breviter quidem ſex Capitibus conſtructam oſtendi. Cujus ampliorem tractationem brevi ac facillima Methodo antehac tentavi, & ſi Deo placuerit, eandem feliciter abſólvere conabor, amicorum uſui inprimis, & bono publico.

Te viciſſim, Vir Clariſſime, obteſtor, ac modeſtè adhortor, ut præclara illa præſtantiſſimi ingenii tui monumenta, perennem gloriam memoriamque habitura, quæ impenſe omnes deſiderant, & tanto quidem magis, quia ſalivam moviſti, amicis ac Reipublicæ Literariæ diutius invidére nolis. Vale, meum & civium tuorum pecus. Harlemi, Kalend. Octobr. ∞ IↃCXXXVI.

Salutat te officioſiſſimè noſter Plaſsius.

SYLLA-

SYLLABUS CAPITUM HUIUS DISSERTATIONIS.

I. *POëſis res ingenioſa, ac Muſicæ ſubalterna.*
II. *Numeri Poëtici & Muſici differentia. Ex Muſicæ ignorantia, plurima Autoris commenta,*
III. *Occaſio & ratio indagationis Muſicæ.*
IV. *Cauſſa hujus Commentarioli de Muſica conſcripti.*
V. *Muſica à natura eſt: perfectio ab arte. qualis apud Græcos fuerit.*
VI. *Quomodo Ars creverit. Quæ ſcripta Græcorum ac Latinorum de Muſica.*
VII. *Præcipui inter veteres Euclides, Boëthius, & Beda. Melopœja Veterum qualis.*
VIII. *Melior ac facilior Methodus Guidonis Aretini: ex quâ imperfectarum conſonantiarum inventio, ac præcepta Compoſitionis predierunt.*
IX. *Qui è recentioribus Muſicam perfecerint, rectiùſque tradiderint.*
X. *Summa Muſicæ ſex Capitibus recenſita.*
XI. *De Syſtemate.*
XII. *De tribus generibus Muſicæ.*
XIII. *De modis ac Circulis.*
XIV. *De Modulamento.*
XV. *De Compoſitione.*
XVI. *De arte Cantandi.*
XVII. *Perfectio noſtræ Muſicæ. Græcorum hiſtoriæ de ratione ac energiâ Muſicæ, à Pythagora decantatæ, ſuſpectæ fidei ſunt: quod ex Modorum Dorii ac Phrygii conſtitutionibus probatur.*
XVIII. *Petri Gregorii Tholoſani & aliorum opiniones refutatæ ex ipſo Boëthio.*
XIX. *Natura Dorii ac Phrygii ex ratione intervallorum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

XX. *Quid ſit* Spondaicum *Carmen ac Modulamen.*

XXI. *Quid ſit*, Spondeum ſuccinere.

XXII. *Modulamenti energia. Unde falſitas Hiſtoriæ Græcæ ſit.*

XXIII. *Aliud commentum Athenæi, de Ionico Modo rejectum.*

XXIV. *Diſciplina Muſica ex principiis Scientiæ, & elementis Artis petenda. Zarlinus unicus Phœnix inter alios ſcriptores ſeligendus. Illius Compendium ingenioſè ab Artuſio concinnatum. Vtriuſque lectione Muſica addiſcenda: ſex Capitibus, ſupra §. x. enumeratis, perficienda.*

XXV. *Uberior & accuratior Muſicæ Doctrina neceſſaria. Cujus Methodus promittitur.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 47